


THEOLOGIA

DOGMATICO-POLEMICA

THEOLOGIA
DOGMATICO-POLEMICA

QUA

ADVERSUS VETERES NOVASQUE HAERESES

EX

SCRIPTURIS, PATRIBUS, ATQUE ECCLESIASTICA HISTORIA

CATHOLICA VERITAS

PROPUGNATUR.



RECENSUIT

P. CAROLUS SARDAGNA

SOCIETATIS JESU PRESBYTER

IN EPISCOPALI LYCEO AD D. PAULI RATISBONÆ

THEOL. DOGMATICO - POLEMICÆ PROF. ORD.

ET EXAM. SYNODALIS.

TOMUS VI.

COMPLECTENS

TRACTATUS VI. DE SACRAMENTIS PARTEM, PRIMAM

IN QUA AGITUR DE SACRAMENTIS IN GENERE, AC DE

BAPTISMO ET CONFIRMATIONE IN SPECIE.





ROMAE 1820.

APUD PIUM CIPICCHIA

Superiorum permissu.

INDEX
CONTROVERSIARUM

QUÆ IN PARTE PRIMA TRACTATUS VI. DE SACRAMENTIS CONTINENTUR.

ARTICULUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CONTROVERSIA I.

DE NATURA, EXISTENTIA, ET NUMERO SACRAMENTORUM. NUM. I.

IV. Quid Sacramenta novae Legis suscipientibus rite dispositis conferant? LII.

V. An idem specie Sacramentum aequalem semper gratiae effectum conferat? LIV.

CONTROVERSIA III.

AN VERBA, QUIBUS SACRAMENTA NOVAE LEGIS PERFICIUNTUR, SINT CONCIONALIA VEL CONSECRATORIA? LXIII.

Conclusio I. Verbum concionale non requiritur ad essentiam et valorem Sacramenti. LXV.

Conclusio II. Verba, quibus Sacramenta novae Legis perficiuntur, vere ac proprie consecratoria sunt, non concionalia. LXVI.

CONTROVERSIA IV.

AN ET QUAENAM SACRAMENTA IMPRIMANT ANIMAE CHARACTEREM? LXXVIII.

Conclusio. Tria Sacramenta, nempe Baptismus, Confirmatio, et Ordo, imprimunt in anima characterem. LXXXI.

CONTROVERSIA V.

AN OMNES ET SOLI HOMINES POSSINT ESSE MINISTRI SACRAMENTORUM OMNIUM? XCIV.

CONTROVERSIA VI.

AN INTENTIO MINISTRI SIT NECESSARIA AD PERFICIENDUM SACRAMENTUM? CXXVI.

Quaesitum I. An praeter intentionem serio peragendi ritum externum, requiratur etiam interna Ministri intentio, qua is velit non fingere et simulare; sed vere ac serio facere simpliciter ac generatim saltem id quod facit Ecclesia? CXXXII.

II. An ad valorem Sacramenti requiratur, ut Minister intendat facere vel effectum Sacramenti, vel ritum Ecclesiae formaliter ut Sacramentum est, vel etiam facere quod facit Ecclesia Catholica et Romana? CXXXV.

III. Quaenam intentio interior ex parte Ministri requiratur, ut is Sacramentum valide conficiat? CXXXVI.

IV. An Minister verum Sacramentum conficiat, quando duas habet intentiones, quarum una valori Sacramenti repugnat? CXXXVII.

V. An intentio conditionata sufficiat ad valorem Sacramenti? CXXXVIII.

VI. An aliquando forma conditionalis sit adhibenda? CXXXIX.

VII. Quid de formae conditionalis antiquitate sentiendum sit? CXL.

CONTROVERSIA VII.

AN AD VALOREM SACRAMENTI REQUIRATUR FIDES MINISTRI? CXLIX.

Conclusio I. Ad valorem Baptismi non requiritur fides Ministri. CLII.

APPENDIX AD CONTROVERSIAM VII.

DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS.

Quid de Angelicanis Episcoporum Ordinationibus, factis juxta ritum Eduardi VI., approbatum ab Anglicana Synodo Londinensi A. 1562. sentiendum sit? CXCIV.

CONTROVERSIA VIII.

AN AD VALOREM ET LICENTIAM SACRAMENTORUM REQUIRATUR PROBITAS MINISTRI? CXCVII.

Conclusio I. Ad valorem Sacramenti non requiritur probitas Ministri. CXCVIII.

Conclusio II. Ad licentiam Sacramenti requritur probitas Ministri. CCI.

Quaesitum I. An graviter peccet Minister improbus, quando Sacramentum conficit ex officio quidem, sed ritu non solemni? CCIV.

II. An per se peccet graviter, qui in statu peccati mortalis administrat Sacramentum, etsi non sit minister specialiter deputatus? CCV.

III. An peccet graviter Sacerdos vel Diaconus, qui Eucharistiam prius jam confectam populo distribuit, peccati mortalis sibi conscius? CCVI.

CONTROVERSIA IX.

AN ECCLESIA HABEAT POTESTATEM INSTITUENDI CAEREMONIAS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM? CCXII.

ARTICULUS II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CONTROVERSIA I.

DE MATERIA BAPTISMI REMOTA. CCXXIV.

Conclusio. Sola aqua elementaris est materia remota et essentialis Baptismi? CCXXVII.

Quaesitum I, An ad valorem Baptismi quaelibet aqua naturalis sufficiat? CCXXXI.

II. An etiam ad licentiam Baptismi quaelibet aqua naturalis sufficiat? CCXXXII.

III. An Christus ante vel post Passionem suam Baptismum instituerit? CCXXXIII.

CONTROVERSIA II.

DE MATERIA PROXIMA BAPTISMI.

AN VALEAT BAPTISMUS ASPERSIONE VEL INFUSIONE DATUS? CCXL.

Conclusio. Ad valorem Baptismi sufficit exterior corporis ablutio facta a Ministro per aspersionem aut infusionem. CCXLII.

Quaesitum I. Utrum, Ecclesiae ejusque Ministris liberum sit Baptismum conferre per im-

CONTROVERSIA III.

DE FORMA BAPTISMI.

ba, *Ego te baptizo*, aut alia aequivalentia, sunt de essentia baptismi. CCLXIII.

Quaesitum I. Quaenam sit forma baptizandi apud Graeco? CCLXIV.

II. An forma Graecorum sit valida? CCLXV.

III. Cur Graeci in ministrando baptismo modum loquendi passivum adhibeant? CCLXVI.

CONTROVERSIA IV.

AN BAPTISMUS JOANNIS DIVERSUS FUERIT NATURA ET EFFICACIA A BAPTISMO CHRISTI? CCLXXVIII.

Conclusio I. Baptismus Joannis natura et substantia diversus fuit a Baptismo Christi. CCLXXXI.

Conclusio II. Baptismus Joannis efficacia diversus fuit a Baptismo Christi CCLXXXII.

Quaesitum. An fide divina credendum sit, Baptismo Joannis ex opere operato remissa non fuisse peccata? CCLXXXIV.

CONTROVERSIA V.

DE MINISTRO BAPTISMI. CCXCII.

Conclusio I. Primarius Baptismi Minister ordinarius et ex officio est Episcopus; Presbyter vero secundarius et ex licentia Episcopi, ac cum subordinatione ad illum. CCXCIII.

Conclusio II. Diaconi sunt Ministri Baptismi etiam so-

CONTROVERSIA VI.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI. CCCVI.

ptismum praeviae requirantur in adultis dispositiones? CCCXV.

IV. An adulti sine praevia et necessaria dispositione ad Baptismum accedentes, aliquem ejus effectum obtineant? CCCXVI.

V. Quid efficiat Baptismus in homine jam per charitatem perfectam justificato? CCCXVII.

VI. An Baptismus ficte susceptus, sublata fictione postea reviviscat? CCCXVIII.

CONTROVERSIA VII.

DE NECESSITATE BAPTISIMI RESPECTU ADULTORUM ET PARVULORUM. CCCXXI.

Conclusio. Baptismus in re vel in voto necessarius est adultis necessitate medii et praecepti; parvulis vero, extra casum Martyrii, est in re necessarius necessitate medii ad salutem. CCCXXIV.

Quaesitum I. An Baptismus sanguinis, seu Martyrium suppleat in adultis virtutem Baptismi aquae? CCCXXVIII.

II. An ad valorem Martyrii, ejusque effectum requirantur in adultis quaedam dispositiones? CCCXXX.

III. An Martyrium tollat in adultis omnem reatum culpae et poenae ex opere operato, vel tantum ex opere operantis? CCCXXXI.

IV. An Martyrium etiam in infantibus suppleat Baptismum aquae? CCCXXXII.

CONTROVERSIA VIII.

AN INFANTES SINT BAPTISMI CAPACES, ET AN EXPEDIAT EOS BAPTIZARE? CCCXLVII.

ARTICULUS III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CONTROVERSIA I.

AN CONFIRMATIO VERUM SIT NOVAE LEGIS SACRAMENTUM? CCCLXVI.

Conclusio. Confirmatio verum est novae Legis Sacramentum. CCCLXVIII.

APPENDIX.

AD CONTROVERSIAM I.

VARIA QUAESITA DE MATERIA, FORMA, EFFECTU, SUBJECTO, ET NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

Quaesitum I. Quaenam sit materia remota essentialis Confirmationis? *CCCLXXIX.*

II. An ad chrisma necessario necessitate Sacramenti requiratur oleum olivarum admixtum balsamo cum benedictione Episcopi? *CCCLXXXI.*

III. Quaenam sit materia proxima essentialis Confirmationis? *CCCLXXXIII.*

IV. Quaenam manus impositio requiratur ad valorem Confirmationis? *CCCLXXXV.*

CONTROVERSIA II.

DE MINISTRO SACRAMENTI CONFIRMATIONIS. CDI.

TRACTATUS VI.

DOGMATICO-POLEMICI DE SACRAMENTIS IN GENERE ET SPECIE.

PARS I.

ARTICULUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CONTROVERSIA I.

DE NATURA, EXISTENTIA, ET NUMERO SACRAMENTORUM.

Contra Archonticos, Manichaeos, Socinianos, Anabaptistas, Protestantes.

I.

Sacramentum alio sensu a profanis, alio a sacris Scriptoribus accipitur. Apud authores profanos sumebatur I. pro juramento. Hinc jusiurandum, quo se Milites ad praestandam Imperatori et Reipublicae fidelem operam obligabant, *Sacramentum militare* appellabatur, ipsique milites *Sacramentarii* idcirco dicebantur. II. Pro pecunia a duobus contendentibus in loco sacro deposita, ea conditione, ut qui vicisset suam reciperet, victi aerario cederet. Itaque Sacramenti nomine haec pecunia dona-



batur, tum quod in sacros usus converti posset: tum quod in loco sacro ab omni vi et injuria immunis custodiretur. Apud Ecclesiasticos Scriptores Sacramenti nomen accipitur I., pro re arcana et latente, quam Graeci *mysterium* vocant: Atque hoc sensu quaelibet Religionis nostrae, ac fidei capita generatim mysteria dicuntur. Sic I. ad Timoth. Cap. III. Incarnatio Verbi Divini *magnum* dicitur *pietatis Sacramentum*. II., pro signo rei sacrae, ut ad Ephes. Cap. V. ubi de Matrimonio dicitur: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Id est, unio viri et mulieris est signum sacrae unionis Christi cum Ecclesia. III. Sumitur pro signo rei non solum sacrae, sed etiam sacrantis, seu initiantis hominem divino cultui. Atque haec postrema significatio maxime propria est, ac praesenti nostro instituto accomodata.

II. Sacramenti nomen reprobare ausi fuerunt nostrorum temporum Sectarii, Lutherus Lib. de Captivit. Babyl. et Lib. de Abroganda Missa, Melanchton in Locis communibus, Zwinglius in Lib. de vera et falsa religione, et Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XIX, eoquod hoc nomen in divinis Scripturis expressum non inveniatur. At vero Sacramentum Latina vox est, quam in primigenio Scripturarum textu Hebraico vel Graeco frustra inquisieris: cum autem in usu Ecclesiae idem prorsus significet Sacramentum apud Latinos, quod Mysterium apud Graecos, merito Sacramenti nomen retinuit Ecclesia; quemadmodum et multa alia vocabula consecravit, quamvis in Scripturis non sint expressa, ut v. g. *Trinitas*, *Incarnatio*, *Consubstantialis*. Quapropter et ipsi Novatores eam vocem minus hodie fastidire videntur, solique Sociniani ab ea velut

a superstitione abhorrent. Immo ipse Lutherus, cum vidisset Carolostadium ac Zwinglium, quibuscum inimicitias gerebat, abhorrere a voce Sacramenti, mutavit cito sententiam, et nomen Sacramenti approbare coepit in Lib. contra coelestes Prophetas.

III. Sociniani volunt Sacramenta esse *nudum ac simplex signum, quo Christianus a Judaeo vel Gentili distinguitur*: Anabaptistae, esse *allegorias, seu signa quaedam vitae spiritualis, morum atque bonorum operum, quibus admonemur bonis operibus nos exercere*: Zwinglius, esse *oppignorationes, quibus se homo obligat Christo, ejusque militiae nomen dat*: Lutherus, esse *promissionem gratiae connexam externo signo*: Calvinus, esse *externa simbola, quibus benevolentiae erga nos suae promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem; et nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo et Angelis, quam apud homines testamur.* Verum omnes hae definitiones communi laborant vitio, quod nimirum nullam in Sacramentis vim ad sanctificationem hominis efficiendam agnoscant, ut Controversia II. a nobis fusius explicabitur. Caeteras rationes, ob quas quamlibet harum definitionum Catholici omnes unanimi consensu rejiciunt, vide apud *Bellarminum* Lib. I. de Sacram. Cap. XIV. XV. XVI. *Becanum* in Manuali, Lib. I. Cap. XI. *Renatum Le Drouven* de Re Sacramentaria, Lib. I. Cap. II.

IV. Apud Catholicos Doctores multae passim leguntur Sacramenti definitiones, quae tametsi non nullis verbis discrepent, et aliae minus, aliae vero magis evolutae sint, unum tamen eumque orthodoxum habent sensum. Omnium maxime probantur nobis geminae

Sacramentorum definitiones, ex Cathechismo Concilii Tridentini petitae, quae in eundem sensum recidunt. Prima habetur Parte II. Cap. I. Num. V. his verbis: *Sacramentum est invisibilis gratiae visibile signum, ad nostram justificationem institutum.* Altera Num. X. *Sacramentum est res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione, sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet.* Dicitur I. *Signum*, quia ducit nos in cognitionem rei alterius, nempe gratiae, et sanctificationis, quam Sacramenta et significant, et efficiunt. II. *Sensibile*, id est, externum, atque aliquo sensu perceptibile, eoquod Sacramenta signa esse debeant hominum conditioni accommodata, qui rebus sensibilibus ad rerum spiritualium notitiam deduci solent; ut enim S. Chrysostom. scribit Homo. LXXXIII. in Matth. *Si incorporeus esses, ita et incorporea dedisset tibi Deus dona, sed quoniam corpori anima conferta est, in sensibilibus intelligibilia tibi praebet.* III. *Invisibilis gratiae*, nimirum sanctificantis. Atque hoc praedicatum, esse signum gratiae, ad cujusvis Sacramenti rationem ita requiritur, ut ne veteris quidem legis Sacramenta fuerint hac praerogativa destituta; quamvis diverso modo fuerint signa gratiae. Sacramenta etenim novae Legis sunt signa gratiae praesentis demonstrativa, quam in ipso suscipiente efficiunt, si obstaculum non ponatur: Sacramenta vero antiquae Legis significabant gratiam dandam per Christum in Lege nova; et ideo dicuntur signa prognostica. Hoc discrimen indicant *Eugenius* IV. in Decreto pro Armenis edito, sacro approbante Florentino Concilio. *Novae legis Sacramenta*, inquit, *multum a Sacramentis antiquae legis differunt. Illa enim non causabant gratiam;*

sed eam solum per Passionem Christi dandam esse significabant : haec vero nostra et continent gratiam, et eam digne suscipientibus conferunt. IV. *Ad nostram justificationem*, non externam tantum et legalem, quam Sacramenta etiam veteris legis producebant; sed internam, veram, et perfectam, quae sit per gratiam gratum facientem; ita ut Sacramenta novae legis in suscipiente rite disposito causent ipso sui usu, lege infallibili, et ex opere operato, seu ex virtute sibi intrinseca, gratiam sanctificantem qua constituimur filii Dei adoptivi. V. *Institutum*, et quidem duplici sensu. Ac. I. quidem, quia Sacramenta non sunt signa gratiae naturalia, sed signa ad placitum, atque ex institutione divina; neque enim illa ex natura sua vim habent significandi et conferendi gratiam. II. Quia Sacramenta instituta sunt lege stabili, ita ut sint signa stabilia, quae non uno solum casu, aut respectu alicujus personae particularis; sed saepius, diutius, in commodum totius communitatis, atque constantem usum Ecclesiae, eodem modo ac ritu administrari possint ac debeant, atque hanc stabilitatem esse necessariam ad rationem Sacramenti, constat ex communi omnium fere Doctorum consensu, atque ex eo etiam capite, quia Sacramenta novae legis praecipue sunt ritus Religionis Christianae : stabilia igitur sint oportet, prout ipsa Religio stabilis est et perpetua. VI. *Divinitus*, sive *ex Dei institutione*, hoc est, immediate a Deo, vel mediate saltem authoritate divina. Sicut enim solus Deus est author gratiae, ita nemo potest signa sensibilia instituere, quae infallibiliter denotent, atque ipso sui usu conferant gratiam, nisi vel Deus sit, vel a Deo hanc potestatem acceperit.

V. Ex his colliges I. Lignum vitae in statu innocentiae, Israelitarum per mare rubrum trajectionem, manna, serpentem aeneum, aquam de petrafluentem, non fuisse Sacramenta; quia licet significarent gratiam nobis per Christum conferendam, non referebantur tamen ad cultum Dei, et nostram sanctificationem, sed usus eorum erat mere profanus; lignum enim vitae erat destinatum ad conservandam vitam naturalem, serpens aeneus ad curanda vulnera per serpentes ignitos inflicta, transitus maris rubri ad fugendos insequentes Aegyptios, manna ad alendum, et aqua de petra ad depellendam sitim Israelitarum. II. Isaaci immolationem, Spiritus Sancti illapsum sub forma columbae in baptismo Christi, et sub forma linguarum ignearum die Pentecostes, insufflationem Christi in Apostolos, lotionem pedum in ultima coena, ac baptismum Joannis non fuisse vera Sacramenta quia non erant signa permanentia. III. Idem dicendum esse de absolutione ab excommunicatione, de signo Crucis, de professione religiosa, cum ista non sint signum sanctitatis perfectae, seu gratiae habitualis. IV. Sacrementorum e numero pariter excludenda esse Sacramentalia, seu ritus et caeremonias sacras, quae ad decentiorem Sacramentorum administrationem adhiberi solent: item varias benedictiones, consecrationes Regum etc.; eoquod haec a Deo instituta non fuerint ad significandam directe gratiam.

VI. Partes, quibus constant Sacramenta, apud veteres Ecclesiae scriptores simpliciter res Sacramentorum dicebantur; paulo distinctius tamen aliquando designabantur per elementum, et verbum. Quo sensu de baptismo scribit *S. Augustinus* Tract. LXXX. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.*

Neque desunt veterum Patrum monumenta quibus constat, formae nomine intelligi ab ipsis totum ritum externum Sacramenti, per rem vero Sacramenti illius effectum, nempe gratiam sanctificantem. *Gulielmus Altissiodorensis*, qui Saeculo XIII. circa tempore Lateranensis IV. Summam Theologicam conscripsit, omnium primus fuit, qui partes Sacramentorum per materiam et formam explicavit. Ab eo vero tempore, summo consensu recepta fuit haec explicatio, et publico etiam usu Ecclesiae consecrata est in *Decreto Eugeniano* pro Armenis: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Eamdem deinceps loquendi formam, commodam nimirum et facilem ad intelligendum, Ecclesia etiam Graeca probavit, ut patet ex responso Jeremiae Patriarchae CPolitani ad Lutheranos Wirtembergenses, Cap. VII, atque ex Gabriele Philadelphiae Metropolita in libello de Sacramentis.

VII. Modus hic explicandi Sacramenta per materiam et formam ex analogia fluxit, quae est inter totum Sacramentale morale, et totum physicum. Nam I. sicut in composito physico materia praecedit, forma accedit: ita in Sacramento verbum accedit ad elementum: II. Sicut in toto physico materia ex se indifferens est, et indeterminata ad hoc vel illud compositum, determinatur autem per formam; ita etiam in composito Sacramentali actiones ministri, et suscipientis, per verba magis determinantur ad esse Sacramentale. III. Sicut in composito physico materia est imperfecta, forma vero perfecta, et rem ipsam constituit: ita in Sacra-

B 2

mento verba sunt rebus perfectiora, et apertius gratiam significant. Sic v. g. in baptismo aqua quae refrigerandi perinde ac abluendi vim habet, accedente verbo vitae sive forma, ad interiorem animae mundationem significandam coarctatur. Porro per materiam intelligitur illud omne sensibile, quod magis confuse gratiam significat, sive illud sensibile sit res quaedam seu substantia, qualis est aqua in Baptismo, unctio in Confirmatione etc. sive sit quaedam actio ex parte Ministri, aut ex parte suscipientis Sacramentum, qualis est manus impositio in Ministro Confirmationis et Ordinationis, et contritio, confessio ac satisfactio in poenitente. Formae nomine intelliguntur non tantum verba proprie dicta, quae ore proferuntur; sed in omne quod in Sacramento rem sensibilem arctius et clarius restringit ad significandam gratiam sanctificantem, sive illud verbum sit vocale, sive non, ut sunt v. g. nutus et similia signa, quando matrimonium contrahitur.

VIII. Quodlibet Evangelicae Legis Sacramentum necessario constare rebus tamquam materia, et verbis tamquam forma, patet tum ex doctrina Florentini superius Num.VI. citata, tum ab inductione singulorum Sacramentorum, de quibus singillatim suo loco agemus. Ratio a priori est institutio Christi, quae nobis certo innotescit per traditionem. Ratio autem congruentiae est, ut Sacramenta novae legis essent magis signa sensibilia et clariora gratia quam conferunt. Caeterum dixi, *Quodlibet Evangelicae Legis Sacramentum.* Licet enim essentiale sit omni Sacramento cujuscunque status constare ex rebus, cum omne Sacramentum necessario sit signum sensibile; tamen necesse non est, ut omne Sacramentum constet

verbis: siquidem Sacramenta in lege veteri, ut v. g. circumcisio, ritus agni pascalis, consecrationes Pontificum et Sacerdotum celebrabantur absque prescripta verborum forma; quia verba sunt signa expressiora, minimeque convenientia statui legis veteris, in qua mysteria sub umbris latebant. Neque obstat, quod *Levit* Cap. IV. cum sacrificium pro peccato Principis praescribitur, legantur haec verba: *Rogabitque pro eo Sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei.* Nam haec oratio non praescribitur, ut ea tamquam forma perficiatur Sacramentum, sed ut peccati remissio facilius impetretur. Illud hic praeterea observat *Dominicus Soto* in IV. Sentent. Dist. I. Quaest. I. Art. VI. fidei esse Catholicae, Sacramenta constare rebus et verbis, quod sine manifesta haeresi negari non posset: quod vero res materiae, verba autem formae nomine donentur, ex usu dumtaxat Theologorum invaluisse, a quo recedere jam non licet, cum sit totius Ecclesiae praxi approbatus et consegratus.

Dari vera aliqua novae Legis Sacramenta negarunt saeculo II. Archontici, vel a quodam Anachoreta, cui nomen Archon, vel quod Archangelos ut creatores mundi venerarentur sic dicti, quorum insaniam posterioribus temporibus secuti sunt Ascodriti, seu Ascodrupitae, et Manichaei, ac saeculo XVI. Gaspar Schwenkfeldius, Eques Silesius, homo supra modum spiritualis et angelicus, qui solo spiritu vivendum esse dicebat. Neque mirum est, quod ille Sacramenta omnia de medio tollere conatus sit, qui Scripturarum etiam divinarum litteras et verba contempsit. At vero longe majores exarsere lites cum Novatoribus circa numerum Sacramentorum. Pauci ferre, qui omnia novae legis Sa-

cramenta negarunt; multi vero qui Sacramentorum numerum imminuere ausi sunt. Missi veterum haereticorum erroribus, Sectariorum nostri aevi errores circa numerum Sacramentorum paucis perstringo. *Lutherus* initio libri de Captivit. Babylon. scribit: *Principio neganda mihi sunt septem Sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, poenitentia, panis.* Mox eadem pagina: *Quamquam si usu Scripturae loqui velim, non nisi unum Sacramentum habeam, et tria signa Sacramentalia.* Denique in fine ejusdem libri: *Si rigide loqui volumus, tantum duo sunt in Ecclsia Dei Sacramenta, baptismus et panis.* In libro de Missa privata, quem edidit A. 1534. et in Assertionibus contra Lovanienses, quas conscripsit anno 1545, unico nempe ante mortem suam anno ait: *Poenitentiam cum virtute clavium absolventium Sacramentum libenter confitemur; habet enim promissionem, et fidem remissionis peccatorum propter Christum.* Philippus Melanchton in Locis communibus A. 1522. duo tantum agnoscit Sacramenta, Baptismum et Eucharistiam. A. 1530. in Apologia Confess. Augustanae, qui liber apud Lutheranos symbolicus est, et in cujus verba jurare debent, qui ad gradus, vel pastoratum apud ipsos promoventur, adiungit tertium, nempe Poenitentiam; Titulo enim de usu et numero Sacramectorum, Art. XIII. dicitur: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiae, facile est judicare, quae sint proprie Sacramenta. --- Vere igitur sunt Sacramenta, baptismus, Coena Domini, absolutio, quae est Sacramentum poenitentiae. Nam hi ritus habent mandatum Dei, et promissionem gratiae, quae est propria novi Testa-*

menti. Idem in Locis communibus A. 1536. et 1558. editis, Cap. de Num. Sacrament. aperte quatuor admittit Sacramenta. *Mihi maxime placet*, inquit, *etiam addi Ordinationem, ut vocant, id est, vocationem ad ministerium Evangelii; quia haec etiam Evangelico mandato praecipitur, et addita est promissio.* Quin in eadem editione. A. 1558. maxime propendet ad quintum addendum, nempe Matrimonium; fatetur enim matrimonium; esse signum rei sacrae, et habere mandatum divinum, annexamque promissionèm gratiae. Unum tantum ait ei deesse, quod fuerit ante Christum. Biennio post obitum Lutheri, nimirum A. 1548. in conventu Lipsiensi Melanchton cum aliis doctoribus Vitenbergicis, qui molliores Lutherani appellati sunt, septem omnino Sacramenta cum Catholicis admisit, ut refert *Joannes Sleidanus* Hist. Lib. XX. Ex quo facile conjicies, quam acri laborarint vertigine Lutherus et Melanchton, posteaquam a certo veritatis regula deviarunt. Ulricus Zwinglius novae sectae apud Tigurinos conditor, pro imperio ac potestate sua rejectis quatuor, Lib. de vera et falsa Religione tria dumtaxat agnoscit Sacramenta. Baptismum, Coenam, et Matrimonium. Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XVIII. quo admittit, Baptismum, et Coenam, Verum Cap. XXI. atque in Antidoto Conc. Trident. Sess. VII. Cap. IV. paulo liberalius agit, et Presbyteratus quoque Ordinem pro Sacramento recipit.

X. *Conclusio*. Sacramenta novae Legis sunt septem, neque pauciora, neque plura, nimirum Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Unctio extrema, Ordo, ac Matrimonium. Missis in praesentia

rum Scripturae ac Patrum testimoniis, quae longo ordine proferemus, ubi de quolibet Sacramento singillatim sermo erit, probatur Conclusio argumento unico praescriptionis, quae, prout a Theologis hic accipitur, est publica, constans, perpetua, et numquam interrupta omnium Ecclesiarum, ab Apostolicis temporibus ad nostram usque aetatem, in doctrinam aliquam conspiratio. Saeculo XVI, quo Lutherus et Calvinus nova sua dogmata disseminarunt, doctrina de septenario Sacramentorum numero tam antiqua erat, constans ac pervulgata per omnes Ecclesias Orientis et Occidentis, ut quo primum tempore nata fuerit, qua aetate inoleverit, quibus artificiis, quibus suasoribus fuerit generaliter approbata, ostendi a Protestantibus nequeat. Ergo semper et ubique creditum est septem esse Sacramenta. Ergo doctrina illa vere Apostolica et divina est, juxta illud Augustini Lib. IV. de Baptismo contra Donatistas, Cap. XXIV. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

XI. Prob. Anteced. de Ecclesia Latina, sive Occidentali. Concilium *Londinense* celebratum A. 1237. authoritate Othonis Sedis Apostolicae Legati, de Sacramentorum numero, tamquam de re comperta et omnibus explorata haec habet: *Sacramenta vero principalia quae sunt, et quot, propter simpliciores exprimenda duximus: Baptismus, Confirmatio, Poenitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, Matrimonium, atque Ordo.* Concilium Claromontanum habitum A. 1268. tamquam omnibus compertum septenarium Sacramentorum numerum recenset. Synodus *Coloniensis* sub Sigefrido Archiepiscopo A. 1280. sivi subjectos Clericos,

et maxime Sacerdotes instruit, qualiter in susceptione et administratione septem praenumeratorum Sacramentorum se habere debeant. Synodus *Exoniensis* in Anglia A. 1287. Cap. I. propter simpliciores breviter exponit septem Sacramenta. *Florentinum* in Decreto pro Armenis A. 1439. edito ait: *Novae Legis septem sunt Sacramenta: videlicet Baptismus etc.* Ergo cum de septenario Sacramentorum numero Concilia jam a Saeculo XIII. loquantur tamquam de re omnibus notissima, nemine reclamante, antiquam doctrinam circa numerum Sacramentorum esse mutatam, conficitur, dogma de septenario Sacramentorum numero esse antiquissimum, Apostolicum, ac divinum. Protestantes profecto si id negent, ostendere nobis tenentur, quis tandem fuerit novi hujus dogmatis fabricator, qua authoritate praeditus, ut universo Occidenti persuadere potuerit contra doctrinam veterem, non duo aut tria, sed septem omnino esse Evangelicae Legis Sacramenta. Certe mutatio haec nec repentino impetu contingere in omnibus Occidentis Ecclesiis, nec paullatim in illas irrepere potuit absque maximis turbis ac dissidiis populi Christiani, quem mutatio haec in re adeo facili, quotidiana, omniumque oculis exposita latere non potuisset. At vero nullam prorsus harum turbarum, nullum dissensionis idcirco exortae apud Ecclesiasticos profanosque Scriptores extat vestigium: nullos Antistites, quorum Ecclesia Dei quovis saeculo plures semper numeravit omnis novitatis impatientes, umquam obstitisse legimus gliscenti huic, ut Protestantes vocant, errori. Ergo certum manet ac constitutum, doctrinam hanc de septenario Sacramentorum numero Divina niti traditione. Hinc Tridentinum Sess. VII. Can. I. jure pronunciavit:

Siquis dixerit, Sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum: anathema sit.

XII. Prob. idem Anteced. de Ecclesia Graeca, sive Orientali. Cum Martinus Crusius Graecae linguae Professor Tubingae, inito cum contribulibus suis Lutheranis consilio, confessionem suae fidei *Jeremiae* Patriarchae Constantinopolitano Schismatico A. 1575. obtulisset per Stephanum Gerlachium, Caesarei Oratoris Constantinopoli Ministrum, ut Graecos in societatem doctrinae suae pelliceret, eam illico Patriarcha doctissima censura confutavit, quam latinitate donavit Stanislaus Secolovius. In hac Orientalis Ecclesiae censura Cap. VII. dicitur, *Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam esse eorum hominum, qui ea omnia quae legibus antiquis perscripta sunt, a sacrisque Canonibus definita, ab ipso denique Spiritu Dei per Sanctos Patres sancita et firmata, pie et sancte servant, et tuentur. In ea item ipsa Catholica et Orthodoxa Ecclesia septem Sacramenta esse, Baptismum scilicet, sacri unguenti Unctionem, sacram Communionem, Ordinationem, Matrimonium, Poenitentiam, et extremae Unctionis oleum.*

XIII. Saeculo XVII. *Cyrillus Lucares.* Batavicae pecuniae largitione in Patriarchatum Constantinopolitanum intrusus, ut Patronis suis gratiam redderet, Calvinianam fidei confessionem consarcinavit, in Hollandia dein typis datam, in qua praeter caetera insigni

mendacio legebatur, Graecorum perpetuam et constantem esse doctrinam, duo tantum Sacramenta, Baptismum nempe, et Eucharistiam, a supremo Legislatore Christo fuisse sancita. At re comperta, A. 1638. Graeci *Constantinopoli* Synodum coëgere, in qua praesentibus Metrophane Alexandrino, Theophane Jerosolymitano, aliisque Episcopis XX. ac magnae Ecclesiae Constantinopolitanae Officiariis XXIII. sede sua expulsus est Lucaris, subrogato ei Cyrillo Berrhocensi, atque anathema ei a Concilii Patribus dictum est his verbis: *Cyrillo dogmatizanti et credenti, non esse septem Ecclesiae Sacramenta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Poenitentiam, Eucharistiam, Ordinem, Unctionem extremam, et Matrimonium, juxta Christi dispositionem, Apostolorumque traditionem, nec non et Ecclesiae consuetudinem: sed mentienti duo tantum a Christo in Evangelio fuisse tradita, Baptismum scilicet, et Eucharistiam, uti videre est in decimo quinto ejus capitulo; Anathema.* A. 1642. in altero Concilio Constantinopolitano, praesidente Parthenio ejusdem Urbis Patriarcha, subscribentibus Petro Mogila Archiepiscopo Kioviae, ac totius Russiae Primate; Episcopis XXII. aliisque Abbatibus, ac Cleri Graeci primoribus, suppresso Cyrilli Lucaris nomine, damnata iterum fuit ejus Confessio, praeter alia etiam ex eo capite, quod, ut inquiunt Patres Artic. XV. *neget quinque Ecclesiae Sacramenta; Sacerdotium, sacram unctionem, sacrum oleum, confessionem cum poenitentia, et honorabiles nuptias; quae omnia ut sacra, et divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.* A. 1672. cum in vulgus spargerent Calviniani, Ecclesiae Graecae dogmata conformia esse reformatae confessioni, con-

luit *Constantinopoli III.* Synodus, praesidente Dionysio Constantinopolitano, in qua iterato declaratum est, Ecclesiae Orientalis doctrinam circa numerum Sacramentorum, realem Christi in Eucharistia praesentiam, cultum et invocationem Sanctorum, Canonem Scripturarum divinarum etc. doctrinae Romanae Ecclesiae conformem esse, reformatae vero e diametro contrariam. *Interrogantibus itaque*, inquiunt, *dicimus, sancta ac veneranda septenario numero esse apud nos Sacramenta, a quo primum sacri Evangelii nobis lumen illuxit.*

XIV. Eodem anno 1627. *Dositheus* Patriarcha Jerosolymitanus, Latinae Ecclesiae perquam infensus; quam tribus libris Buchoresti in Valachia editis acerrime impugnavit, Synodum habuit, ad quam sex Metropolitae, pluresque Episcopi et Archimandritae confluxere. In hac damnata sunt Capitula XVIII. Calvinianorum. Capitulo XV. ait Synodus: *Credimus esse in Ecclesia legis novae Sacramenta, eaque septem, nec minorem majoremve in Ecclesia Sacramentorum numerum admittimus: siquidem Haereticorum dementiae foetus est alius Sacramentorum numerus quam septenarius.* Eamdem ipsam circa septenarium Sacramentorum numerum doctrinam tradunt Euchologia, seu Rituales libri Graecorum, non eorum tantum; qui abinrato schismate Ecclesiae Romanae reconciliati sunt, sed illorum etiam qui in schismate perseverant ab unitate Catholica divulsi; immo Coptorum etiam, Jacobitarum, Nestorianorum, et quicumque in vastis Asiae regnis Christianum nomen gerunt. Ergo in Oriente semper creditum est dari septem Sacramenta; nec plura, nec pauciora. Profecto incredibile omnino est ac paradoxum, tot populos Orientis, decem saeculorum spatio a Romanis ri-

tibus abhorrentes, longoque erga omne Latinum nomen odio inflammatos, rejecta Majorum suorum doctrina; nova quaedam Romanae Ecclesiae dogmata, a sex vel septem saeculis primum fabricata, (ut Protestantes garriunt,) tanta consensione animorum amplexatos fuisse. Vide *Renatum Le Drouven* de Re Sacramentaria Lib. I. Quaest. III. Cap. II. *Brocardum a S. Nicolao* in Profess. Fidei Cath. Tom. II. Artic. XIX. Paragr. III. *Josephum Biner* in Apparatu Eruditionis, Parte IX. Cap. XVII.

XV. Ratio a priori, cur septem sint novae legis Sacramenta, alia dari non potest quam voluntas et institutio Christi; hujusque voluntatis rationem congruam assignat *S. Thomas* Parte III. Quaest. LXV. Art. I. atque ex eo *Catechismus Romanus* Parte II. Cap. I. Num. XVIII. per analogiam inter vitam corporalem, et spiritualem. Nam in vita corporea requiruntur quaedam ex parte singulorum hominum, quaedam ex parte totius Reipublicae. Ex parte singulorum hominum tria per se requiruntur, nempe generatio, augmentatio, nutritio: et duo per accidens, nimirum remedium contra morbos, si homo aegrotet, et remedium contra reliquias morbi, ut perfecte convalescat. Ex parte Reipublicae requiruntur tum parentes, quorum est humanum genus propagare; tum Principes et Magistratus, quorum est eamdem regere. Sic in vita spirituali respectu singulorum requiritur generatio, quae fit per Baptismum, augmentatio per Confirmationem, nutritio per Eucharistiam, remedium contra morbos per Poenitentiam, si regeneratus peccet: ac remedium contra reliquias peccatorum per extremam Unctionem. Ex parte Reipublicae requiritur Ordo sa-

cer quo regantur Fideles, et Matrimonium quo propagentur homines ad cultum Dei.

XVI. *Quaeres I.* An in statu innocentiae, ante Parentum primorum culpam extiterint aliqua Sacramenta? R. negative, tum quia nullum eorum extat vestigium in Scriptura aut traditione: tum quia Sacramentum est signum stabile ac permanens in religione. Ergo cum status innocentiae exiguo durarit tempore, consentaneum non erat institui Sacramenta tam cito abolenda. Ex quo colliges, matrimonium Adami et Evae non fuisse Sacramentum vere tale, sed improprie dictum, ac in sensu latiori; eo fere modo, quo lignum vitae in Paradiso ab Augustino Sacramentum vocatur; quia matrimonium illud institutum tantum fuit in usum naturae ad propagandos homines, non vero ut suscipientes sacraret. Unde Apostolus de illo verba faciens ad Ephes. Cap. V. non ait illud fuisse, sed *esse in Christo et Ecclesia magnum Sacramentum*, temporibus nimirum Pauli, seu in Lege Evangelica.

XVII. *Quaeres II.* An in statu legis naturae; ab Adami lapsu ad promulgationem usque Mosaicae legis, vel saltem ad praeceptum usque Abrahamo ejusque posteris impositum de circumcisione, extiterint vera Sacramenta pro parvulis et adultis? R. affirmative. Et quidem pro parvulis extitisse tunc Sacramentum, et remedium quo ab originali macula mundarentur probatur I. ob silentium Scripturarum, authoritate Patrum. S. Augustinus Lib. V. contra Julianum, Cap. XI. scribit: *Nec ideo tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud*

esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit. Nam et Sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccatum mundi. Apertius etiam legis jam tempore nascentibus parvulis, offerebant sacrificia pro peccatis. Augustinum secuti sunt *Author* Librorum de Vocatione Gentium, Lib. II. Cap. XXIII. *S. Gregorius* M. Lib. III. Moral. Cap. III. *Beda* Lib. I. in Lucam. Cap. VIII. *S. Bernardus* Epist. LXXVII. *Arnoldus* Abbas Bonae Vallis Tract. de Operib. Christi cardinalibus qui inter Cypriani Opera legitur. *Innocentius III.* Cap. *Majores* et *S. Thomas III.* Parte, Quaest LXI. Artic. III. *Et ideo oportebat ante Christi adventum esse quaedam signa visibilia, quibus homo fidem sanam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et hujusmodi signa dicuntur Sacramenta.* Et in IV. Sentent Dist. I. Quaest I. Art. II. *Dicendum est, quod ante legem scriptam erant quaedam Sacramenta necessitatis, sicut illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad delectionem originalis peccati.* Prob. II. Ratione Theologica. Deus voluntate seria voluit etiam parvulos in lege naturae salvos fieri. Ergo Deus etiam in lege naturae parvulorum saluti consuluit per aliquod remedium, ad eluendam maculam originalem destinatum. Caeterum remedium hoc longe verisimilius est positum fuisse in fide venturi Messiae, signo aliquo vel actu exteriori demonstrata, per quem parvuli a parentibus, vel ab aliis Deo offerebantur et consecrabantur. Ut enim *Act.* Cap. IV. dicitur: *Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et S. Augustinus Lib. II. de Nuptiis et Concupisc. Cap. XI. *Superioribus temporibus omni modo latuit Sacramentum justificationis ex fide.*

Eadem tamen fides Mediatores salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis. - - - Quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum: sicut nos mortuum, ita illi moriturum. Atque hoc remedium legis naturae contra noxam originalem duravit etiam in lege Mosaica, locumque habuit tum in parvulis, qui ante VIII. diem circumcidi non poterant; tum in foemellis, ad quas praeceptum circumcisionis non pertinebat. Quod si quaeras, an fides illa parentum qua parvulis mundabantur, necesse fuerit ut charitate formata foret, Resp. negative: quia fides illa non operabatur virtute actus, seu personae credentis, sed virtute objecti, seu Christi qui credebatur venturus. Non sufficiebat tamen fides habitualis, sed actualis requirebatur, ea scilicet per quam parvulus Deo offerebatur. Ita *S. Thomas* in IV. Sentent. Dist. I. Quaest. II., Art. VI. ad II. Adultos quod attinet in statu legis naturae constitutos, certum videtur eos Sacramentis non caruisse. Fuere enim in illo statu sacrificia Deo oblata, ut patet exemplo Abelis, Cain, Job, Abrahami etc. Quidni igitur fuere in illo statu etiam Sacramenta? Maxime cum idem ritus exterior potuerit habere rationem simul et Sacrificii ad cultum Dei et Sacramenti ad sanctificationem hominis, quam non virtute ritus externi, sed merito fidei tunc homines consequebantur. Porro in adultis requirebatur fides charitate formata ad eluendam maculam peccati.

XVIII. *Quaeres. III.* An in statu legis scriptae, seu Mosaicae, extiterint Sacramenta? R. affirmative. Prob. assertio I. Authoritate *S. Augustini*, qui Lib. XIX. contra Faustum, Cap. XIII. scribit: *Sacramen-*

ta, quae observabantur, et celebrabantur ex lege, praenuntiativa erant Christi venturi: quae cum suo adventu Christus inplevisset, ablata sunt; et ideo ablata, quia impleta. – – – Et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. II. Authoritate *Florentini* in Decreto pro Armenis et *Tridentini* Can. II. Sess. VII., ubi discrimen statuitur inter Sacramenta Mosaica et Christi. Ergo manifeste ibi supponitur, reapse extitisse Sacramenta in lege veteri. III. Rationes. In lege Mosaica plures ritus et caeremoniae stabili institutione praescriptae reperiuntur, quae legalem et extrinsecam sanctitatem conferebant, et perfectam atque intraneam, quae per Christum danda erat, praefigurabant. Igitur caeremoniae illae, cum fuerint signa sacra et sensibilia, gaudebant ratione proprie dicti Sacramenti, tametsi nostris virtute et efficacia longe inferioris. Caeterum Sacramenta omnia legis Mosaicae ad quatuor classes revocati commode possunt, nempe ad circumcisionem, ad immolationem et esum agni Paschalis, ad Sacerdotum ordinationem, et ad varias expiationes immunditiarum legalium, ut libros Exodi et Levitici perlustranti patet.

XIX. *Quaeres IV.* An Christus Dominus omnia Sacramenta novae Legis instituerit, et quidem immediate? R. ad primam Quaesiti partem affirmative. Prob. assertio I. Authoritate S. Ambrosii Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. *Author Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* Et S. Augustini Epist. LIV. alias CXVIII. ad Januarium, ac Lib. de vera Relig. Cap. XVII. *Ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta*

saluberrima constituta sunt, quae societatem Christiani populi, hoc est, sub uno Dèo liberae multitudinis continerent. II. Authoritate Tridentini, quod Sess. VII. Can. I. ait: *Siquis dixerit Sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, - - - anathema sit.* Et in professione fidei, quam Pius IV. praescripsit, dicitur: *Profiteor quoque septem esse vere ac proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta.* III. Ratione Theologica. Ille solus potest Sacramenta instituere, qui solus potest corporalibus elementis tribuere vim sanctitatis et jüstitiae tum significandae, tum efficiendae. Atqui solus Dei, aut Christi est illa potestas. Ergo. *Confirm.* Sacramenta, cum sint fundamenta religionis et fidei, ab eo solo possunt institui, cujus solius est fidem condere, hominesque in unum religionis nomen colligere. Atqui solus Deus est author verae religionis et fidei. Ergo.

XX. Ad alteram Quaesiti partem Resp. Quamvis sententia affirmans omnia prorsus novae legis Sacramenta a Christo Domino per se ipsum immediate fuisse instituta, ad fidem non pertineat, eoquod in Scripturis clare non sit expressa, neque a Tridentino decisa fuerit; certa tamen nunc est atque explorata, neque in dubium amplius trahi potest, quidquid olim veteres quidam Scholastici senserint, Lombardus, Hugo Victorinus, Alensis, et S. Bonaventura, putantes, Ecclesiam authoritate sibi a Christo tradita, aliqua Sacramenta instituisse. Prob. assertio I. negative; nullum enim in Scripturis aut traditione vestigium extat hujus potestatis a Christo Ecclesiae concreditae instituendi vera aliqua Sacramenta. II. positive. *Tridentinum*

Sess. VII. Can. I. superius recitato, dicit Sacramenta omnia a Christo fuisse instituta. Ergo, quamvis id non definiat, satis tamen innuit, Christum immediatum fuisse omnium Sacramentorum authorem. Si enim Ecclesia, potestate a Christo accepta, aliqua instituisset Sacramenta, non possent illa simpliciter dici instituta fuisse a Christo: alias reliquae omnes leges ab Ecclesia latae omnesque caeremoniae ab eadem praescriptae, appellari possent divinae, et a Christo latae. *Idem Tridentinum* Sess. XXI. Cap. II. docet, Ecclesiam in Sacramentorum dispensatione posse statuere vel mutare, quae eorumdem Secramentorum venerationi, vel utilitati suscipientiam expedire judicaverit, salva tamen illorum substantia. Quae ipsa exceptio satis ostendit, Ecclesiam non acoepisse a Christo potestatem instituendi Sacramenta; sed eorum substantiam fuisse a Christo traditam eidem ac praeceptam. Neque ex eo, quod Christus Apostolis et Ecclesiae potestatem dederit materiam et formam aliquorum Sacramentorum secundum speciem infimam determinandi, legitime inferri potest, Christum non fuisse immediatum Sacramentorum omnium authorem.

XXI. *Quaeres V.* An Christus, etiam qua homo est, Sacramenta omnia novae legis immediate instituerit? R. affirmative. Prob. assertio I. Authoritate Scripturarum. Christus de se ut homine Matth. Cap. XXVIII. ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Ergo etiam potestas instituendi Sacramenta; non illa quidem independens a Deo, ac par divinae, sed potestas excellentiae, seu ministerii principalis, et instrumenti conjuncti, cum humanitas Christi instrumentum fuerit Divinitatis, eidem per unio-

nem hypostaticam conjunctum in persona. II. Authoritate Patrum, qui dicunt ex latere Christi profluxisse Sacramenta. Et profecto Passio Christi, quae ei secundum humanam naturam competit, causa fuit nostrae justificationis, omnemque, quam habent, Sacramentis virtutem indidit.

XXII. *Quaeres VI.* An Christus determinaverit materiam et formam omnium Sacramentorum quoad substantiam, et saltem in genere. Sive, an Christus Sacramenta instituendo, etsi signum illud per se non determinaverit, praeceperit tamen assumendum esse signum aliquod exterius aptum et idoneum ad finem instituti Sacramenti significandum? R. affirmative. Prob. assertio I. Authoritate Tridentini, quod Sess. XXI. Cap. II. ait: *Praeterea declarat* (Sancta Synodus) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret.* Ex quibus habetur, Christum ipsum Sacramenta omnia instituisse; et cum haec materia et forma constent, illum etiam quoad substantiam ita determinasse, ut Ecclesia easdem immutare nequaquam possit. Prob. II. Ratione Theologica, quam effert *S. Thomas* in Summa, Parte III. Quaest. LX. Artic. V. *Non autem pertinet ad aliquem determinare illud quod est in potestate alterius, sed solum id quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res, quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in*

Sacramentis novae legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud I. ad Cor. VI. Abluti estis, sanctificati estis, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

XXIII. *Quaeres VII.* An Christus non tantum in genere, sed etiam in specie, vel secundum speciem infimam, per se ipsum determinaverit formam et materia omnium Sacramentorum? Antequam respondeam, noto I. res et verba Sacramentorum potuisse duobus modis a Christo determinari, in genere scilicet, et in specie. In genere quidem, si tantum praescripsisset assumendum esse signum aliquod exterius, idoneum ad finem instituti Sacramenti significandum; Ecclesiae vero potestatem fecisset tale signum eligendi ac determinandi. In specie, si ipsemet Christus signum illud determinasset, imposita lege eo semper utendi, ut v. g. aqua in Baptismo, pane et vino in Eucharistia conficienda. II. Quod moralis materia Sacramentorum pendeat a legibus Ecclesiae, ut rata sit, et verum efficiat Sacramentum. v. g. post promulgatum Decretum Concilii Tridentini irritantis matrimonia clandestina, mutuus contrahentium consensus, clanculum et contra Ecclesiae leges datus, nullus est, atque irritum facit matrimonium; non quod mutetur materia Sacramenti a Christo instituta, sed quod personae inhabiles reddantur ad contrahendum. III. Juxta omnes certum est, aliquorum Sacramentorum, v. g. Baptismi et Eucharistiae materiam et formam a Christo Domino in specie fuisse determinatas. *Joan.* Cap. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Matth. Cap. XXVIII. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.* Lucae Cap. XXII. *Accepto pane gratias egit,*

et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum.
IV. Exploratum pariter est, Christum reliquisse Ecclesiae determinandas formas aliquorum Sacramentorum, modo illorum effectus sufficienter exprimatur. Sic aliis verbis Ecclesia Graeca utitur, aliis Latina in conferendis Sacramentis Confirmationis et Ordinis. *Graeca* quidem in Sacramento Confirmationis hanc formam adhibet: *Signaculum donationis Spiritus Sancti.* Et in collatione Presbyteratus: *Divina gratia, quae semper infirma curat: et quae desunt, supplet, promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia Sanctissimi Spiritus.* Latina vero in Sacramento Confirmationis: *Consigno te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris etc.* Et in collatione Presbyteratus: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini, Amen. Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.*

XXIV. His praemissis Resp. Christum Dominum aliquorum Sacramentorum materiam et formam non nisi generatim determinasse, ac reliquisse Apostolorum et Ecclesiae arbitrio delectum rerum et verborum, quae apta essent ad significandum Sacramenti effectum. Prob. assertio tum negative, quia neque ex Scriptura neque ex Traditione ostendi potest, omnium Sacramentorum materiam et formam secundum speciem infimam ab ipso Christo fuisse determinatam: tum etiam positive, ex diverso nimirum ritu, quo utitur Ecclesia Graeca et Latina in conferendo Diaconatu et Presbyteratu. Materia siquidem utriusque apud Graecos est sola manuum.

Episcopalium impositio; apud Latinos vero, juxta Decretum Florentini Concilii pro instructione Armenorum, complectitur quoque traditionem Libri Evangeliorum in Diaconatu, calicis et patenae cum hostia et vino in Presbyteratu. Ergo cum utraque Ecclesia valide ordinet suos ministros, adhibita quamvis diversa materia, Christus secundum speciem infimam non determinavit materiam omnium Sacramentorums. Verum hac de re uberior redibit sermo Tomo VII. ubi ex instituto agemus de Sacramento Ordinis. Neque dicas, Decretum illud non esse Concilii Oecumenici Florentini, eo quod Graeci quinque propemodum mensibus ante illud Decretum, sancita jam cum Ecclesia Latina pace, Florentia discesserint. Si enim Graecorum Episcoporum absentia prohibet, quo minus Occidentalium Episcoporum Concilium sit Oecumenicum, e numero Synodorum Generalium delenda erunt Lateranensia V. Concilia, Lugdunense I. Viennense, ac denique etiam Tridentinum.

XXV. *Quaeres VIII.* An mutatio substantialis, aut etiam accidentalis materiae vel formae obsit valori Sacramentorum? Resp. Si mutatio materiae et formae sit Theologice substantialis, Sacramentum reddit invalidum; non item mutatio solum accidentalis. Prob. assertio I. Authoritate Patrum. *S. Basilius* Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XII. scribit: *Oportet enim inviolabilem manere traditionem --- ut quidquam addere aut detrahere plane sit ab aeterna vita excidere. Proinde si in Baptismo separare Spiritum a Patre et Filio, ut periculosum est baptizanti, ita baptismum accipienti inutile.* Eadem autem ratio est de reliquis Sacramentis, quae de baptismo. II. Ex praxi Ecclesiae,

quae reprobavit baptismum Valentinianorum; hi enim, ut referunt *S. Irenaeus* Lib. I. adv. Haereses, Cap. XVIII. et *Eusebius* Hist. Eccles. Lib. IV. Cap. X. his verbis baptizabant: *In nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium Matre, et in eo qui descendit in Jesum.* Eadem pariter de causa, quia non utebantur verbis evangelicis, *Nicaeneum I.* rejecit baptismum Paulianistarum. III. Ratione. Mutatio Theologice substantialis materiae aut formae tollit materiam aut formam a Christo institutam. Ergo cum Sacramentum esse nequeat sine materiam et forma a Christo instituta, mutatio Theologice substantialis reddit Sacramentum invalidum. At vero si mutatio materiae et formae sit tantum Theologica accidentalis, adhibetur quoad substantiam materia et forma a Christo praescripta, adeoque valor Sacramenti subsistit. Caeterum qui aliquid, quamtumvis id leve videri possit, et valori Sacramentorum non inimicum, ex contemptum mutat, graviter peccare censendus est; qui enim ita est affectus, ut res parvas nihili pendat, Ecclesiam ipsam et Spiritum Sanctum, a quo regitur, adspernatur.

XXVI. *Quaeres IX.* Quandonam materia et forma censeatur substantialiter, aut tantum accidentaliter mutata? Resp. illa mutatio materiae censenda est Theologice substantialis, per quam materia ita mutatur, ut haec juxta communem usum et aestimationem moralem non amplius contineatur sub proprio significato illarum vocum, quibus materia a Christo requisita exprimitur a Scriptura et Ecclesia: accidentalis autem Theologice tantum erit, si non ita mutetur. Porro illud hic notandum est, quod ad materiae mutationem Theologice substantialem parum referat, sive materia

illa mutetur physice quoad substantiam, sive non mutetur. Sic massa panis cocti in sensu physico non nisi accidentaliter differt a massa non cocta; et tamen haec variatio est Theologice substantialis, quia massa illa farinae, secundum communem usum et aestimationem moralem non venit nomine panis. Contra vinum v. g. Hispanicum, etsi differret specie v. g. a Rhenano; in consideratione tamen Theologica non nisi accidentaliter differt, quia utrumque est vinum de vite. Rursus aquam fluidam esse, vel frigore duratam, in sensu physico non dicit mutationem nisi accidentalem; et tamen mutatio illa est Theologice substantialis respectu baptismi, quia aqua congelata non est materia illi conferendo idonea: cum enim baptismus consistat in usu, et ablutione actuali, debet illius materia, scilicet aqua, habere actualem et proximam habitudinem ad abluendum, quae non habetur in glacie.

XXVII. Pari modo mutatio formae tunc censenda est Theologice substantialis, quando forma ita mutatur, ut juxta communem usum et aestimationem moralem non amplius retineat sensum et significationem verborum juxta commune Ecclesiae judicium determinate intentam: Theologice vero accidentalis solum erit, quando forma non ita mutatur. Ratio est, quia sensus et significatio verborum est veluti anima et substantia illorum, cum verbum proferatur propter sensum. Ergo tamdiu censenda sunt substantialiter eadem verba manere, quamdiu manet idem illorum sensus. Porro mutatio formae diversis modis contingere potest. I. Quando verba mutantur ex uno idiomate in aliud; et haec mutatio non est substantialis. II. Si in eodem

idiomate alia verba substituantur; debent vero haec eumdem sensum reddere, alias invalidum est Sacramentum. III. Fit mutatio per transpositionem verborum, quae non est theologice substantialis, si servetur sensus. IV. Per sejunctionem verborum formae, quae si talis sit et tam parva, ut voces moraliter conjunctae esse censeantur ad orationem componendam, et unum integrum sensum efficiendum, erit mutatio tantum accidentalis. V. Per additionem vel subtractionem. Si additio aut detractio sensum verborum corrumpit, irritum est Sacramentum; firmum vero ac ratum, si integrum servat verborum sensum. Hinc Ecclesia rejecit Eunomianorum baptismum, qui teste S. Epiphanio Haer. LXXVI. hanc formam usurpabant: *Babtizo te in nomine Dei increati, et Filii creati, et Spiritus sanctificantis a creato Filio creati.* Quibus verbis aperte tollebatur aequalitas et consubstantialitas trium Divinarum Personarum. VI. Per corruptionem verborum. Haec si fiat animo inducendi novum errorem, verbaque ambigua errorem ministri exterius exprimentia proferantur, ut non nisi pravo sensu intelligi possint, Sacramentum erit invalidum: si vero verba corrupte pronuncient ex imperitia, balbutie, aut linguae praecipitantia, ratum erit ac validum Sacramentum. Palmare hujus rei exemplum habemus in Epistola Zachariae Pontificis ad S. Bonifacium Moguntinum Saeculo VIII. apud Gratianum Cap. *Retulerunt*, de Consecrat. Dist. IV. *Retulerunt nuntii tui, quod fuerit in eadem provincia* (Bajoariorum) *Sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret, nesciens latini eloquii, infringens linguam dicebat. Baptizo te in nomine Patria, et Filia, et Spiritu Sancta. Ac per hoc tua*

Reverenda Fraternitas eos rebaptizare proposuit. Sed Sanctissime Frater, si ille qui ita baptizavit, non errorem introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis, infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans sic dixerit, non possumus consentire, ut denuo baptizentur.

XXVIII. *Quaeres X.* An liceat uti materia dubia in Sacramentorum administratione? Resp. Si certa non suppetit, quando ministrandum est Sacramentum ad salutem necessarium, urgetque periculum mortis, Minister licite potest, immo debet adhibere materiam dubiam; quia Christus Dominus Sacramenta instituit tamquam remedia in animarum salutem. Atqui prudenter dubia remedia applicantur urgente necessitate, atque ubi desunt certa atque indubitata, cum ex usu illorum remediorum spes aliqua salutis nascatur. At vero ubi certa haberi potest, grave peccatum est uti materia dubia. Prob. id I. Authoritate S. Augustini, qui Lib. I. de Baptismo contra Donatistas, Cap. III. scribit: *Graviter peccaret, in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta praeponeret.* II. Ex propositione I. inter damnatas ab Innocentio XI. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* III. Ratione Theologica. Materia dubia absque ulla necessitate dubiam reddit Sacramenti veritatem, quod fieri nequit sine gravi ejusdem Sacramenti injuria, et sacrilegio.

OBJECTIONES.

XXIX. *Objicitur I.* Silentium Scripturarum. Scripturae nullibi asserunt dari septem Sacramenta. Ergo R. I. Scriptura nullibi affirmat dari quatuor Evangelia. Ergo aliqua Evangelia ex illis quatuor sunt apocrypha? R. II. Omitto Anteced. cujus falsitatem ostendemus, ubi de Sacramentis in specie sermo erit, cum nullum sit ex septem Sacramentis, cujus existentiam Theologi non evincant ex Scripturis juxta mentem Patrum intellectis. Et N. C. Quamvis septenarios Sacramentorum numerus non expresse contineretur in Verbo Dei scripto, continetur tamen in Verbo Dei tradito, quod parem habet cum Verbo scripto authoritatem.

XXX. *Objicitur II.* Patrum silentium. Patres qui juxta Catholicos sunt depositarii Traditionum divinarum, altum silent de septenario Sacramentorum numero. Ergo hic non continetur in Verbo Dei tradito. *Confirm.* Nulla probabilis ratio assignari potest, cur Patres septenarii numeri mentionem non faciant, nisi dicatur, numerum hunc fuisse ipsis incognitum et peregrinum. Ergo. R. I. Nec Patres nec Scripturae ullibi asserunt, duo tantum aut tria dari Sacramenta. Ergo gratis a Protestantibus duo tantum vel tria statuuntur Sacramenta. R. II. D. A. Silent de septenario numero Sacramentorum, id est, non expresse designant numerum more arithmetico, dicendo, Sacramenta sunt septem, nec plura nec pauciora, C. A. Non admittunt tot Sacramenta, quibus hic numerus completur, N. A. et Conseq. Ad *confirm.* N. A. Patres de septenario Sacramentorum numero siluerunt, 1. Quia non

necessarium putabant ea litteris consignare, quae in luce publica, atque omnium veluti oculis posita, ipsaque praxi, ac veluti usu quotidiano trita erant, quaeque temporibus illis ab Haereticis in controversiam non trahebantur. II. Quia disciplina arcani vetabat Sanctum dari canibus; merito enim timebant Patres, ne sanctiora Religionis nostrae Mysteria venirent in manus et notitiam infidelium, a quibus facile in derisionem converti poterant. Hinc illud S. Augustini frequens de Eucharistia effatum, *Norunt Fideles*, quo verbo significare voluit, secretum esse debere, et ne Catechumenis quidem propalandum esse Mysterium, de quo loquebatur.

XXXI. *Dices 1.* Patres non solum silentio premunt septenarium Sacramentorum numerum, verum etiam insinuare videntur longe pauciora esse Sacramenta. Ergo. P. A. *S. Justinus* Apologia II. pro Christianis duorum tantum Sacramentorum mentionem facit, Baptismi, et Eucharistiae. *S. Cyrillus Jerosolymit.* in suis Catechesibus, et *S. Ambrosius* in libris de Sacramentis, atque in Tractatu de his qui mysteriis initiantur, de tribus tantum sermonem habent, nempe de Baptismo, Confirmatione, et Eucharistia. *S. Dionysius Areopagita* in libris de Hierarchia, licet Sacramenta Ecclesiae fuse prosequatur, de extrema tamen Unctione et Matrimonio verbum non facit, facturus utique, si eadem pro Sacramentis habuisset. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Justinus edita apologia calumnias dissipat, quibus Christiani ab Ethnicis impetebantur, atque in ea ostendit I. Christianos non esse Atheos, cum unum Deum in tribus personis impense colant, et data occasione de Baptismo, Christianae Re-

ligionis primordio, tractat. II. Christianos non vesci humanis carnibus diserte probat, sed Corporis et Sanguinis Christi participes fieri. De reliquis Sacramentis silet, quia vel erant Gentilibus ignota, vel sine calumniae nota celebrabantur. Cyrillus et Ambrosius de tribus tantum Sacramentis agunt, quia Neophytos instruunt, quibus eadem die administrari solebant Baptismus, Confirmatio, et Eucharistia. Author librorum de Hierarchia, quem aliqui Dionysium Areopagitam esse volunt, licet plures ex recentioribus dissentiant, agit de functionibus hierarchicis, quas Episcopi cum aliqua Fidelium consecratione exercent: quapropter neque de Matrimonio dicendum ei fuit, neque de Unctione infirmorum, per quae, proprie loquendo, non consecrantur qui ea suscipiunt.

XXXII. *Dices II.* Patres positive excludunt e numero Sacramentorum ritus aliquos, qui a Catholicis habentur ut Sacramenta. Ergo. P. A. I. S. Augustinus Lib. III. de Doctrina Christiana, Cap. IX. scribit: *Paucorum pro multis* (Sacramenta) *eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus, et Apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, et celebratio Corporis et Sanguinis Domini.* II. S. Ambrosius postquam de Baptismo, Eucharistia, et Confirmatione tractavit, affirmat se plenissime dixisse de Sacramentis. Ergo reliqua quatuor non habuit pro Sacramentis. R. N. A. Ad *probat.* I. C. A. N. C. Augustinus l. c. duo illa Sacramenta allegat exempli causa, quin reliqua idcirco excludat, ut manifeste colligitur ex particula *Sicuti*, atque ex Enarratione I. in Psal. CIII. in illa verba, *Qui tegis aquis superiora ejus. Respice*, inquit, *ad*

munera ipsius Ecclesiae. Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in caeteris Sanctis Sacramentis. Ad *probat.* II. D. A. S. Ambrosius affirmat se plenissime dixisse de Sacramentis omnibus, N. A. De illis Sacramentis, quae fidelibus recens baptizatis eadem die administrabantur, C. A. N. Conseq.

XXXIII. *Dices III.* Patres, praecipue Chrisostomus, Cyrillus, Augustinus, Damascenus, ac plerique omnes Graeci locum illum Joan. Cap. XIX. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua*, ita exponunt, ut per aquam intelligant baptismum, per sanguinem Eucharistiam. Ergo duo tantum admiserunt Sacramenta. Resp. I. Patres varie locum hunc interpretatos fuisse. *S. Hieronymus* Epist. LXXXIII. ad Oceanum, et *S. Cyrillus Jerosolimit.* Cathec. III. sanguinem et aquam de solo baptismo intelligunt, qui vel in sanguine per martyrium, vel in aqua per sanctum lavacrum suscipitur. *S. Leo M.* Epist. IV. *S. Augustinus* et *Beda* in Cap. XIX. Joan. per sanguinem pretium nostrae redemptionis, per aquam volunt significari baptismum. Atque haec videtur maxime litteralis expositio, ut intelligeremus ex Christi latere fluxisse baptismum, qui vim suam omnem habet a Christi sanguine. Resp. II. N. C. Patres citati non excludunt alia Sacramenta, sed duo speciatim commemorant, Baptismum et Eucharistiam, quia magis communia et principalia sunt.

XXXIV. *Objicitur III.* Dissensio Patrum circa numerum Sacramentorum. Plures ex Patribus docuerunt, ablutionem pedum esse verum novae legis Sacramentum. Ergo si Patrum authoritate standum est, plura admitti debent Sacramenta quam septem. P. A.

I. Authoritate S. Ambrosii, qui Lib. III. de Sacram. Cap. I. contendit, ritum illum lavandi pedes ad mundationem a peccatis fuisse institutum. *Audi*, inquit, *quia misterium est et sanctificatio : Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Et postea: *In baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa : sed quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad umilitatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio.* II. *S. Ciprianus* Tract. de Operibus Christi cardinalibus, ait lotionem pedum esse quamdam lavacri speciem, quotidianis excessibus expiandis accommodatam. Ergo lotionem pedum putavit esse verum novae legis Sacramentum. III. S. Bernardus Serm. in Coena Domini ait: *Multa quidem sunt Sacramenta, et scrutandis omnibus hora non sufficit. —— De tribus itaque Sacramentis, quae satis sunt congrua huic tempori, baptismo nimirum, Eucharistia, et lotione pedum dicendum erit.* Et Paulo post: *Appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili praestaretur; ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta : ad hoc Eucharistiae participatio ; ad hoc pedum ablutio : ad hoc denique ipse baptismus, initium Sacramentorum omnium.* Ergo cum lotionem pedum vocet Sacramentum, eamque adaequet baptismo, et Eucharistiae, lotio pedum in opinione Bernardi verum erat novae legis Sacramentum.

XXXV. Resp. N. A. Ad *probat.* I. R. S. Ambrosius agnoscit quidem lotionem illam pedum non tantum ad humilitatem, sed etiam ad sanctifitionem institutam fuisse, quam nempe significabat, non vero ex se operabatur. Porro Sacramenti proprius character est, ut non tantum significet, sed etiam conferat gratiam sanctificantem. Profecto hanc fuisse Ambrosii mentem ipse Ambrosius l. c. explicat; ait enim: *Consuetudo, quae rectius servatur in Romana Ecclesia de non lavandis pedibus, in Mediolanensi Ecclesia de ipsis lavandis etiam recte custoditur, tum propter exemplum Christi et Petri, tum ut gratiam virtute humilitatis, et Christi imitationis obtineat.* Si Ambrosius lotionem pedum verum esse Sacramentum existimasset, numquam enimvero affirmasset e consuetudinem illam de non lavandis pedibus *rectius* in Romana Ecclesia servari. Neque obstat, quod Lib. de Myster. Cap. VI. asserat, per lotionem pedum haereditaria peccata tolli: non enim de originali peccato, aut gratia sanctificante loquitur, sed hoc Christianae demissionis obsequio docet superbiam diminui, quam originaria labe contraximus, majusque subsidium sanctificationis baptizatis accedere. Ad *probat.* II. Resp. Author Tractatus illius, qui non S. Cyprianus Carthaginensis fuit, sed Arnoldus Abbas Bonae vallis, saeculi XII. Scriptor, aliud non intendit, quam axternam et materialem lotionem pedum a Christo factam, signum fuisse spiritualis et internae lotionis, quae in nobis fieri debet per eumdem Christum, qui peccata venialia in quae labimur quotidie, in nobis quotidie eluit per varia pietatis opera, quae exercemus, puta per orationem, jejunium, et exercitia charitatis, ac Christianae demis-

sionis. Ad III. Resp. S. Bernardus lotionem pedum Sacramentum vocat, non quatenus haec vox significat ritum ex divina institutione vim habentem sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae; sed prout sumitur pro signo rei sacrae. Neque lotionem pedum Eucharistiae et Baptismo adeaquate comparat, sed tantum inadequate; cum et illa significaverit summam Christi demissionem et charitatem, fueritque insuper mystica ad institutionem Eucharistiae praeparatio. Necessariam quoque ad salutem dicit ablutionem pedum; sed quantum ad rem significatam, quia signum est Christianae demissionis et charitatis, sine quibus nemini in coelum patere aditus potest. Si cui ad defensionem Bernardi dicta non sufficiant, cogitet, Bernardi tempore in toto Occidente lotionem pedum post vel ante baptismum servatam haud amplius fuisse; quam si pro vero novae Legis Sacramento ille habuisset, eodem ardore, ac pari fortitudine Mellifluus Doctor Petro Lombardo coaevo suo tradenti septem esse novae legis Sacramenta, nec plura nec pauciora, obstitisset, qua Enricianis, Petrobrusianis, Petro Abaëlardo, ac Gilberto Porretano restitit.

XXXVI. *Dices*. Ablutio pedum habet divinum mandatum et institutionem, atque insuper promissionem gratiae includit. Ergo est verum novae legis Sacramentum. Prob. prima pars Anteced. Joan. Cap. XIII. ait Christus: *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes*: Ergo habet divinum mandatum. Prob. altera pars Anteced. Christus reluctanti Petro ait Joan. Cap. XIII. *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Ergo ablutio pedum est ritus, quem qui contempserit, coe-

lo privandus est. Ergo includit promissionem gratiae. R. N. A. Ad *prob.* I. N. C. Verba Christi non ad litteram sed metaphorice, de praecepto nimirum Christianae demissionis et charitatis sunt accipienda: secus Ecclesia, optima voluntatis Christi interpres, materialem pedum lotionem numquam praetermisisset, si eam Christus imperasset. Ad *probat.* II. C. A. D. C. Ergo ablutio pedum est ritus, quem qui contempserit a coelo excluditur absolute et ratione sui, N. C. Hypothetice, et propter inobedientiae contumaciam, C. Conseq. Christus B. Petro aeternam damnationem comminatus est, non quod lotio pedum ad gratiam et salutem obtinendam sit necessaria; sed quia ob inobedientiam hoc supplicio dignus futurus erat, si pertinaciter restitisset. Quare verba illa non ad omnes fideles, sed ad solum Petrum directa fuerunt a Christo.

XXXVII. *Objicitur IV.* Dissensio Doctorum Catholicorum. *I. Durandus* negat Matrimonium esse proprie et univoce Sacramentum, eoquod non conferat gratiam sicut reliqua Sacramenta. II. Graeci professionem Monasticam in numerum Sacramentorum referunt, eamque *Dionysius*, et *Theodorus Studita* Sacramentum vocant. III. Ipsi Catholici docent, Eucharistiam sub solius panis speciebus verum esse integrum Sacramentum. Ergo cum idem dicendum sit de Eucharistia sub speciebus vini, duo erunt Eucharistiae Sacramenta. IV. Multorum est sententia, praeter tres majores, minores etiam quatuor Ordines esse Sacramentum. Ergo juxta Catholicos plura dantur Sacramenta quam septem. R. ad I. Durandum (si tamen doctrinam hanc tradidit, quod quidam ejus vindices negant) uti alias saepe, ita etiam hic exorbitare, at-

que hac in re ab omnibus Catholicis deseri. Ad II. Professio Monastica vocatur Sacramentum in sensu improprio et latiori, non quod per illam peccata remittantur ex opere operato; sed ex opere operantis, nimirum propter fervorem, ac vehementiam charitatis eorum qui mundo renunciant. Quod si forsitan ex Graecis aliqui opinati fuissent, hanc professionem esse verum Sacramentum, paucorum horum opinio nihil faceret contra fidem universalis Ecclesiae septem tantum Sacramenta admittentis. Ad III. Resp. Eucharistia sub una v. g. panis specie est integrum Sacramentum integritate rei contentae, quia sub unaquaque specie integer est Christus, sed integrum non est Sacramentum integritate signi, quia species una non repraesentat perfecte divinum hoc convivium. Ex quo conficitur, unum tantummodo esse perfectum, et integrum integritate signi Eucharistiae Sacramentum. Ad IV. Omissa nunc controversia illa, an minores Ordines sint verum Sacramentum, qua de re redibit sermo Tomo VII. ubi de Sacramento Ordinis agemus, Resp. Sacramentum Ordinis licet plures contineat ordines specie inter se diversos; tamen omnes illi constituunt unum dumtaxat Sacramentum integrum, et in genere suo completum, cujus finis est administrare corpus Christi physicum et mysticum, scilicet consecrare panem et vinum, atque absolvere a peccatis. Cum itaque plenitudo Ordinis sit in solo Sacerdotio, in reliquis vero ordinibus quaedam hujus participatio, unum solummodo datur Sacramentum Ordinis plenum atque perfectum.

CONTROVERSIA II.

AN SACRAMENTA LEGIS EVANGELICAE EX OPERE OPERATO INFALLIBILITER HABEANT VIRTUTEM CONFERENDI GRATIAM?

Contra Protestantes.

XXXVIII.

Duplicem Theologi Catholici modum distinguunt producendi gratiam, unum ex opere operantis, alterum ex opere operato. *Ex opere operantis* ea producitur gratia, quae a Deo conceditur intuitu fidei ac pietatis, seu meriti illius, qui Sacramentum suscipit, aut ministrat. *Ex opere operato* ea gratia produci dicitur, quae vi et efficacia ipsius operis externi Sacramentalis, a Christo Domino instituti, ac debite subjecto applicati producitur, ultra omne meritum ministrantis vel recipientis Sacramentum; quamquam non sine praeviis ex parte subjecti Sacramentum percipientis, fidei et pietatis dispositionibus, quae non equidem causae sunt effectrices gratiae, neque ipsis Sacramentis vim et efficaciam tribuunt, quam habent ab ipso Christo derivatam; sed removent dumtaxat obstacula, quibus impediri aut retardari posset vis et efficacia Secramentorum. Quare Sacramentum causare gratiam ex opere operato nihil aliud est, quam Sacramentum ipsum, non quidem naturaliter, et tamquam causam principalem; sed ex instituto et meritis Christi, per se, tamquam per causam instrumentalem, habere vim et efficaciam ad producendam gratiam in suscipiente, dispostio tamen, si sit adultus.

XXXIX. Sociniani, et Anabaptistae omnem Sacramentorum usum ac fructum in eo collocant, ut nuda et sterilia sint signa tum externae professionis fidei Christianae, tum distinctionis fidelium ab infidelibus Hanc Anabaptistarum sui temporis opinionem acriter perstringunt Lutherus, et Calvinus, vocantque Sacramenta non tantum signacula, sigilla et pignora divinarum promissionum, sed etiam Dei instrumenta, et organa gratiae. At non nisi vocibus ab Anabaptistis discrepant; siquidem Lutherus et Calvinus Sacramenta vocant gratiae instrumenta mediata tantum, quatenus scilicet fidem alunt et excitant, qua sola homo justus fit, et sine qua vanum ac nullum est Sacramentum. *Lutherus* Lib. de Capt. Babylon. Cap. de Bapt. scribit: *Baptismus neminem justificat, nec ulli prodest; sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus. - - - Ideo sunt signa seu Sacramenta justificationis, quia sunt Sacramenta justificantis fidei, et non operis; unde tota efficacia est ipsa fides, non operatio.* Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. XIV. Paragr. XII. docet, *hoc unicum esse Sacramentorum officium, ut Dei promissiones oculis nostris spectandas subjiciant, et eorum nobis sint pignora.* Et Paragr. XVII. ait, *alias non esse Sacramentorum, quam verbi Dei partes, quae sunt offerre nobis ac proponere Christum, et in eo coelestis gratiae thesauros.* Neque aliter sentire possunt Protestantes de Sacramentorum efficacia, quamdiu affirmaverint solam fidem justificare. Si enim sola fides est justificationis causa, legitime infertur, Sacramenta se solis, praescindendo a fide, nihil posse, sed intertia esse ac sterilia signa, adeoque gratiam ex opere operato non produci: quod certe quam

falsum sit, vel ipse infantium baptismus manifeste demonstrat, qui ratus ac validus est, etiam sine fide datus aut acceptus.

XL. Protestantes argumentum ab invidia ducentes absonam Catholicis Doctoribus et falsam doctrinam affingunt, ut umbras et larvas, quibuscum pugnant, devicisse videantur. Ajunt itaque I. statum quaestionis Catholicos inter et Protestantes esse, an Sacramenta gratiam conferant tamquam causae illius primariae. At vero quis umquam Catholicorum affirmare ausus fuit hominem per Sacramenta justificari sine Deo? Id dumtaxat contendimus, Deum gratiae suae authorem per Sacramanta nos justificare, tamquam per causam instrumentalem gratiae. Ajunt II. idem esse apud nos agere ex opere operato, ac agere modo physico. At Protestantes scopum non attingunt: modus quippe agendi Sacramentorum, physicus vel moralis; de quo inferius plura dicemus, non pertinet ad dogma fidei, sed ad varium Scholae placitum. Hoc unum Catholica fides hic exigit credi, Sacramenta ex se ipsis causas esse gratiae effectrices, non ex fide ac merito subjecti, vel Ministri Sacramentorum. Ajunt III. apud Catholicos opus operatum esse idem ac opus bonum, seu meritorium ministri. At nemini Catholicorum hoc in mentem venit, cum omnes fateantur, efficaciam Sacramenti non pendere a fide et probitate ministri, ut olim Donatistae et Hussitae contendebant. Ajunt denique IV. Protestantes aliqui, apud Catholicos idem esse conferri gratiam ex opere operato, ac conferri gratiam peccarori sine praevio actu fidei, et pio motu cordis: quasi Sacramenta ex se ipsis, cuicunque subjecto admota, gratiam certo conferrent. At nullus umquam Catholicus ita deliravit, ut dixerit Sacramenta iis adultis prodesse, qui non bene praeparati ac dispositi ea percipiunt.

Unde merito Patres *Tridentini* Sess. XIV. Cap. IV. ajunt: *Falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.*

XLI. *Conclusio.* Sacramenta novae Legis ex opere operato iis gratiam conferunt, qui obicem non ponunt. Prob. Conclusio I. Authoritate Scripturarum. Joan. Cap. III. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo vis regenerandi competit aquae baptismali tamquam instrumento, et Spiritui Sancto tamquam causae principali; alias frustra diceretur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Eamdem veritatem confirmat Apostolus ad Titum Cap. III. scribens: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* Et ad Ephes. Cap. V. *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Ergo baptismus ex se, ac virtute divinae institutionis non ob fidem suscipientis, vere hominem renovat et mundat, Deo mundationem illam per aquam operante. Ipse Christi Praecursor *Lucae* Cap. III. ait: *Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Ex quo loco hoc argumentum instruos. Quamvis baptismus Joannis excitaret fidem; praedicabat enim baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, tantum nihilominus discrimen ponitur inter baptismum Joannis et Christi, quantum est inter aquam et Spiritum Sanctum. Ergo baptismus Christi alio modo gratiam producit quam excitando fidem,

nimirum ex opere operato. Quod si aliquando admittant Protestantes, baptisma ex opere operato gratiam conferre, idem dicere eos oportebit de reliquis etiam Sacramentis; rueret enim principale illorum fundamentum, quod nempe sola fides justificet. Caeterum de reliquis etiam Sacramentis expressos Scripturarum textus vide apud Card. *Bellarminum* Lib. II. de Sacr. in genere, Cap. III.

XLII. Prob. II. Authoritate Conciliorum. *CPolitanum* in Symbolo ait: *Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Milevitanum II. Can. II. *Parvuli, qui nihil peccatorum in se ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Arausicanum II. Capit. XXV. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Novae Legis septem sunt Sacramenta. – – – Quae multum a Sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Tridentinum Sess. VII. Can. VI. *Si quis dixerit, Sacramenta novae Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab*

infidelibus; *anathema sit*. Can. VII. *Siquis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus*; *anathema sit*. Can. VIII. *Siquis dixerit, per ipsa novae Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere*; *anathema sit*.

XLIII. Prob. III. Authoritate Patrum. *Tertullianus* Lib. de Bapt. Cap. IV. *Aquae sanctificatae vim sanctificandi conbibunt*. S. Cyrillus Jerosol. Catech. III. *Qui in aquam descensurus es, non aquae simplici mentem adhibe, sed Spiritus Sancti virtute salutem suscipe: nam sine utrisque ad perfectionem deduci non poteris*. S. Gregorius Nyssen. Orat. in Baptismum Christi: *Baptismus peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa*. S. Cyrillus Alexendrin. Lib. II. Cap. II. in Joan. *Quemadmodum infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit: ita spiritus efficacitate sensibilis aquae in divinam quamdam et ineffabilem vim transformatur, omnesque demum, in quibus fuerit, sanctificat*. S. Chrysost. Orat. Bapt. Christi: *Judaica expiatio nequaquam a peccatis liberabat, sed a corporis sordibus tantum; nostra vero talis non est, nam et a peccatis liberat, et animam abstergit, et Spiritus gratiam largitur*. S. Optatus Milevitanus Lib. contra Pamenianum: *Baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam; si repetatur, facit vitae jacturam*. S. Augustinus Enarratione in Psal. LXXIII. *Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem*. Lib. IV. contra Cresconium, Cap.

XVI. *Non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constat Baptismus, sed propria sanctitate atque veritate propter eum a quo institutus est male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.* Tract. LXXX. in Joan. *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat?* Lib. XIX. contra Faustum, Cap. XI. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit.* Ergo Sacramenta non excitant dumtaxat fidem, alias non valerent inenarrabiliter; quia concio, qua quis non movetur, nihil valet, id est, nihil prodest.

XLIV. Prob. IV. Ratione Theologica. Ipsi Protestantes admittunt, Baptismum infantibus, item adultis, amentibus, dormientibus, omnique per morbum ingravescentem rationis usu destitutis valide ac legitime conferri, modo antea desiderium baptismi ostenderint. Ipsi protestantes sentiunt, baptismum a quocumque, etiam idololatra, haeretico, aut impio Christiano collatum, esse validum. Ergo Sacramenta non producunt gratiam ex opere operantis, sed ex opere operato. Ergo non tantum excitant et nutriunt fidem, sed etiam gratiam ipsam sanctificantem ex sese virtute divina conferunt. P. C. Infantes, dormientes, amentes etc. actualis fidei sunt incapaces; et tamen baptismus eis collatus prodest, sicque illi sanctificantur. Ergo gratia non confertur ob meritum suscipientis, qui nempe Sacramenta fidem in suscipiente excitant: neque confertur ob meritum ministri qui salvo valore Sacramenti impius esse potest et haereticus. Ergo gratia non confertur ex opere operantis, sed ex opere operato. id est, vi ac virtute ipsius actionis Sacramentalis a Christo accepta.

XLV. *Quaeres I.* An Sacramenta veteris Legis produxerint ex opere operato sanctitatem interiorem, seu gratiam sanctificantem? Resp. contra Durandum et Paludanum negative. Prob. assertio I. Authoritate Scripturarum. Apostolus in Epist. ad Galatas, atque ad Hebraeos diserte testatur Sacramenta et Sacrificia veteris legis fuisse vacua et egena elementa, solumque valuisse ad emundationem carnis seu munditiem legalem, ac fuisse reprobata ob eorum inutilitatem, Ad Hebr. Cap. VII. *Reprobatio fit praecedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Ad Hebr. Cap. IX. *Munera et hostiae offeruntur, quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis et potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis.* Ad Hebr. Cap. VIII. *Melius sortitus est ministerium* (Christus) *quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Ad Galat. Cap. IV. *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa?* Ergo si tota lex vetus fuit infirma et inutilis ad mundandam conscientiam, etiam antequam abrogaretur per Evangelii praedicationem, a fortiori Sacramenta quoque et Sacrificia erant inutilia, quae in Lege continebantur tamquam pars in toto. Ergo Sacramenta veteris legis non producebant gratiam ex opere operato, sed ex opere operantis, quando nimirum ab hominibus suscipiebantur ex fide et charitate, ut communissima tenet Doctorum Catholicorum sententia contra Magistrum Sententiarum qui Lib. IV. Dist. I. Litt. B. censuit, Sacramenta veteris legis neque ex opere operantis gratiam produxisse eoquod putaret illa Judaeis a Deo imposita fuisse in servitutem, non in justificationem.

neque dicas, Sacramenta veteris legis vocari ab Apostolo infirma et egena, si spectetur ex se ipsis, et a Christo sejuncta: tali enim ratione Sacramenta enim Evangelica, ut a Christo sejuncta, vim nullam habent, cum omnem vim et virtutem a meritis et institutione Christi hauriant.

XLVI. Prob. II. Authoritate Patrum, et Conciliorum. *S. Basilius* Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XIV. ait: *Quid confers lavacra cum lavacris, quae solum nominis appellationem habent communem, rerum vero tanta est differentia, quanta est inter somnia et veritatem, inter umbras imaginesque, et inter ea quae revera subsistunt.* S. Augustinus Enarratione in Psal. LXXIII. *Alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. --- Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.* Florentini verba in Decreto pro Armenis superius exhibuimus Num. XLII. *Tridentinum* Sess. VII. Can. II. definit Sacramenta nostra differre a veteribus non solo ritu exerno. Ergo juxta Tridentinum differunt virtute et efficacia. Atqui virtute et efficacia non differrent, siquidem vetera, sicut et nova, contulissent gratiam ex opere operato.

XLVII. Prob. III. Ratione Theologica, fundata in Scripturis et Patribus. Sacramenta veteris Legis non habuere adnexam gratiae promissionem; quia in hoc vetus et novum Testamentum inter se differunt, quod vetus bona tantum terrena promiserit expresse, novum vero promittat spiritualia et celestia. Hinc S. Augustinus Enarratione in Psal. LXXIII. scribit: *Deus se utriu-*

sque Testamenti voluit esse authorem, ut et terrena promitteret in veteri, et coelestia in novo. Habuerunt tamen Judaei promissiones bonorum coelestium, non per legem Mosaicam, sed per divinas revelationes, quae factae fuerunt in lege naturae. Ergo Sacramenta veteris legis non habuerunt vim producendi gratiam ex opere operato. Accedit conveniens non videri, ut lex antiqua justificaret, tum quia illa imperfecta erat, tum quia merita Christi nondum erant exhibita. Caeterum quamvis assertio nostra certa omnino videatur, non tamen eam de fide Catholica esse censeo. Quamvis enim Eugenius IV. in Decreto pro Armenis doctrinam se tradere Romanae Ecclesiae profiteatur, et Tridentinum non obscure nobis faveat; quaestio tamen haec clare decisa non fuit, nec satis supremo Ecclesiae judicio eliquata.

XLVIII. *Quaeres II.* An saltem Circumcisio gratiam non produxerit ex opere operato? Resp. cum S. Thoma, Cano, Bellarmino, Vasquio etc. contra Lombardum, Alensem, S. Bonaventuram, et Scotum, negative. Praeterquam enim quod Apostolus ad Galatas Cap. IV. potissimus de circumcisione loquens, eam vocet infirmum et egenum elementum, probatur assertio nostra evertendo praecipuum adversariorum fundamentum. Circumcisio non fuit a Deo instituta ad delendum originale peccatum, sed ad distinguendum Israeliticum populum, a Deo specialiter electum, a caeteris Gentibus. Ergo circumcisio non produxit gratiam ex opere operato, sed dumtaxat ex opere operantis; non quatenus circumcisio erat signum Judaeos distinguens ab infidelibus, sed quatenus forte ea Judaei utebantur tamquam caeremonia publica et religiosa, fidei suae in Christum venturum protestativa, ad parvulo-

rum post octavum a nativitate diem morientium justificationem, cujus determinationem et electionem Deus ipsis Judaeis reliquerat. P. A. I. Authoritate Scripturarum. Deus circumcisionem Abrahamo praecipiens, ait Genes. Cap. XVII. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos.* Ubi Deus non ait, ut sit in remedium peccati, et causam sanctificationis; sed in signum foederis, nimirum distinctionis populi Judaici a caeteris nationibus, et singularis Dei providentiae erga populum Judaicum. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Justinus M. in Dial. cum Tryphone: *Circumcisio, quam ab Abrahamo accepistis secundum carnem, in signum notamque data est, ut sitis ab aliis gentibus, et a nobis discreti - - Circumcisionem accepit in signum, non ad justitiam, quemadmodum et Scripturae, et res ipsae nos fateri cogunt.* S. Irenaeus Lib. IV. advers. Haer. Cap. XVI. alias XXX, *Circumcisionem non quasi justitiae consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahae.* S. Chrysost. Hom. XXVII. in Genes. *Attende, quomodo postea tempore procedente voluerit circumcisionem pro lege statui, non quod ad animae salutem perficere haec possit aliquid; sed ut hoc grati animi indicium, quasi signum et sigillum circumferrent Judaei, et ne liceret eis commisceri gentium congressibus.* Tertullianus Lib. contra Judaeos, Cap. III. *Providens Deus, quod hanc circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus.* S. Ambrosius Epist. LXXIV. ad Irenaeum: *Signum circumcisio corporalis, veritas autem circumcisio spiritualis; illa membrum amputat, ista peccatum.* Idem

docent S. Cyprianus Lib. I. Testimoniorum contra Judaeos, Cap. VIII. *S. Hieronymus* in Cap. III. ad Galatas, aliique Patres tam Graeci quam Latini, ita ut a communi sententia omnium primus recessisse videatur S. Augustinus, qui disputans adversus Pelagianos undequaque colligebat argumenta, quibus evinceret ab omnibus peccatum originale nascendo contrahi; quod quidem ex remedio adversus ipsum destinato commode ostendebat, ex baptismo scilicet in lege Christi, atque ex circumcisione in lege Moysis. Prob. III. Authoritate veterum Judaeorum. Neque enim *Philo Judaeus* Lib. de circumcisione; ubi varia ipsius causas enumerat, neque *Josephus Flavius* Lib. I. Antiquit. Judaic. Cap. XII. nec Rabbini rerum Judaicarum periti uspiam mentionem faciunt virtutis illius spiritualis quam non nulli Doctores Catholici circumcisioni tribuunt. Prob. IV. variis rationibus. Lex circumcisionis foeminas non obligabat, neque etiam masculos ante octavum a nativitate diem. Ergo cum salva Dei providentia et seria voluntate, ut omnes homines salvi fiant, dici omnino nequeat eos caruisse remedio contra originalem noxam, remedium illud erat a circumcisione distinctum. Praeterea Israelitae totis XL. annis in deserto circumcisi non sunt, eam caeremoniam minime omissuri, si a Deo instituta fuisset ad expiandum originale peccatum. Ergo circumcisio erat tantummodo signum, quo Judaei ab infidelibus discernerentur, atque idcirco in deserto omissa, quia Judaei toto illo tempore sufficienter erant ab aliis Gentibus segregati.

XLIX. *Quaeres III.* An Sacramenta novae Legis gratiam efficiant physice, vel moraliter tantum? An-

tequam respondeam, noto causam *physicam* dici illam, quae effectum immediate producit per realem influxum, motum, vel contactum, sicut v. g. ignis calorem producit: contra vero *moralem* esse illam, quae movendo dumtaxat, et excitando alium ad operandum, sive imperio, sive consilio et suasione, sive merito, aut ex pacto quodam foedere aliquid operatur. Ita merita Christi sunt causa moralis et meritoria nostrae redemptionis. Porro utraque causa, moralis et physica, est vere causa, et efficax: immo effectus aliquando magis imputatur causae morali quam physicae, ut patet in Domino imperante cuidam e famulis, ut aliquem interficiat. Utraque causa, tam physica quam moralis, subdividitur in principalem, quae agit virtute sibi propria, et instrumentalem, quae agit virtute alterius.

L. His praemissis, ajo contra Scholam Thomisticam, a Sacramentis novae Legis non effici gratiam physice, sed tantum moraliter, ac per modum impetrationis, quia impetrant a Deo gratiam, aut si ita loqui placeat, quia movent efficaciter Deum ex pacto, quo se obstrinxit, ut ad praesentiam signorum Sacramentalium gratiam conferat iis, qui debite praeparati Sacrementorum fiunt participes. Prob. assertio I. Ex una parte causalitas illa physica Sacramentorum nullo satis firmo in Scripturis, aut Sanctis Patribus fundamento nititur: ex altera parte causalitas moralis sufficit, ut Sacramentum vere ac proprie sit causa gratiae; causalitas enim moralis est vera ac propria causalitas, vi cujus vere ac proprie effectus tribuitur causae morali. Ergo praeter vim illam causandi moraliter gratiam, quam certo certius habent Sacramenta novae Legis, gratis eis tribuitur alia, nempe vis causandi physice gra-

tiam. Prob. II. Physica illa Sacramentorum causalitas multa continet explicatu difficilia et incredibilia. Ergo nisi sacra cogat Scripturae et Traditionis authoritas, non est adstruenda. P. A. Nam I. videtur omnino incredibile, aut saltem valde incertum, aquam et syllabas elevari posse a Deo ad physice producendum Ens spirituale, qualis est gratia sanctificans. II. Causa physica non agit, nisi quando physice et secundum suam entitatem existit. Atqui Sacramenta, quae in actione transeunte sive in usu consistunt, gratiam producunt in eo instanti, quo non amplius physice existunt. Ergo Sacramenta illa non conferunt gratiam physice, sed moraliter. P. m. Gratia Sacramentalis non infunditur, nisi cum absolutum fuerit Sacramentum, id est, nisi cum applicata jam fuerit materia, et prolata verba quae formam constituunt, ac ultima syllaba formae pronunciata. Ergo Sacramenta, quae in actione transeunte consistunt, producunt gratiam in eo instanti, in quo non amplius physice existunt, nempe in instanti immediate sequente applicationem materiae, et prolationem ultimae vocis formae.

LI. Neque obstat assertioni nostrae I, quod Scriptura videatur exprimere Sacramentorum efficaciam physicam, utendo vocibus *per*, *in*, *ex*, ut v. g. Joan. Cap. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* II. Quod patres dicant, virtutem Sacramentorum explicari non posse, eaque comparent cum veris et physicis causis, v. g. cum virtute seminis, et igne calefaciente. III. Quod tali modo Sacramenta essent merum signum, et conditio sine qua non. Nam ad I. Resp. particulas illas ostendere quidem Sacramenta sint verae et efficaces causae nostrae sanctificationis; at non physicae magis,

quam morales, nisi dicere velis, Sanguinem Christi causam fuisse physicam nostrae redemptionis, eoquod Apocalypsis Cap. I. de Christo dicatur: *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et Cap. V. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Ad II. Resp. virtutem Sacramentorum esse inenarrabilem, quamvis sint causa moralis dumtaxat nostrae sanctificationis. Quis enim satis mirari, aut verbis explicare poterit, quod Deus vilibus et infirmis elementis uti velit ad producendam gratiam sanctificantem, quae divinae participes nos facit naturae? Neque comparant Patres Sacramenta cum veris et physicis causis quoad modum producendi effectum, sed dumtaxat quoad veritatem effectus. Nam sicut causae naturales vere producunt suos effectus, ita Sacramenta vere producunt gratiam, quamvis eam producant ut causae instrumentales tantum moraliter agentes. Certe si plus aequo similitudines illae urgeantur, sequeretur Sacramenta esse causas naturales gratiae. Ad III. N. A. Nam mera conditio sine qua non ex se ipsa non est activa, et nudum signum ad significandum tantummodo ordinatur. At vero Sacramenta habent vim efficacem et activam moraliter, atque ad operandum etiam sunt instituta, quia certo et efficaciter movent Deum ad dandam gratiam, eoquod sint moraliter actiones Christi, a cujus proinde dignitate valorem accipiunt ad impetrandum infallibiliter id, quod Christus per ea postulat.

LII. *Quaeres IV.* Quid Sacramenta novae Legis suscipientibus rite dispositis conferent? Resp. Gratiam Sacramentalem, quod est complexum ex gratia sanctificante habituali, et jure ad gratias actuales suo tempore percipiendas, quibus suscipiens finem proprium

Sacramenti assequi potest. Prob. assertio. Quodlibet Sacramentum novae Legis ad proprium sibi et distinctum finem supernaturalem ordinatur, tamquam medium a Christo institutum ad finem illum assequendum. Ergo per Sacramentum confertur jus ad gratias actuales. P. C. Finis supernaturalis solis naturae viribus obtineri nequit: neque gratia habitualis ad id sufficit, cum ad quemlibet actum salutarem gratia actualis requiratur. Ergo cum Deus non frustra finem praefigat, et media determinet, per Sacramenta confertur etiam jus ad gratias actuales, quibus diversus Sacramentorum finis obtineatur. Caeterum gratia Sacramentalis est diversa in diversis Sacramentis, ratione juris ad diversas gratias actuales, quibus Homo Christianus diversos illorum fines supernaturales assequi potest. Sic Baptismus, ad spiritualem regenerationem institutus, dat jus ad auxilia gratiae necessaria ad vitam Christianam degendam. Confirmatio ad nos in fide corroborandos instituta, dat jus ad gratias actuales necessarias ad fidem Christi fortiter profitendam, etiam cum mortis et cujuslibet supplicii periculo. Eucharistia dat gratias actuales ad charitatem nutriendam, id est, conservandam et augendam: Poenitentia ad peccata in posterum vitanda: Unctio extrema ad mortem sancte obeundam, dolores morbi patienter tolerandos, et tentationes daemonis fortiter superandas: Ordo, et Matrimonium dant jus ad gratias necessarias, quibus utriusque status officia et obligationes pie ac sancte exequamur. Gratiae autem illae, quas ex opere operato causant Sacramenta nostra, non continuo post Sacramenti susceptionem, et simul conferuntur, sed successive prout nimirum occurrunt occasiones spectantes finem proprium Sacramenti suscepti. Solum itaque sta-

tim per Sacramentum acquiritur jus ad gratias actuales, postea suo loco et tempore ejusdem Sacramenti intuitu dandas.

LIII. Ex dictis facile intelligitur, quomodo gratia Sacramentalis, et non Sacramentalis inter se differant: differunt enim I. in eo, quod non Sacramentalis conferatur ex opere operanti; Sacramentali vero ex opere operato Sacramenti. II. In eo, quod Sacramentali adnexum sit jus ad gratias actuales ad finem proprium Sacramenti consequendum idoneas, suo tempore dandas nôn ponentibus obicem: quale jus sibi adnexum habere non potest gratia non Sacramentalis. Quod si quaeras, an jus ad gratias actuales retineat, qui post susceptum Sacramentum in mortale labitur, Resp. negative: qui enim per peccatum mortale primarium Sacramenti effectum amittit, nempe gratiam sanctificantem, aequum est ut etiam amittat secundarium, nempe jus ad gratias actuales, saltem quamdiu in statu peccati mortalis versatur.

LIV. *Quaeres V.* An idem specie Sacramentum aequalem semper gratiae effectum conferat? Resp. aequalem aequaliter praeparatis; inaequalem illis, qui inaequaliter sunt dispositi. Prob. assertio I. Authoritate Tridentini, quod Sess. VI. Cap. VII. asserit, *In baptizatis justitiam recipi secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.* II. Authoritate S. Thomae Parte III. Quaest. LXIX. Artic. VIII. *Adulti qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt, et ideo quidam plus, quidam*

D

minus de gratia novitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei approprinquat; licet ignis quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat. Prob. III. Ratione. Sacramenta secundum institutionem Christi operantur, ut causae naturales plus vel minus operantur, in subjecto, secundum majorem vel minorem, ejus dispositionem. Ergo etiam Sacramenta nostra majorem vel minorem gratiam conferunt iis, a quibus suscipiuntur, pro majore vel minore eorum dispositione. Caeterum major gratia melius disposito collata, non est ex opere operantis, sed ex opere operato. Quemadmodum enim inflammatio ligni siccioris et calidioris non est a ligno, sed ab igne solo: sic major gratia in suscipiente melius disposito est a Sacramento, non a dispositionibus, quae gratiam non producunt.

OJECTIONES.

LV. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Scripturae soli fidei tribuunt justificationem. Ergo Sacramenta non producunt gratiam ex opere operato, sed excitant tantum in nobis fidem, per quam justificamur. P. A. I. Marci Cap. ult. Christus ait: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ergo non baptismus, sed sola fides salvat, quia infidelis damnandus pronunciatur, quamvis fuerit baptizatus. II. I. Petri Cap. III. *Salvos facit Baptisma: non carnis depositio sordium, sed bonae conscientiae interrogatio in Deum.* Ergo non per baptismum, sed per fidem non fictam et conscientiam puram homo justificatur. III. I. Petri Cap. III.

Baptismus dicitur salvos facere *per resurrectionem Jesu Christi*, id est, per fidem resurrectionis. R. N. A. cujus falsitatem manifeste ostendimus Tomo V. Artic. II. Controversia IV. Ad *prob.* I. N. C. Praeterquam enim, quod argumentatio haec distorta sit, similisque huic. *Fides sine charitate non prodest ad salutem. Ergo fides nihil omnino prodest ad salutem*; falso supponitur Christum non dixisse, eum qui baptizatus non fuerit, fore condemnandum; hunc enim sensum manifeste praefert integer contextus. Nam qui non credit, non vult baptizari; atque etiamsi vellet, nihil tamen ipsi ad salutem prodesset baptismus sine fide susceptus. Quare ex loco illo Marci id unum legitime inferri potest, adultum debere credere simul et baptizari. Ad *prob.* II. N. C. Sensus citati textus est, baptisma salvos facere quos abluit, non quidem mundando sordes corporis, quod unum poterant baptismata Judaeorum, sed mundando sordes animae: quam mundationem expressit B. Petrus per bonae conscientiae interrogationem, seu stipulationem et promissionem, quae fieri solet a baptizando. Ad *prob.* III. Resp. hanc interpretationem esse gratis confictam; non enim dicit B. Petrus *per fidem resurrectionis*, sed *per resurrectionem*, nimirum tamquam causam exemplarem nostrae justificationis, seu resurrectionis a morte peccati. Quemadmodum enim Christus a mortuis resurgens novam vitam exorsus est: ita et nos per baptismum peccato mortuos, et justitiae renatos, novam vitam auspicari oportet.

LVI. *Dices I.* Remissio peccatorum necessario et et inseparabiliter conjuncta est cum fide. Ergo sola fides hominem justificat. P. A. Ad Rom. Cap. I. di-

citur: *Justus ex fide vivit.* Ad Rom. Cap. III. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum.* Et Cap. X. *Corde creditur ad justitiam.* R. N. A. Potest quis sine fide actuali liberari a peccato, ut patet in infantibus baptizatis: et potest quis vice versa sine peccatorum remissione habere fidem, ut patet in adultis non dispositis. Ergo remissio peccatorum non est necessario et inseparabiliter conjucta cum fide. Neque dicas, parvulos justificari per fidem actualem Ecclesiae; etenim neque Scriptura, neque Patres, neque Concilia vim justificandi parvulos umquam tribuunt fidei illi communi et generali Ecclesiae, sed ipsi Baptismo. Ad *probat.* N. C. Quemadmodum justitia et remissio peccatorum in Scripturis tribuitur fidei, ita pariter in spem, charitatem, bona opera, ipsaque Sacramenta refunditur. Vide dicta Tomo V. Artic. II. Controversia IV.

LVII. *Dices II.* Scriptura eodem prorsus modo loquitur de Sacramentis antiquis, ac de nostris. Ergo par in utrisque est virtus. Ergo quemadmodum vetera non justificabant nisi per fidem, ita et nova. P. A. I. De Josue legitur Deuteron. Cap. ult. *Repletus est Spiritu sapientiae, quia Moyses posuit super eum manus suas.* I. Reg. Cap. X. de Saule legitur, eum mutatum fuisse in virum alium virtute unctionis per Samuelem ministratae. II. I. ad Cor. Cap. X. Apostolus monens Christianos, ne bonis operibus neglectis nimium confidant in Baptismo et Eucharistia, proponit exemplum Judaeorum qui perierunt, licet eamdem nobiscum escam spiritualem manducaverint, et eumdem potum spiritualem biberint: *Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt. Et omnes eumdem potum spiritalem bibe-*

runt (*bibebant autem de spiritali consequente eos, petra: petra autem erat Christus.*) Ergo Sacramenta Judaeorum ejusdem erant virtutis cum nostris. *Confirm.* Scriptura docet a solo Deo remitti posse peccata. Ergo Sacramenta non possunt remittere peccata, et justificare. R. D. A. Eodem modo loquitur respectu legalis munditiae quam conferebant ex opere operato, C. A. Respectu munditiae interioris, et gratiae sanctificantis, N. A. et Conseq. Ad I. *prob.* R. nec manus impositionem factam a Moyse super Josue, nec unctionem Sauli collatam, fuisse Sacramenta; cum non fuerint ritus permanentes, sed caeremoniae quaedam transeuntes, quae pertinebant ad gratiam prophetiae et miraculorum, apud Judaeos non infrequentem. Ad II. *probat.* Resp. II. ut prius, nec manna in deserto, nec aquam de petra scaturientem fuisse Sacramenta. Resp. II. juxta Apostolum Judaeos manducasse eamdem escam, et bibisse eumdem potum inter se, non autem nobiscum; cum ipse Christus expressis verbis Joan. Cap. VI. distinguat manna ab Eucharistia. *Non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum.* - - - *Ut siquis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Apostolus itaque l. c. vult deterrere Christianos a peccatis exemplo Judaeorum, qui licet singularibus Dei beneficiis cumulati fuerint, ac licet eadem esca et potu usi sint, plures tamen ex illis in peccatum lapsi perierunt in deserto. Unde concludit, duriora Christianos manere supplicia, si carne Christi saginati, ejusque sanguine refecti, in idolatriam aut fornicationem labantur, sicut Judaei. Ad *confirm.* D. A. A solo Deo remitti posse peccata, authoritate propria et principali, C. A. Authoritate a Deo

accepta, et tamquam causa instrumentali, N. A. et Conseq. Si qua vis huic argumento inesset, sequeretur omnino peccata neque per fidem remitti.

LVIII. *Objicitur. I.* Authoritas *S. Augustini.* S. Doctor Lib. Quaest. veteris et novi Testamenti, Quaest. LIX. ait: *Nec donum coeleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem immutari credat.* II. Lib. XV. de Trinit. Cap. XXVI. *Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant.* III. Lib. XIX. contra Faustum, Cap. XXI. ait Sacramenta esse mutabilia signa. *Quid enim sunt aliud quaeque corporalia Sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia et temporalia?* Ergo concurrunt ad sanctificationem hominis excitando dumtaxat fidem, sicut verba concionis. IV. Enarrat in Psal. LXXVII. ait: *Idem in mysterio cibus et potus illorum qui noster.* Et Tract. XXVI. in Joan. *Sacramenta in signis* (a nostris) *diversa sunt: in re quae significatur, paria sunt.* Ergo cum Sacramenta veteris legis gratiam non produxerint ex opere operato, neque nostra eam producunt. Resp. Ad I. Librum illum non esse Augustini, sed haeretici cujusdam; eoquod multis, gravissimisque erroribus scateat. Ad II. S. Doctor non negat Spiritum Sanctum datum fuisse ab Apostolis authoritate ministeriali; sed ait tantum, Spiritum Sanctum datum non fuisse ab Apostolis authoritate primaria, principali, atque independente, eo scilicet modo quo a Patre et Filio datur. Agit nimirum l. c. S. Augustinus de processione Spiritus Sancti, quem probat esse a Patre et Filio, quia ab utroque datur et mit-

titur. Ad III. N· C. S. Augustinus disputans contra Manichaeos qui legem veterem damnabant, de Sacramentis in genere, id est, de Sacramentis utriusque Testamenti, considerat potissimum Sacramenta, quatenus signa sunt quibus Christus significatur: ac proinde mutabilia, prout significant Christum aut venturum qualia erant prisci populi Sacramenta, aut jam natum, mortuum ac passum, qualia nostra sunt. Neque propter hanc signorum mutationem damnandam esse ait legem veterem; sed tantum attendendam esse signorum quae mutantur, naturam, licet diversae non sint res, quas illa significant. Ad IV. Resp. eumdem fuisse Judaeorum cibum et potum, qui noster, significatione; at non eumdem fuisse virtute et efficacia: illico enim l. c. subjungit S. Doctor: *Significatione idem, non specie; quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* Eadem responsio datur ad alterum Augustini locum. Sacramenta vetera sunt paria nostris generatim in ratione signi quia etiam vetera significabant Christum, gratiam et salutem: et differunt in modo significandi et operandi; nostra enim Christum prasentem exhibent, et gratiam non modo promittunt, verum etiam conferunt.

LIX. *Objicitur III.* Authoritas aliorum PP. Patres Sacramenta passim appellant *sigilla*, *signacula*, *pignora gratiae*. Tertullianus Lib. de Poenit Cap. VI. *S. Basilius* Lib. II. contra Eunomium, et Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XII. baptismum vocant *obsignationem fidei* Ergo Sacramenta operantur tantum significative, non effective. II. *S. Hieronymus* in Cap. IV. Isaiae scribit: *Ex quo discimus, quod homo tan-*

tum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum, quo sordes abluuntur, et sanguinis peccata purgantur. III. *S. Bernardus* Serm. de Coena Domini ait: *Qua ratione investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversis traditae sunt Sacramentis.* Ergo censet S. Bernardus, Sacramenta esse signa mere speculativa gratiae. R. C. A. N. C. Sacramenta appellantur quidem a Patribus sigilla; singula et pignora; sed efficacia et practica, non vere mere speculativa. Baptismus vocatur obsignatio fidei, quia homo per baptismum publice fidem suam profitetur. Ad II. Resp. citati loci sensum esse, quod homo ex sua naturali virtute de suo aquam tantum praebeat, et verba consecratoria proferat; Deus autem ut causa physica et principalis, gratiam sanctificantem tribuat, qua sordes animae abluuntur, et peccata remittuntur. Ad III. Resp. non institui ibi a S. Bernardo paritatem cum illis insignibus quoad efficaciam, sed solum quoad diversitatem, ut ostendat varias esse in Sacramentis gratiarum divisiones, sicut varii sunt in Ecclesia dignitatum gradus, quarum insignia sunt baculus, annulus etc.

CVI. *Objicitur IV.* Ratio. Prima est Lutheri. In omni Sacramento requiritur verbum promissionis. Sed ubi est promissio, necessario exigitur fides, quae promissionem acceptet. Ergo fides est, quae immediate operatur et justificat. Altera ratio est Calvini. Qui dicunt Sacramenta justificare, abstrahunt homines a Deo, et faciunt ut in spectaculo rei corporeae acquiescant, non in ipso Deo. Tertia est paritas Kemnitii. Sacramenta non aliter justificant, quam Evangelium. Atqui Evangelium justificat solum mediate, excitando nempe fi-

dem. Ergo. P. M. Sicut salvare et justificare dicuntur Sacramenta, ita etiam Evangelium dicitur ad *Rom.* Cap. I. *Virtus Dei in salutem omni credenti.* Resp. ad I. rationem, D. M. Requiritur verbum promissionis in ipsa institutione Sacramentorum, C. M. In ipso usu Sacramenti, N. M. Sacramenta non ex se, sed ex institutione Christi sunt signa efficacia et practica gratiae, ideoque necessario adnecti debuit promissio gratiae, quando a Christo fuerunt instituta : At vero in ipso usu Sacramenti necessaria non sunt verba promissionis; quae promissionem gratiae Sacramentis adnexam proponant credendam ; secus parvuli qui fide actuali carent, ad originalium non pervenirent indulgentiam peccatorum. Et quamvis daremus, quod in suscipiente qualecunque Sacramentum requiratur actualis fides de promissione gratiae Sacramento adnexae ; haec tamen fides tantum requiritur ut dispositio, sine qua Sacramentum non potest conferre gratiam, quia vim non habet movendi Deum ad dandum gratiam subjecto indisposito. Ad II. rationem N. A. Hoc ipso trahimus homines ad Deum, quod doceamus Sacramenta ex se non habere virtutem, sed Deum esse qui per illa operatur. Profecto siqua huic argumento vis inesset, sequeretur, Deum neque incarnari, neque in deserto proponere potuisse serpentem aeneum, quem qui aspicerent, sanarentur, ne in spectaculo rei corporeae homines acquiescerent. Ad III. N. M. Ad *probat.* C. A. N. C. Quamvis Scriptura et Sacramentis et Evangelio tribuat vim justificandi, nullibi tamen asserit utramque eodem modo justificare ; immo contrarium manifeste eruitur ex iis locis, quae in probatione conclusionis adduximus. Adde quod in Paulino textu Evan-

gelii nomine non intelligatur concio, aut praedicatio sed ipsa Sacramenta, Incarnatio, et Passio Christi.

LXI. *Objicitur V.* Sequela. Si Sacramenta gratiam causarent ex opere operato, Deus alligatus esset Sacramentis. II. Fides, spes, et contritio inutiles essent ad justificationem. Atqui hoc dici nequit. Ergo. Resp. ad I. N. M. Non enim Deus Sacramentis, sed Sacramenta Deo sunt alligata tamquam causae principali ipsius gratiae, quam Deus, si velit, potest etiam sine Sacramentis cuilibet conferre: tenetur autem eam infundere homini, qui cum debitis dispositionibus Sacramentum suscipit, quia Deus non potest non esse verax et fidelis in promissis suis perficiendis. Ad II. N. M. Quemadmodum v. g. ignis, quamvis ex se naturaque sua vim habeat comburendi, nihilominus praerequirit dispositiones in ligno, sine quibus non comburet: ita Sacramenta novae legis, licet per se efficacia, non operantur tamen, nisi in suscipiente adsint fides, pietas etc. quas Christus exigit ut dispositiones necessarias ad gratiam in Sacramento recipiendam, non vero ut causas gratiae Sacramentalis.

LXII. *Objicitur VI.* Barbaries et novitas vocabuli. Vocem hanc *ex opere operato* latinis auribus infestam primus omnium usurpavit Innocentius III. initio Saeculi XIII. Ergo cum haec vox barbara sit et nova, non est adhibenda. R. Trans. A. N. C. Vocem hanc *ex opere operato* universa usurpavit et consecravit Ecclesia. Et quamvis quoad sonum verborum non ita antiqua videatur, nec multo ante tempora S. Thomae Aquinatis fuerit usu recepta; quoad sensum tamen,

et rem hoc nomine significatam, ipsi Ecclesiae coaeva est, ut satis ostendunt ea Patrum testimonia, quae in probatione Conclusionis adduximus. Equidem barbara est vox, et contra Grammaticae regulas peccat, eoquod verbum deponens *operor* in sensu passivo usurpetur; merito tamen Ecclesia hanc vocem consecravit, quia sublata omni eaquivocatione, tam clare distinguit virtutem Sacramenti a fide suscipientis. Caeterum quae Protestantes movent contra vocem *ex opere operato*, temporibus Concilium Nicaenum I. subsequentibus movere, poterant, et moverunt contra vocem *Consubstantialis* Ariani.

CONTROVERSIA III.

AN VERBA; QUIBUS SACRAMENTA NOVAE LEGIS PERFICIUNTUR, SINT CONCIONATORIA, VEL CONSECRATORIA?

Contra Protestantes.

LXIII.

Praesens controversia maximam habet cum priori de efficacia Sacramentorum connexionem. Si enim alia in Sacramentis virtus agnoscenda non est, quam ut fidem qua justi efficimur, in nobis excitent, necessario consequitur, verba Sacramentalia non alium habere effectum, quam excitandi fidem promissionum Christi, ac proinde concionalia esse, non vero consecratoria. Porro ut Novatorum doctrina plenius intelligatur, res erit paulo altius repetenda. Lutherus et Calvinus docent, in justificatione hominis inhaerentem justitiam non infundi, qua interius homo renovetur, sed Christi justitiam dumtaxat imputari. Porro ut haec justitia Christi nobis imputetur, et quodammodo nostra fiat, sola fide promissionum opus esse ajunt, quae eam apprehendat, nobisque communicet, et qua creditur veras esse Dei promissiones de gratuita peccatorum remissione per merita Christi. Atque hoc sensu asserunt solam fidem justificare.

LXIV. Cum igitur in mente Novatorum sola fides unicum sit medium, quo gratia homini communicatur, sequitur 1. Sacramenta esse nuda, signa, quae per se, et immediate gratiam non conferunt; sed dum-

taxat exhibendo oculis promissiones Christi per symbola externa, excitant ac roborant promissionum fidem, qua homo justificatur. II. Verba in Sacramentis eo dumtaxat fine ab illis adhiberi, ut per ea populus edoceatur, et fides promissionum Christi, excitetur Signis externis, quae Christus instituit. III. Verba quibus Sacrae menta perficiuntur, quidquid tandem Protestantes dicant ad faciendum Catholicis fucum, nullo modo juxta ipsos esse consecratoria, sed mere concionalia. Re ipsa enim illi arbitrantur, verba non ad elementum dirigi, ut consecretur; sed ad eum qui Sacramentum percipit, ut justitiam Christi apprehendat, ac sibi applicet. Certe ex principiis Adversariorum legitime id consequi, patet vel ex ipsa definitione verbi concionalis et consecratorii: Verbum enim *promissorium* et *concionale* est verbum promissionem aliquam continens quod per modum concionis profertur ad excitandam audientium fidem et devotionem. Verbum *consecratorium* est illud, quod non ordinatur praecise ad erudiendam plebem, cum saepius ignoto idiomate proferatur; sed ad sanctificandum tum ipsum suscipientem, tum ipsam materiam, quae ab usu profano et vulgari ad sacrum et religiosum transfertur. IV. Ad essentiam Sacramenti requiri concionem, qua exponatur Sacramentorum vel promissio, vel institutio, vel effectus. Ratio est, quia ad essentiam Sacramenti pertinet forma. Atqui forma juxta adversarios est concio. Ergo.

LXV. *Conclusio I.* Verbum concionale non requiritur ad essentiam et valorem Sacramenti. Prob. Conclusio argumento negativo. Scripturae et Patres, quando loquuntur de Baptismo et Eucharistia, nullam concionis habendae faciunt mentionem: immo Christus ipse apud

Evangelistae describitur instituens Eucharistiam, nullo adhibito de ejus institutione sermone; qui enim legitur Cap. XIII. *S. Joannis*, post celebratam coenam atque Eucharistiae institutionem habitus est, non ad fidem excitandam; sed ut Apostoli animarentur ad charitatem mutuam, et mandatorum observationem. Prob. etiam argumentis positivis. Ac I. quidem ex praxi Ecclesiae. Ecclesia ratum semper habuit Baptismum, servata debita materia et forma collatum etiam ab haereticis, quamvis v. g. Ariani, Eunomiani, Macedoniani etc. aliter haec verba exposuerint, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ergo concio praevia non pertinent ad essentiam Sacramenti; vel admittendum erit, concionem haereticam, impietatis et blasphemiae plenam, in qua promissio et institutio Sacramenti perverse exponebatur, fuisse partem essentialem Sacramenti. Antecedens admittitur ab adversariis, et probatur authoritate S. Augustini, qui Lib. III. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XV. scribit: *Quamobrem si Evangelicis verbis, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis quam Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* II. Baptismus Catholicorum datur absque ulla concione. Atqui ratum tamen illum habent Protestantes, qui transfugas Catholicos non iterum baptizant. Ergo essentia baptismi habetur absque concione. III. Si verbum concionale ad essentiam baptismi pertineret, infantes baptizandi non essent, ut contendunt Anabaptistae. Ergo. P. A. Concio non est habenda ad illos, qui eam non intelligunt, juxta illud Ecclesiastici Cap. XXXII. *Ubi auditus non*

es, non effundas sermonem. Atqui infantes nec promissionem, nec institutionem Sacramenti intelligunt. Ergo concio non est ad eos habenda. Ergo infantes non deberet baptizari; sicque vicissent Anabaptistae.

LXVI. *Conclusio II.* Verba, quibus Sacramenta novae Legis perficiuntnr, vere ac proprie consecratoria sunt, non concionalia. Prob. I. Verba Sacramentorum nullibi a Scriptura et Patribus vocantur concionalia, sed verba benedictionis, invocatioois, evangelica, coelestia, consecrationis, et sanctificationis. Ergo sunt vere ac proprie consecratoria, non autem concionalia. P. A. I. Ad Cor. Cap. X. dicitur: *Callix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Quasi diceret Apostolus: Calix benedictus et consecratus a Sacerdotibus, nonne distribuit sumentibus ipsum sanguinem Christi? S. Ambros. Lib. II. de Sacram. Cap. V. *Venit Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patri nomen, praesentiam Filii, et Spiritus Sancti: utitur verbis coelestibus. Coelestia verba quae? Christi sunt, quod baptizemur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Idem Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. *Ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi.-- Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu.* S. Augustinus Lib. III. de Bapt. contra Donatistas, Cap. X. *Baptismus Christi verbis Evangelicis consecratus, et per adulteros et inadulteris sanctus est quamvis illi sint impudici et immundi.* Et Lib. XIX. contra Faustum, Cap. XVI. *Illae Syllabe celeriter sonantes et transeuntes -- nisi dicantur,* (Baptismus) *non consecratur.* Lib. VI. de Bapt. contra Donat. Cap. XXV. *Deus adest Evangelicis verbis suis,*

sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest. Idem Tract. LXXX. in Joan. *Detrahe verbum: quid est aqua nisi aqua?* At detracto verbo concionali et doctrinae, quo instruuntur audientes, pronuntiatis autem Evangelicis verbis, aqua non est aqua simplex et communis, sed sacra, ad effectum plane spiritualem destinata. Ergo per verbum Augustinus intelligit verbum consecratorium, non concionale. Tum paulo post subiungit S. Doctor: *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* At verbum concionale non dirigitur ad surdum elementum, recte autem verbum consecrationis.

LXVII. Prob. II. Verba concionalia nequeunt producere effectum aliquem, nisi percipiantur; fides enim ex auditu est. Sed verba, quae cum rebus Sacramentum faciunt, effectum producunt in parvulis, quamvis ab illis non percipiantur. Ergo non sunt concionalia, sed consecratoria.

LXVIII. Prob. III. Finis proximus Sacramentalium verborum est, ut symbola ipsa consecrent, et hominem sanctificent. Ergo verba Sacramentalia sunt consecratoria.
P. A. Verba, quibus Sacramenta perficiuntur, v. g. *Hoc est Corpus meum. Ego te baptizo in nomine Patris etc.* nullas clare et expresse continent divinas promissiones Quod si ad eas in nobis obsignandas immediate destinata essent, horum loco alia verba adhiberi deberent, v. g. in Baptismo verba illa Joan. Cap. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* Et. in sumptione Eucharistiae illa Joan. Cap. VI. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,*

LXIX. Prob. IV. evertendo praecipua Adversariorum fundamenta. Ex una parte commentitia est justificatio hominis per justitiam imputativam Christi, ut ostendimus Tomo. V. Artic. II. Controversia II. Ex altera parte Sacramenta ex opere operato gratiam conferunt suscipientibus qui obicem non ponunt, ut priori Controversia explicavimus. Ergo ad essentiam Sacramentorum requiruntur verba quaedam determinata, quae proprie consecratoria sunt, quibus elementum ad dignitatem Sacramenti elevetur. P. C. Sacramenta tamquam causa moralis producunt gratiam interiorem sanctificantem, per quam justi reddimur. Ergo materia sensibilis Sacramentorum debet determinatis verbis, quae Christus instituit, ab usu profano ad sacrum traduci, ut v. g. aqua naturalis in administratione Baptismi. Ergo forma, seu verba Sacramentalia debent esse vere ac proprie consecratoria.

OBJECTIONES.

LXX. *Objicitur I.* contra Conclusionem I. Auctoritas Scripturarum. Christus Matth. Cap. XXVIII. Apostolis mandavit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ergo Christus concionem exegit in Baptismo. Hinc juxta praeceptum Christi, jam inde ab Apostolorum temporibus, ut Acta Sanctorum, et scripta Patrum, v. g. Catecheses S. Cyrilli Jerosolymitani etc. testantur concio habita fuit ad baptizandos, et in unaquaque Ecclesia constitutus fuit peculiaris Catechista, cujus officium erat baptizandis per plures dies exponere Symbolum. II. Apostolus ad Ephes. Cap. V. do-

cet *mundari Ecclesiam in verbo vitae*. Atqui verbum vitae est verbum doctrinae. Ergo verbum doctrinae, seu concionale requiritur ad essentiam Sacramenti. P. m. Authoritate S. Hieronymi, qui Comment. in Cap. V. Epistolae ad Ephesios per verbum vitae intelligit verbum doctrinae, seu concionis. R. C. A. N. C. Christus equidem adultos diligenter instrui jussit ante baptismum; nullibi tamen praecipit, ut fiat concio in ipsa baptismi collatione, tamquam pars ejus constitutiva et essentialis. Neque plus aliquid evincunt praxis Ecclesiae, et scripta Patrum. Ad II. C. M. N. m. Si Scriptura per verbum vitae intelligeret verbum concionale, parvuli invalide et sine fructu baptizarentur; quia ubi nullus est qui audit vel intelligit, ibi nulla prudenter haberi potest concio: et ideo ipsi Protestantes non latina lingua, sed vernacula Baptismum administrant. Ergo cum in Baptismo parvulorum omittatur concio, quae juxta Protestantes ad essentiam Sacramenti pertinet, Baptismus parvulis collatus, invalidus erit et absque fructu. Ad *probat*. Resp. S. Hieronymus, omisso litterali sensu, locum hunc exponit mystice vel tropologice; non enim per lavacrum intelligit baptismum, sed purgationem quamlibet, quae etiam suo modo per fidei doctrinam fieri potest. Contra alii Patres, qui hunc locum ad litteram exponunt, per lavacrum intelligunt baptismum, et per verbum vitae invocationem SSmae Trinitatis. Sic S. Chrysost. Hom. XX. in Cap. V. ad Ephes. scribit: *Lavacro lavat ejus immunditiam in verbo. Quonam illo? In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Theodoretus in Comment. ejusdem capitis: *Illud autem, mundans lavacro aquae in verbo, pro eo quod est: in nomine Patris, et Fi-*

lii, et Spiritus Sancti. Adde quod communis sit Eruditorum sententia, authorem Commentarii illius in Epist. ad Ephes. non fuisse S· Hieronymum, sed Pelagium Haeresiarcham.

LXXI. *Objicitur II.* Authoritas S. Ambrosii, qui Lib. de Mysteriis, Cap. III. scribit: *Aqua sine praedicatione Dominicae Crucis ad nullos usus futurae salutis est - - - In hunc fontem Sacerdos praedicationem Dominicae Crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam.* Ergo ex mente S. Ambrosii verbum concionale in Baptismo adhibendum est. Resp. C. A. N. C. S. Ambrosius per praedicationem Crucis non intelligit verbum concionale, sed consecratorium, quod praedicationem Crucis vocat, eoquod signum si praeteritae passionis Christi, cujus virtute baptisma sanctificatum est. Profecto verbum, quod juxta Ambrosium ad aquam dirigitur, esse non potest nisi consecratorium aquae, quam dulcem reddit, quia ad gratiae productionem illam determinat.

LXXII. *Objicitur III.* Ratio. Omne Sacramentum, est signum et symbolum rei sacrae, ipsaque etiam verba, quibus perficitur Sacramentum, habent rationem signi. Ergo debent ducere in cognitionem Mysteriorum fidei. Atqui ducere non possunt, nisi sunt concionalia, quae excitent fidem in audiente. Ergo verbum concionale pertinet ad essentiam Sacramenti. R. D. A. Habent rationem signi practici, C. A. Signi mere speculativi, N. A. Et D. C. Ergo debent in cognitionem Mysteriorum fidei actu ducere, N. C. Debent posse ducere, C. Conseq. Sacramenta novae Legis sunt signa efficacia, practica, et effectiva sanctitatis quam significant et causant independenter a notitia rei significatae, ut patet in baptismo parvulorum.

LXXIII. *Objicitur IV.* Infirmitas probationis nostrae. Parvuli dum baptizantur, habent fidem actualem et pios quosdam motus in Deum. Ergo ex baptismo parvulorum nihil contra Protestantes evincitur. P. A. I. ex Scripturis. Matth. Cap. XVIII. Christus ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt.* Ergo infantes habent fidem actualem. Accedit exemplum S. Joannis Baptistae, qui *Lucae* Cap. I. in utero matris sensit praesentiam Christi, et prae gaudio exultavit. Prob. II., ratione. Si parvuli non crederent actu proprio, dum baptizantur, mentirentur qui pro parvulis respondent, *Credo.* Ergo. R. N. A. Parvuli, dum baptizantur, non habent fidem propriam actualem, aut pias inclinationes a fide distinctas: neque tamen sine omni fide justificantur, tum quia in baptismo infunditur illis habitus fidei una cum habitibus spei et charitatis: tum quia praeter fidem habitualem actu credunt fide aliena, nempe Ecclesiae. Sicut enim per peccatum primi parentis damnati sunt ad mortem, ita per baptismum et fidem Ecclesiae transferuntur ad vitam. Profecto actualis illa parvulorum fides, quam statuit Lutherus, nullum habet in Scripturis fundamentum ac Patribus repugnat, speciatim *Augustino*, qui Epist. CLXXXVII. alia LVII. ad Dardanum asserit, eos qui putant infantes credere quando baptizantur injuriam facere humanis sensibus. Videmus enim infantes partim vocis ejulatu, partim motu corporis reluctari, quando baptismum aquae suscipiunt: quod sane non facerent, si crederent se per baptismum regenerari, et filios Dei fieri. Ad *probat.* I. C. A. N. C. Pusilli, de quibus loco citato Christus loquitur, non sunt infantes recens nati, sed parvuli pau-

lo grandiores; qui ad annos discretionis vel jam pervenerant, vel proxime saltem ad illos accedebant, ut ex contextu manifestum est. Christus enim vocavit illos ad se, et vocati accesserunt. *Advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum.* Dein per aetatem censetur capaces scandali. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis.* At neutrum certe convenit infantibus recens natis. Neque exemplum S. Joannis Baptistae Protestantibus patrocinatur; quamvis enim Scriptura diceret, eum in utero matris credidisse, quod tamen nullibi dicitur, sed tantum exultasse; legitime inferri nequit, speciale hoc privilegium Sanctissimo Praecursori concessum caeteris etiam infantibus communicari. Nemo sane, ut S. Augustinus loco citato observat, in deliberationibus asinina expectat consilia, quod asinam Balaam semel locutam esse ex Scripturis didicerit. Ad *probat.* II. N. A. Qui pro parvulo respondent *Credo*, non significant illum credere actu proprio, sed alieno.

LXXIV. *Dices I.* Quamvis daretur, infantes actuali fide destitui, baptismus tamen eis prodesse poterit. Ergo. P. A. Quamvis eo tempore quo parvuli baptizantur eis nihil prosit baptismus, quia ejus significationem non intelligunt; proderit tamen eis suo tempore, quando ad annos discretionis pervenerint. Resp. juxta principia Protestantium, N. A. Ad *probat.* Resp. I. Ergo parvuli perperam baptizantur, satiusque foret, ut contendunt Anabaptistae, non nisi adultis baptismum administrare. Resp. II. N. A. Si tunc non prodest, numquam proderit. Si enim concio est de essentia Sacramenti, ut hoc sit validum, actu tunc debet ab infantibus percipi concio: sicut aqua debet tunc eos

attingere, quando Evangelica verba proferuntur. Adde plures infantes mori, antequam ad annos discretionis perveniant, adeoque priusquam quidquam utilitatis ex concione consequantur.

LXXV. *Dices II.* Etsi concio non prosit infantibus, prodest tamen circumstantibus. Ergo non frustra baptizantur parvuli. R. N. C. Sacramenta non celebrantur propter circumstantes, sed ad utilitatem suscipientium. Praeterea facile contingere potest nullum adesse, praeter infantem baptizandum, et ministrum baptismi.

LXXVI. *Objicitur V.* contra Conclusionem II. Authoritas *S. Augustini.* S. Doctor Tract. LXXX. in Joan. expendens ea Christi verba, *Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis*, scribit: *Quare non ait, mundi estis propter baptismum quo loti estis, sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis: nisi quia et in aqua verbum mundat?* Sed verbum, quod in aqua mundat, est concionale. Ergo. P. m. Illud ipsum verbum mundat in aqua, quod Christus Apostolis praedicavit. Atqui illud fuit concionale. Ergo. R. C. M. N. m. Ad *probat.* D. M. Illud ipsum verbum, sed diverso modo administratum, C. M. Eodem modo administratum, N. M. Equidem Christus quando determinata verba praescripsit, quibus Apostoli uterentur in conficiendis Misteriis, verbum consecratorium administravit modo concionatorio, Discipulos suos instruendo. At vero Sacerdotes Sacramenta celebraturi, diverso modo verbum Christi administrant, dirigendo illud ad elementum. S. Augustinum quod attinet, ostendit is loco citato omnem emundationem spiritualem esse a verbo fidei, sive in Sacramento si-

ve extra illud. Extra Sacramentum quidem excitative, quatenus verbum fidei praedicatum audientes excitat ad fidem, qua disponuntur ad obtinendam justificationis gratiam; effective vero et ex opere operato in Sacramento, ut patet in baptismo, in quo aqua per verbum fidei consecrata et sanctificata, dum corpus tangit, cor abluit, hoc est, in quo verbum fidei cum lotione corporis, quam per virtutem a Christo acceptam complet et perficit in esse Sacramenti, determinat Deum ad infundendam gratiam, qua emundatur anima illius, cujus corpus aqua adspergitur.

LXXVII. *Dices.* S. Augustinus loco citato ulterius pergit: *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur?* Ergo S. Doctor virtutem mundandi non tribuit verbo consecratorio, sed concionali. P. C. Verbum quod mundat quia creditur, est concionale; fidem enim excitat, et excitando mundat. R. C. A. N. C. Juxta Augustinum verbum mundat, non quia dicitur, sed quia creditur, id est, non quatenus actu creditur, quod per verbum significatur, ut manifeste elucet in parvulis, qui in baptismo mundantur, licet actu non credant fide propria: neque quatenus verbum est quid naturale, et sonus transiens; sed quatenus est verbum Christi supernaturale, quod sola fide apprehenditur. Atque ita Augustini mentem explicat S. Thomas Parte III. Quaest. LX. Art. VII. ad I. *Verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur, id est, non secundum exteriorem sonum vocis; sed quia creditur, id est, secundum sensum verborum, qui fide tenetur.* Ad *probat.* D. A. Si mundat, quia creditur actu ac formaliter, C. A. Si mundat, quia

creditur objective, id est, quia est objectum fidei, N. A. et Conseq. Atque hoc posteriori sensu dumtaxat ait Augustinus verbum Sacramentale mundare; subjungit enim paulo post citata verba: *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem.*

CONTROVERSIA IV.

AN, ET QUAENAM SACRAMENTA IMPRIMANT ANIMAE CHARACTEREM?

Contra Protestantes.

LXXVIII.

Character graece idem est, quod latine signum, forma aut figura, qua res aliqua insignitur: si charactere notata pecora dicimus, quae signum aliquod peculiare inustum habent. Quod si Theologice loqui velimus, character ex mente Ecclesiae Catholicae est signum in anima impressum, indelebile, quo distinguitur homo ab aliis, efficiturque idoneus ad nonnulla, quae sunt cultus divini: in Baptismo nempe ad recipienda alia Sacramenta, in Confirmatione ad professionem fidei, in Sacra Ordinatione ad functiones Ecclesiasticas obeundas. Dicitur I. *Signum*, sive signaculum Christi Regis, quod quisquis infixum habet, tum summi honoris titulo fruitur, tum ab aliis distinguitur

qui illud non habent. Nam quemadmodum milites olim, quando militiae adscribebantur, solebant quibusdam corporalibus characteribus insigniri, tum ut sui perpetuo admonerentur officii, tum ut ab exteris distinguerentur, facileque cognosci posset, sub quo Principe stipendia facerent: ita voluit Christus signo Imperatorio extornare milites suos. II. *In anima impressum* ut distinguatur tum a charactere Circumcisionis, quo Judaei in corpore veluti pecora gregis Domini secernebantur ab aliis nationibus: tum a notis et insignibus, quae Principum ministri exterius in vestibus circumferunt: tum denique a charactere daemonis, qui velut simia Dei, extrinsecus notat sacrilegos sibi mancipatus. III. *Indelebile*, non quod a Divina Omnipotentia obliterari nequeat; sed quia naturae ejus, quam a Deo accepit, repugnat ut deleatur; eo modo quo anima immortalis dicitur, quia principium in se mortalitatis non habet.

LXXIX. Characterem spiritualem animae imprimi in Sacramentis Baptismi, Confirmationis et Ordinis, summo consensu docuerunt veteres etiam Scholastici; quamquam de natura et essentia characteris, et vi probationis, qua is existere ostenditur, inter se disputaverint. *Gabriel Biel* in IV. Sentent. Dist. VI. Quaest. II. Art. I. *Scotus* in IV. Dist. VI. Quaest. IX. *Cajetanus* in III. Partem S. Thomae, Quaest. LXIII. Art. I. propter solam Ecclesiam authoritatem admittendum esse characterem docent. *Durandus* in IV. Sentent. Dist. IV. Quaest. I. propter modernorum authoritatem. Verum quamvis etiam daretur, antiquis aliquot Scholae Magistris, ante definitionem Ecclesiae, incertam et dubiam fuisse characteris veritatem; nihil tamen Wickleffus,

Lutherus, Calvinus, eorumque pedissequi Protestantes adversus Catholicum dogma lucrantur: neque enim fides nostra ex privata nonnullorum doctrina aestimari debet, sed ex publicis confessionibus ac decretis Ecclesiae.

LXXX. Essentiam characteris quod attinet, *Scotus* in IV. Sentent. Dist. VI. Quaest. X. eam reponit in relatione reali; quia signum illud ex natura sua ordinem dicit ad quaedam religionis officia. *Durandus* in IV. Dist. IV. Quaest. I. existimat characterem non esse aliquid reale et absolutum, distinctum ab anima; sed esse dumtaxat relationem rationis, seu denominationem externam, per quam homo deputatur ad sacras functiones, ea fere ratione, qua Magistratus authoritate sua deputat civem ad ministeria politica, absque ulla entitate superaddita. Equidem haec Durandi sententia *Bellarmino* Lib. II. de Sacramentis in genere, Cap. XIX, et *Suario* in III. Partem S. Thomae Quaest. LXIII. Protestantium errori favere videtur, eoquod illi non negent, per Sacramentum tribui aliquam denominationem extrinsecam, indeque oriri aliquam relationem rationis. At *Vasquius* in III. Partem S. Thomae, disputat. CXXXIV. Artic. VI. Cap. II. ostendit, latum discrimen esse inter errorem Novatorum, et sententiam Durandi, eoquod Protestantes non solum negent, Confirmationem et Ordinem esse Sacramenta; sed etiam asserant, eum qui fuit semel Sacerdos, rursus posse fieri laicum, adeoque characterem non esse indelebilem. Alii Scholastici docent characterem esse qualitatem, sed non consentiunt, quae sit illa qualitas. Quidam illam revocant ad figurae speciem; alii cum Guilielmo Altissiodorensi ad patibilem qualitatem, alii cum Alen-

si ad habitum, alii communiter cum S. Thoma ad potentiam. Verum non vacat curiosis hisce magis quam proficuis Theologorum quaestionibus diutius immorari, quae salva fide in utramque partem disputantur.

LXXXI. *Conclusio.* Tria Sacramenta, nempe Baptismus, Confirmatio et Ordo imprimunt in anima characterem. Missis Scripturarum testimoniis, quae decretoria non esse fatemur, eoquod Patres litterali sensu illa interpretati sint de interiori per gratiam unctione, probatur conclusio praecipue ex Traditione. Ac I. quidem Authoritate Patrum, qui docent per aliqua Sacramenta imprimi signum distinctum tum ab externo Sacramenti ritu, tum ab interiori gratia: quod animae inhaereat, perpetuum sit ac indelebile, quod denique fideles a caeteris distinguat. Affirmant, enim signum illud inhaerere animae, etiam postquam fluxit actio Sacramentalis: docent signum illud amitti non posse, quod certe gratiae sanctificanti non convenit, portarique illud a desertoribus etiam ac apostatis. Ergo Patres characterem admisere in sensu Catholico. P. A. Adducendo clarissimos Patrum textus. S. Cyprianus Epist. LXXVII. scribit: *Recens baptizatos sigillo Domini consummabo.* S. Cyrillus Jerosol. Praefatione in Catecheses, Baptismum vocat *Signaculum sanctum et indelebile.* S. Epiphanius Haeresi VIII. *Baptismus, quo nos a peccatis praedicimur, et in Dei nomine signamur.* S. Basilius Hom. XIII. in S. Baptisma: *Nemo te quarum, nostrarum an adversarii partium sis, noverit, nisi mysticis signis familiaritatem praeteferas, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo dices, Dei sum, signa non*

ostendens? --- *Thesaurus non obsignatus furibus patet: ovis item absque nota, insidiis protinus est obnoxia* S. Ambrosius Lib. I. de Spiritu Sancto, Cap. VI. *Etsi specie signemur in corpore, veritate tamen signamur in corde.* S. Augustinus Lib. II. contra Epistolam Parmeniani, Cap. XIII. *An forte minus haerent Sacramenta Christiana, quam corporalis haec nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse judicatur?* Et Lib. VI. de Bapt. contra Donat. Cap. I. *Satis eluxit Pastoribus Ecclesiae Catholicae toto orbe diffusae, per quos postea plenarii Concilii authoritate originalis consuetudo firmata est; etiam ovem, quae forit errabat, et Dominicum characterem a fallacibus depradatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianae unitatis salutem, ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius quam improbari.*

LXXXII. Prob. II. Authoritate Conciliorum. *Florentinum* in Decreto pro Armenis ait: *Inter haec Sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quae characterem, id est, spirituale quoddam signum a caeteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua veto quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt.* Tridentinum Sess. VII. Can. IX. *Siquis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

LXXXIII. Prob. III. Ratione Theologica. Ex perpetua praxi Ecclesiae Orientalis et Occidentalis constat, quaedam Sacramenta nempe Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, semel valide collata iterari amplius non posse. Atqui hujus nulla ratio sufficiens assignari potest, nisi dicantur, quod tria illa Sacramenta semel valide suscepta hominem perpetuo Deo consecrent, semperque in aliquo suo effectu, nempe charactere maneant, quo anima consecratur, et spiritualis ei potestas confertur. Ergo. P. M. Baptismum valide semel collatum iterari non posse docent PP. Concilii *Carthaginensis III.* A. 397. Cap. XXXVIII. *S. Leo M.* Epist. CXXXV. alias XXXVII. ad Neonam Ravennatem, et Epist. CXXIX. alias LXXIX. ad Nicetam Aquilejensem. *S. Augustinus* Lib. II. de Bapt. contra Donat. Cap. XIV. etc. De Confirmatione idem docent *S. Augustinus* Lib. II. contra litteras Petiliani, Cap. CIV. *S. Gregorius* II. Epist. XIII. ad S. Bonifacium. *Toletanum VIII.* A. 653. Capit. VII. et *Cabilonense II.* A. 813. Can. XXVII. De Ordinatione. *Carthaginense III.* A. 397. Cap. XXXVIII. et *S. Augustinus* Libro II. contra Epist. Parmeniani, Cap. XIII. etc. Neque obstat, quod Firmilianus et S. Cyprianus cum Episcopis suis Collegis Sacramenta ab Haereticis collata, iteranda esse duxerint; putabant enim illi, licet perperam omnino et contra Apostolicam traditionem, Sacramenta ab Infidelibus et Haereticis invalide conferri. Minor propositio probatur tum negative, quia alia sufficiens ratio a Protestantibus ostendi nequit, ut patebit et solutione objectionum: tum etiam positive, quia hanc ipsam rationem assignant Florentinum et Tridentinum, quorum verba pau-

lo ante adduximus, et *S. Augustinus* Epistola XCVIII. alias XXIII. ad Bonifacium, ubi repetit causam ex quadam consecratione mentis, cur iterandus non sit baptismus. *Nam si Christiani Baptismi Sacramentum, quando unum atque id ipsum est, etiam apud haereticos valet et sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitae aeternae participationem non sufficiat; quae consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem habentem Dominicum characterem, corrigendum tamen admonet doctrina sana, non iterum similiter consecrandum.*

LXXXIV. Caeterum ratio a priori, cur illa tria Sacramenta characterem imprimant, atque iterari non possint, alia non est nisi voluntas Christi per Traditionem, et expressam Tridentinae Synodi definitionem nobis manifestata; congruentiam vero hanc cum S. Thoma passim assignant Theologi. Per sola illa tria Sacramenta homo specialiter deputatur ad certum quoddam munus et officium stabile in Ecclesia Dei, novamque ad illud obeundum potestatem accipit. Nam per baptismum adscribitur in familiam Christi, ejusque velut domesticis accensetur, et accipit potestatem recipiendi alia quoque Ecclesiae Sacramenta: per Confirmationem adscribitur militiae Christi, et accipit potestatem ac robur ad fidem Christi, contra quosvis hostes publice, ac veluti ex officio propugnandam: per Sacramentum Ordinis assumitur veluti in Magistratum, numerumque Ducum militiae Christi, et accipit potestatem regendi familiam Christi, praecipue per administrationem Sacramentorum, quorum minister specialiter constituitur. Contra per Eucharistiam homo nutritur tantum spiritualiter, per Poenitentiam

Deo reconciliatur, per Unctionem abstergit reliquias peccatorum, per Matrimonium procreatione prolis Ecclesiam corporaliter multiplicat. Prout igitur in republica humana domestici Principum, milites, aut duces, seu magistratus etiam cultu exteriori, et certis quibusdam notis seu insignibus ornari solent, quibus tum a se invicem, tum etiam ab aliis discerni possint: ita etiam Christus hos suos domesticos, milites, ac duces in susceptione supradictorum Sacramentorum certis quibusdam notis seu charecteribus, quibus tum a se invicem, tum etiam ab aliis discerni possint, voluit insigniri.

LXXXV. *Quaeres I.* An imprimatur character in eo, qui absque debitis dispositionibus tria illa Sacramenta suscipit? II. An fide divina certum sit, idcirco tria illa Sacramenta iterari non posse, quia characterem imprimunt? III. An de fide sit characterem esse indelebilem? IV. An etiam Sacramenta vetera illum impresserint? V. An character etiam fuerit in Christo Domino? R. ad I. affirmative. Si enim character non imprimeretur, nullus existere Sacramentorum effectus, quae quis in haeresi vel contulit, vel suscepit, cum haeretici Spiritum Sanctum dare non possint. Ergo Sacramenta illa rata non haberet Ecclesia, sed potius iterari juberet. Atqui Ecclesia ratum habet illud Sacramentum. Ergo. Ad II. Resp. Quamvis fide divina id credendum non sit, eoquod Ecclesia in Tridentino congregata id suprema authoritate non deciderit, sed praecise tamquam rationem adducat, qua Canonem illum communit; ingentis tamen temeritatis reus esset, qui id inficias iret. Ad III. Resp. Characterem in hac vita non deleri fide

divina credendum est, cum a Tridentino indelebilis dicatur. An vero in altera vita sit delendus, non usque adeo certum est; verbis tamen Tridentini conformius videtur, illum delendum non fore, qui in Beatis permansurus est ad gloriam, in damnatis ad poenam. Ad IV. Resp. negative; nulla enim authoritate aut firma ratione id ostendi potest: immo Patres hac etiam de causa baptismum circumcisioni anteferunt, quod haec in corpore, ille vere in spiritu suscipientes consignet. Ad V. Resp. negative. Christus nullum suscepit novae Legis Sacramentum ex iis, quae characterem imprimunt; estque per se et ex natura sua Sacerdos in aeternum, plenissima protestate pollens: character autem est tantum participatio quaedam Sacerdotii Christi. Denique Christus ratione ipsius unionis hypostaticae sicut reliquis hominibus longissime praestat, ita facile ab iis potest discerni: neque decet Supremum Dominum servorum suorum characteribus, aut imperatorem insignibus militum suorum notari.

OBJECTIONES.

LXXXVI. *Objicitur I.* Silentium Scripturarum, Patrum, ac Veterum Theologorum. Nulla in Scripturis fit mentio de charactere. II. Patres, et antiquiores Theologi altum de illo silent, ut patet ex Magistro Sententiarum, et Hugone Victorino. III. Primus, qui opinionem hanc invexit, fuit Saeculo XIII. ineunte Innocentius III. Cap. *Majores*; Lib. III. Decretalium, Tit. XLII. Ergo sententia docens imprimi in anima per aliqua Sacramenta characterem, est nova et

rejicienda. R. ad I. C. A. N. C. Quamvis nulla occurrant aperta Scripturarum testimonia, quibus characterem imprimi liquido evincatur, invicte tamen id ostenditur ex Verbo tradito, quod paris est cum Verbo scripto authoritatis. Ad II. N. A. Patres, ut in probatione Conclusionis ostendimus, expresse docent, sigillum quod baptismus imprimit, esse indelebile etiam in apostatis et haereticis: signum illud esse spirituale, eoque non corpus, sed animam obsignari etc. Theologos antiquos quod attinet, tantum non omnes illius diserte meminerunt. Magister Sententiarum *Petrus Lombardus* characteris quidem nomine non utitur; at rem nomine ipso significatam agnovit docens Lib. IV. Sententiarum, Dist. VII. Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse, quia per quamdam consecrationem conferuntur; quae ratio ex S. Augustino deprompta est, ac characterem Sacramentalem subindicat. Ad III. N. A. Quaestio tunc non movebatur, an baptismus imprimeret characterem, nec ne: quin e contrario illud pro certo utrimque assumebantur tum ab haereticis disputantibus, tum a Catholicis, qui impetebantur. In eo itaque erat status quaestionis, utrum dormientibus et amentibus character imprimeretur; eaque causa Arelatensi Archiepiscopo fuit Innocentium III. consulendi. Respondit Pontifex validum esse baptismum iisdem collatum, atque adeo characterem imprimi, si prius habuere aliquando intentionem suscipiendi baptismum, eamque non retractaverint. *Tunc ergo*, ait Innocentius III. *characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem*. Ex quo vides falso et imperite a Protestantibus opponi, primum ab Innocentio III. characterem Sacramentalem fuisse excogitatum.

LXXXVII. *Objicitur II.* Authoritas *S. Augustini.* Juxta S. Doctorem signaculum illud, quod per baptismum imprimitur, non est spirituale. Ergo non est character, qualem Catholici describunt. P. A. Augustinus saepius affirmat, characterem illum *agnosci exterius, et agnitum approbari.* Atqui spirituale signaculum nequit exterius agnosci. Ergo. R. N. A. Tale est signaculum, qualis est consecratio, per quam homo Deo dedicatur. Atqui consecratio illa tota est spiritualis et insensibilis. Ergo. Ad *probat.* D. M. Characterem illum agnosci in sua causa nempe v. g. in Baptismo, C. M. In se ipso, N. M. Et sic Dist. minore, N. C. Hoc ipso quod constet aliquem ritu legitimo baptizatum esse, constat etiam characterem in ejus anima fuisse impressum; cognita enim causa, cognoscitur etiam effectus, maxime si necessario ex illa sequatur, sicut character ex Baptismo.

LXXXVIII. *Dices I.* Juxta S. Augustinum character cognoscitur exterius etiam in se ipso. Ergo non est spiritualis. P. A. Sermone ad plebem Caesariensem Tomo IX. Operum ait: *Ego quando venio ad fratrem meum, et colligo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Iste est character Imperatoris mei.* Ex quibus verbis hoc instruitur argumentum. Juxta Augustinum character Sacramentalis Baptismi est invocatio SS. Trinitatis. Atqui haec invocatio cognoscitur exterius in se ipsa. Ergo character Sacramentalis cognoscitur exterius in se ipso. Ergo non est spiritualis. R. N. A. Ad *probat.* concesso textu, D. M. Juxta Augustinum invocatio SS. Trinitatis est character Sacramentalis imprimens, seu causa instrumentalis characteris Sacramen-

talis Baptismi, C. M. Est character impressus, de quo hic agimus, N. M. Distinguendum est inter sigillum figuram imprimens, et figuram ipsam per sigillum impressam. Ritus exterior, et invocatio SS. Trinitatis est veluti sigillum imprimens characterem, et transit; consecratio vero impressa manet in anima, diciturque character impressus Sacramentalis.

LXXXIX. *Dices II.* S. Doctor loco cit. affirmat, siquis baptizaretur in nomine Donati, a quo nomen traxere Donatistae, recepturum characterem Donati. *Donatus non baptizavit in nomine Donati. Nam si Donatus quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret.* Ergo cum nullus esse possit character Donati impressus in anima, nullus quoque animae imprimitur character Christi. R. C. A. N. C. S. Augustinus ut ostenderet Donatistis Sacramentorum valorem non pendere a fide vel probitate Ministri, argumento ad hominem usus, ex hypothesi loquitur impossibili, aitque, si Donatus sum proprium baptismum conferret, baptizatis quoque suum characterem impressurum esse; ipsam autem hypothesin neque probat, neque admittit.

XC. *Objicitur III.* Inutilitas characteris. Si daretur character, tunc ideo, ut sit nota quaedam distinctiva et signum permanens, per quod homo stabiliter Deo consecratur, et a caeteris distinguitur. Atqui haec ratio nulla est. Prob. min. quoad I. partem. Adoptio in filium, conscriptio militum, et collatio potestatis politicae fiunt, quin imprimatur signaculum aliquod naturale intrinsecum. Ergo etiam consecratio illa spiritualis, et collatio potestatis sacrae fit absque charactere supernaturali intrinseco: vel saltem ad eam con-

secrationem sufficit gratia supernaturalis. Prob. etiam minor quoad alteram partem. Deus et Beati possunt eos, qui haec Sacramenta susceperunt, sufficienter discernere, etiamsi character in eorum anima non esset impressus; viventes autem internum hoc signaculum non vident. Ergo character est inutilis. R. C. M. N. m. Ad *probat.* I. C. A. N. C. Quod adoptio in filium, conscriptio militum, ac collatio potestatis politicae fiant sine impressione signaculi naturalis intrinseci, ut observat *Card. Sfortia Pallavicinus* in Hist. Conc. Tridentini Lib. IX. Cap. V. Num. V. id apud homines ex ipsorum imbecillitate procedit, quae potis non est alios nobilitare atque cohonestare per intimas animi dotes, jus ipsis aut haereditatis aut Magistratus impertientes. Unde homines voluntatis suae declaratione, seu fictione juris aliquem agnoscunt ut filium, assumunt in militem, politicam potestatem conferunt, proinde ac si ille signaculo quodam esset consignatus. At vero Deus qui quidquid vult potest, efficaci voluntate sua per inditas animi dotes, adjectaque supra naturam decora ac vires, sine ulla fictione id praestat. Caeterum consecrationem illa non fieri per gratiam sanctificantem, ex eo patet, quia suscipiens v. g. baptismum in haeresi ac pertinacia Schismatis, aut sine fide et debitis dispositionibus, Deo per characterem consecratur, quamvis gratiam sanctificantem non recipiat. Ad *probat.* II. C. A. N. C. Quamvis qui suscipiunt ea Sacramenta possent a Deo et Beatis cognosci absque charactere; voluit tamen Deus ut in hac providentia cognoscerentur per characterem: neque hujus rei alia quaerenda est ratio, quam voluntas facientis. Certe ex hoc Adversariorum argumento sequeretur, Sacramenta omnia su-

perflua esse ad sanctificationem nostram sive ex opere operato, sive ex opere operantis; quia potuit Deus alia via suam nobis gratiam communicare.

XCI. *Objicitur IV.* Vitium argumenti. Juxta nos tria illa Sacramenta characterem imprimunt, quia iterari nequeunt: et ideo iterari nequeunt, quia characterem imprimunt. Ergo committimus circulum vitiosum. Resp. I. characterem spiritualem in anima imprimi, praecipue probari a nobis ex Traditione, sive ex doctrina Patrum et Conciliorum. R. II. C. A. N. C. Vitiosus non est circulus, cum probatio ex diverso causae genere deducitur, qua ratione effectus per causam, et causa per effectum aliquando probatur. Iterari non posse aliqua Sacramenta probamus ex charactere impresso, tamquam ex effectu Sacramenti: et vicissim probamus characterem ab illis Sacramentis imprimi, tamquam ex causa. Denique illud observo, si de solo Baptismo sit sermo, importunum esse hoc adversariorum argumentum. Tunc enim in circulo ambulatur, quando hoc probatur per illud, vicissim illud per hoc apud eum, qui neutrum concedit: at vero Protestantes non utrumque negant; sed nobiscum fatentur, Baptismum iterari non posse.

XCII. *Objicitur V.* Infirmitas III. probationis nostrae. Quamvis character non imprimatur, facile tamen assignari potest ratio, cur v. g. Baptismus iterari nequeat. Ergo probatio nostra prorsus infirma et evanida est. P. A. Prima ratio est, quia Baptismus significat mortem Christi, quae semel tantum illi illata est. II. Quia est Sacramentum fidei, fides autem una est. III. Quia est signaculum foederis Domini, quod est perpetuum et irrevocabile. IV. Quia est Sacramentum re-

generationis, quae tantum unica est. V. Quia Baptismus est janua in Ecclesiam, in quam qui semel ingressus est, non ampliús potest intrare. *Confirm.* Deus ita potuisset Baptismum instituere, ut posset iterari vel non iterari. Ergo non character, sed voluntas Christi est causa, cur iterari nequeat. Resp. I. N. C. Etsi ratio quaedam alicujus ponderis a Protestantibus proferri posset, nihil tamen detraheretur alteri genuinae quam attulimus rationi, in doctrina Patrum et Conciliorum fundatae. Resp. II. N. A. Prima ratio siquid probaret, saepius in vita recipi non posset Eucharistia, quae pariter signum est passionis et mortis Christi, juxta illud I. ad Cor. Cap. XI. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Neque magis efficax est II. ratio: qui enim cum haeresi externa baptizantur, veram fidem et doctrinam non profitentur; neque tamen idcirco invalidum est Sacramentum. Ergo non ideo baptismus non repetitur, quia est Sacramentum fidei; sed quia semel datum semper manet in aliquo suo effectu, qui praeter characterem alius esse non potest. III. ratio omnino inepta est: praeterquam enim quod hoc foedus hypothetice tantum perpetuum sit, si nimirum homo promissis steterit; hujusque foederis pacta saepe frangantur, sequeretur pariter hominem in vita non saepius Eucharistiae participem fieri posse, cum et illa pactum divinum includat, jus scilicet ad aeternam haereditam, juxta illud Christi Joan. Cap. VI. *Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* IV. rationem infirmam esse ostenditur exemplo hominis scienter in haeresi vel schismate baptizati, qui procul dubio spiritualiter non nascitur per tale baptisma, cum

non ad vitam, sed ad perniciem illud recipiat: neque tamen idcirco, quando fictionem deponit, denuo baptizari potest, aut debet. Adde, quod quamvis nemo secundum naturam possit de novo nasci, possit tamen secundum gratiam, quoties nimirum a peccato mortali purgatus novam incipit in Christo inire vitam. Idem de V. ratione sentiendum est; janua enim Ecclesiae saepe aperitur haereticis et schismaticis, non quidem per baptismum, sed per poenitentiam. Quod si dicas, causam cur baptismus reiterati nequeat, esse solam voluntatem Christi: quaero ex Protestantibus, undenam hoc Christi mandatum ipsis innotuerit? Certe non ex Scriptura, quae licet nullibi dicat iterandum esse baptismum, nullibi etiam, saltem expresse, prohibet iterari. Ergo ex Traditione habeant necesse est. Atqui eadem Traditio docet baptismum iterari non posse, quia spiritualem imprimit characterem. Ergo Protestantes vel negare non debent baptismum posse iterari; vel si ad Traditionem recurrant, eamdem cum Catholicis rationem assignent oportet, ob quam iterari nequeat. Ad *confirm.* C. A. D. C. Character secundum se non est causa, Tr. C. Ut in hunc finem a Christo institutus, N. C.

XCIII. *Dices.* Ex eo quod Sacramenta aliqua iterari nequeant, male infertur, imprimi per illa characterem spiritualem. Ergo. P. A. Consecratio Ecclesiarum et calicum iterari nequit, quamvis Ecclesiis et calicibus non imprimatur character. Idem dicendum est de Matrimonio, quod cum eadem persona iterari nequit. II. Absurdum est affirmare rei alicujus existentiam, cujus naturam ignoramus. Ergo cum ipsi Catholici inter se disputent, in quo natura characteris sit reponenda, inepte docent imprimi per aliqua Sacramenta cha-

racterum. R. N. A. Ad *probat*. Resp. Consecrationem Ecclesiarum et calicum amitti posse per execrationem, et fractionem, atque iterum repeti. Praeterea magna intercedit disparitas: Ecclesiae enim materiales, et Vasa sacra incapacia sunt spiritualis potestatis, quae homini per characterem confertur. Matrimonium, quamvis cum eadem persona iterari nequeat, cum sit vinculum indissolubile, de se tamen iterari potest cum diversa persona: neque homo per illud deputatur ad agendum aliquid, vel recipiendum quod pertineat ad cultum Dei. Ad II. N. A. Quis enim exacte definiat, quid sit Deus, aut quis aeternam Divini Verbi generationem enarrabit? Protestantes tamen utrumque confitentur, nempe existere Deum, et secundam in Trinitate Personam generari.

CONTROVERSIA V.

AN OMNES ET SOLI HOMINES POSSINT ESSE MINISTRI SACRAMENTORUM OMNIUM?

Contra Lutherum, Wickleffum, Waldenses, Pepuzianos, Marcitas etc.

XCIV.

Status quaestionis est, utrum omnes et soli homines sint personae idoneae, et potestatem habentes conficiendi Sacramenta; ministrare enim idem hic significat, quod efficere; et minister Sacramentorum, idem quod Sacramenti effector. Noto autem I. non hic agi de ministro primario et principali, qui est solus Chri-

stus, cujus nomine fiunt Sacramenta, et a cujus solius meritis omnem habent efficaciam; sed de ministro secundario, qui sub Christo, et ejus nomine potest valide conficere Sacramentum. Noto II. non hic quaeri de ministro Baptismi et Matrimonii, sed reliquorum Sacramentorum. Baptismum enim ob summam ejus necessitatem semper judicavit Ecclesia valide conferri posse a quolibet homine; Matrimonium vero, quia consistit in mutuo contractu legitimo duorum, juxta communissimam ac veram Theologorum sententiam, ministros habet marem et foeminam Christianos, qui legitimi hujus contractus, elevati a Christo ad rationem Sacramenti, sunt capaces.

XCV. Geminus circa praesentem controversiam *Lutheri* error occurrit. Nam I. Lib. de Missa privata et Unctione Sacerdotum docuit, Angelos sive bonos sive malos legitimos esse Sacramentorum ministros. II. Alibi saepius asseruit, omnes et solos homines baptizatos habere potestatem omnia Sacramenta administrandi; tametsi ad tollendam confusionem non oporteat omnes uti hac potestate, sed tantum eos qui legitime sunt vocati, exceptis tantum tribus casibus, nempe quando quis est in loco privato, ut v. g. domi suae; vel quando nemo alius adest, et necessitas urget; vel quando alius quidem adest, sed non tam bene ministrat, ac ego facerem. Sic Lib. de Capt. Babylon. Cap. de Ordine, scribit: *Esto certus, et sese agnoscat quicunque Christianum se esse cognoverit, omnes nos aequaliter esse Sacerdotes, hoc est, eamdem in verbo et Sacramento quocunque habere potestatem; verum non licere quemquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis, vel vocatione Majoris.* Consonat Articulus

XIII. inter damnatos a Leone X. *Ubi non est Sacerdos, aeque potest quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset.* Hujus erroris duo principia fuerunt, quorum primum est, quod Sacramenta non operentur nisi excitando fidem: unde sequitur, nullam ministri qualitatem requiri ad valorem Sacramenti; verba enim Sacramentalia et signa a quocumque exhibeantur, excitare possunt fidem. Nam sive dicantur ab ordinato sive a non ordinato, sive ab homine sive a daemone, idem significant, et significando animum audientium eodem modo movent. Alterum est, quod per ministrorum Ordinationem nullus imprimatur character, nec detur nova aliqua potestas spiritualis, sed tantum detur usus, seu officium. Ex quo principio manifeste sequitur, nullam ordinationem vel electionem ministrorum requiri, ut fiat verum Sacramentum, sed solum ut ordo et disciplina servetur.

XCVI. Neque primus fuit Lutherus, qui haec doctrinae monstra excogitavit. *Tertullianus* Lib. de Praescriptionibus, Cap. XLI. conqueritur, a Novatoribus sui aevi sublatam fuisse ordinum, ac functionum hierarchicarum distinctionem. *Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes: nunc Neophytos conlocant, nunc saeculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, cras Lector: hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis Sacerdotalia munia injungunt.* Waldenses, qui Saeculo XII. exorti sunt, cum vellent Sacramentorum vim et efficaciam pendere a fide et probitate ministri, consecrandae Eucharistiae, et absolvendi a peccatis po-

testatem negabant in malis Sacerdotibus permanere, eamdemque in bonos quoslibet, etiam laicos transferebant, ut refert *Raynerius* in Lib. contra Waldenses, Cap. V. eamdem fuisse Joannis Wickleffi sententiam aperte colligitur ex Bulla *Martini* V, in qua Pontifex quemlibet de Wickleffismo suspectum interrogari jubet, utrum credat, *quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico, seu laicis, quantumcunque bonis et devotis?* Paulo absurdius delirarunt veteres quidam haeretici, qui ad sacros Ordines promoveri posse foeminas asserebant. *S. Irenaeus* Lib. I. adversus Haer. Cap. IX. author est, Marcum haereticum foeminas, quas sibi socias adsciverat, ad Sacerdotius evexisse. Montanistae proprias habebant Sacerdotissas et Episcopas. Collyridiani in Arabia mulierum ministerio sacrificia sua offerebant. Quintilliani, seu Pepuziani, a Pepuza Phrygiae civitate sic appellati, eadem insania laborabant, teste S. Epiphanio Haer. XLIX. *Apud eosdem mulieres Episcopi sunt et Presbyteri, et ad caeteros gradus elicuntur, nullum ut sexus discrimen servetur.* Horum exemplum sequuntur nostro aevo Janseniani aliqui, qui de conciliandis sibi foeminis solliciti, per quas error latius spargatur, easdem Sacerdotalibus functionibus inaugurant, ita ut in privatis conventibus ad aram accedant, et Sacerdotum vestibus indutae Sacrum dicant, Sacerdotibus ad aram servientibus, ac suarum Amazonum pietatem demirantibus.

XCVII. *Conclusio I.* Solus homo viator ratione utens, potest esse Minister Sacramentorum secundum legem ordinariam. Dixi I. *Solus homo viator*, id est,

quamdiu anima unita est corpori II. *Ratione utens.* Infantes enim, dormientes, et amentes non possunt ministrare ullum Sacramentum, cum non habeant usum rationis, neque habere possint intentionem necessariam ad valorem Sacramenti. III. *Secundum legem ordinariam.* Non enim negamus ex speciali et extraordinaria Dei concessione posse ab Angelis, et animabus beatis a corpore separatis Sacramenta administratis, quia nulla hac in re Deo liberrima, potest ostendi repugnantia. Hinc si Angelus bonus administraret Sacramentum aliquod, v. g. si baptizaret, vel ordinaret aliquem, Sacramenta illa non essent iteranda; Angelus enim procul dubio id fecisset ex dispensatione Dei extraordinaria. Caeterum Theologi communiter asserunt, Sacramentum ab Angelo, aut animabus a corpore separatis confectum, non fore ejusdem rationis cum nostris. Sacramenta enim, prout de facto a Christo instituta sunt, constant rebus et verbis formalibus, solum Matrimonium si excipias, quod sequitur naturam contractus: per verbum autem formale intelligitur vox articulata, ab animalis ore vitaliter prolata, qualis non censetur esse sonus ab Angelo in aere formatus. At vero si diabolus Sacramentum aliquod administraret, iterandum esset illud; quia daemon neque ex se habet hanc potestatem, neque ex peculiari Dei dispensatione eam acciperet; sed eam sibi usurparet ut falleret.

XCVIII. Prob. jam Conclusio sic explicata, I. Authoritate Scripturarum. Christus ad solum hominem viatorem ratione utentem direxit ea verba Matth. Cap. XXVIII. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.* Lucae Cap. XXII. *Hoc facite in meam commemorationem.* Joan. Cap. XX. *Quorum remisseritis*

peccata, remittuntur eis. Ergo secundum legem Dei ordinariam solus homo viator ratione utens, designatus fuit a Christo ad munus Ministri Sacramentorum. Ergo solus homo viator ratione utens, est Minister Sacramentorum; quia nemo ex propria sua authoritate potest valide agere nomine Christi, et fieri ejus instrumentum. Prob. II. Authoritate Patrum, praecipue S. Chrysostomi, qui Lib. III. de Sacerdotio scribit: *Qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea quae in coelis sunt, dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est, Quaecunque ligaveritis in terra etc.* Haec assertio quamvis sine haeresis, quia ab Ecclesia expresse non fuit definita; non tamen sine erroris nota negari potest, quia tota Ecclesia eam semper tenuit.

XCIX. *Conclusio II.* Idoneus Sacramentorum Minister non est quilibet homo, etiam baptizatus; sed is tantum qui ad id muneris rite ordinatus est. Prob. Conclusio I. Authoritate Scriptorarum, ex quibus discimus diversa officia et functiones non omnibus promiscue fidelibus, sed aliquibus tantum hominibus concessas esse. I. ad Cor. Cap. XII. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes. -- Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae? numquid omnes Doctores?* Ad Ephes. Cap. IV. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei.* Ad Hebr. Cap. V. *Nec quis-*

quam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Ergo non omnes Christiani habent legitimam potestatem administrandi Sacramenta. *Confirm.* Ozias Rex in veteri lege lepra percussus est, eoquod munus Sacerdotale usurpare ausus fuerit. Ergo multo magis in lege Christi a sacro Ministerio removendi sunt, qui ad illud speciali consecratione non deputantur. Dicunt equidem Protestantes, Apostolum l. c. loqui de usu, non de ipsa potestate. At plane contra mentem Apostoli sentiunt. Nam I. Paulus loquitur de ea potestate, quam Apostoli a Christo, Aaron a Deo acceperant: non usum dumtaxat, sed ipsam etiam potestatem, ex qua legitimus usus nascitur, illi acceperunt. Ergo. II. eodem Cap. XII. Epist. I. ad *Cor.* diversa munia in Ecclesia comparat diversis officiis membrorum. Atqui membra ejusdem corporis non tantum non habent eumdem usum, sed neque eamdem potestatem; cum neque oculus audire, neque auris videre possit. Prob. II. ex constanti et antiquissima Ecclesiae praxi, quae numquam permisit, ut viri laici, quamtumvis Principes, negotia Ecclesiastica attingerent: et si qua de valore Sacramenti mota fuit quaestio, sollicite indagavit, an qui ea Sacramenta contulisset, de Sacrorum Ministrorum numero esset, legitima praeditos potestate. Prob. III. ex Tridentino, quod Sess. VII. Can. X. ait: *Siquis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.* Generalem hanc dogmaticam conclusionem illustrabunt aliae, quas de ministris aliquorum Sacramentorum in specie subjungemus.

C. *Conclusio III.* Soli Sacerdotes potestatem habent conficiendi Eucharistiam, suntque ordinarii illius

dispensatores; Diaconus vero non nisi ex commissione Presbyteri vel Episcopi Eucharistiam dispensandi potestatem habet extraordinariam: Prob. Conclusionis prior pars I. Auihoritate Scripturarum. Christus Lucae Cap. XXII. ea verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad solos Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores Presbyteros direxit. Ergo illi soli habent a Christo potestatem conficiendae Eucharistiae. P. A. Authoritate Ecclesiae, quae semper intellexit ea verba ad solos Presbyteros pertinere; alia vero, quamvis solis Apostolis praesentibus prolata *Matth.* Cap. XXVIII. *Docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris etc.* ob summam baptismi necessitatem, ad omnes omnino homines extendi. Neque obest, quod Apostolus I. ad Cor. Cap. XI. ea verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad eos dirigat, qui Eucharistiam suscipiunt. Hos enim solos ibi alloquitur, et prouti verba haec continent sumptionem, ad omnes Fideles pertinent, quos utique oportet Eucharistiam percipere in memoriam Passionis Dominicae: prouti tamen important consecrationem, non nisi de Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus intelligi possunt.

CI. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Justinus M. Apologia II. scribit: *Qui fratibus praeest* (Episcopus vel Presbyter) *rerum universarum Patri per nomen Filii et Spiritus Sancti, offert Eucharistiam juxta mandatum, quod Apostolis Christus dedit, cum accepto pane dixit: Hoc facite in meam commemorationem. S. Hyeronymus* Epist. LXXXV. ad Evagrium invehitur in Diaconos quosdam, qui se Presbyteris praeponebant. *Quis patiatur, ut mensarum et viduarum minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi*

corpus sanguisque conficitur? Ergo si ne diaconi quidem, multo minus laici Eucaristiam conficere valent. Et in Dialogo contra Luciferianos ait: *Hilarius cum Diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos et presbyteros non habens.* S. Epiphanius in Epist. ad Joannem Jerosol. se excusat hac ratione, quod Presbyteros in ejus dioecesi ordinarit: *Ne multitudo Sanctorum Fratrum ibidem degentium sacris privaretur mysteriis, cum ille non haberent, qui sibi Divina Sacramenta conficerent.*

CII. Prob. III. Authoritate Conciliorum. Nicaenum I. Can. XVIII. ait: *Pervenit ad Sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis et civitatibus Presbyteris gratiam sacrae communionis Diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant.* Lateranense IV. sub Innocentio III. Cap. I. de Fide Cath. *Hoc itaque Sacramentum* (Eucharistiae) *nemo potest conficere; nisi Sacerdos, qui fuerit rite ordinatus secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis, et eorum Successoribus Jesus Christus.* Idem dicitur in *Florentino* in Decreto pro Armenis, et *Tridentino* Sess. XXII. Cap. I. et Sess. XXIII. Cap. I.

CIII. Prob. IV. ex antiquissima et constanti praxi Ecclesiae, quae hanc potestatem in nullo alio agnovit quam in solis Sacerdotibus. Nam. I. Presbyteri saeviente persecutione cum magno vitae periculo submittebantur in carceres, ut Sacrum ibi peragerent, et Sanctos Confessores communione corporis et sanguinis Christi, quam votis ardentissimis postulabant, refice-

rent, ut patet ex Epist. V. *S. Cypriani* ad Clerum Carthaginensem. II. Patres toti sunt in eo, ut ostendant, ne in casu quidem saevissimae persecutionis licitum esse Sacerdotibus arripere fugam: cujus doctrinae non aliam causam afferunt, nisi Eucharistiam, aliaque Sacramenta administrandi officium. III. *Theodoretus* Lib. IV. Hist. Cap. XII. refert, S. Eusebium Samosatensem Episcopum Valentis Ariani Imperatoris temporibus, cum audivisset multas Ecclesias propter Arianorum perfidiam Sacerdotibus esse viduatas, militari habitu sumpto, Palaestinam et finitimas provincias peragrasse, et ubicumque potuit, Sacerdotes ac Diaconos ordinasse, qui nimirum gregem Christi verbo vitae et Sacramentis pascerent. Atqui imprudenter Eusebius, aliique ejus exemplo, cum tanto vitae periculo de ordinandis Sacerdotibus fuissent solliciti, si putassent, in casu necessitatis posse laicum quemlibet sibi esse pastorem, in consecrandae Eucaristiae habere potestatem.

CIV. Solos Sacerdotes habere potestatem ordinariam distribuendi fidelibus, Eucharistiam ostendit tum praxis Ecclesiae antiquissima, cujus meminit *Tertullianus* Lib. de Corona militis, Cap. III. scribens: *Eucharistiam non de aliorum manu, quam de praesidentium sumimus.* Et Tridentinum Sess. XIII. Cap. VIII. *In Sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus Communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos tamquam ex Traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.* Tum etiam ratio Theologica, quam S. Thomas affert III. Parte, Quaest. LXXXII. Artic. III. *Dicendum, quod ad Sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi, propter tria. Primo quidem,*

quia ipse consecrat in persona Christi. Ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in coena, ita et aliis sumendum dedit. Unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundo, quia Sacerdos constituitur medius inter Deum et populum. Unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere. Tertio, quia in reverentiam hujus Sacramenti a nulla re contingitur nisi consecrata.

CV. Diaconi juxta antiquam Ecclesiae praxim numquam habuere ordinariam, sed extraordinariam tantum potestatem administrandi laicis Eucharistiam sub speciebus panis, urgente nimirum necessitate, vel accedente saltem permissu Episcopi aut Presbyteri. Id aperte deducitur ex Carthaginensi IV. A. 398. Cap. XXXVIII. *Diaconus praesente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Ex Arelatensi II. A. 452. Can. XV. *In segretario Diacono inter Presybteros sedere non liceat, vel corpus Christi praesente Presbytero tradere non praesumat. Quod si fecerit, ab officio Diaconatus abscedat.* Et ex Epistola S. Gellasii I. ad Episcopos Lucaniae: *Diaconi Sacri corporis Christi praerogationem sub conspectu Pontificis, seu Presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi.* Caeterum dixi, *sub speciebus panis*; eo enim tempore, quo Eucharistia etiam laicis sub utraque specie praebebatur, Diaconi ordinarie porrigebant calicem, sive Eucharistiam sub specibus vini ut constat ex S. Justino, Apologia II. et ex S. Cypriano Tract. de Lapsis. Cur Diaconis, extra causam necessitatis, sola dispensatio Sanguinis commissa fuerit,

rationem dat [S. Thomas III. Parte, Quaest. LXXXII, Artic. III. *Primo quidem, quia sanguis Christi continetur in vase: unde non oportet quod tangatur a dispensante, sicut tangitur corpus Christi. Secundo, quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam: unde et sanguini admiscetur aqua, quae significat populum. Et quia Diaconi sunt inter Sacerdotem et populum, magis convenit Diaconibus dispensatio sanguinis, quam dipensatio corporis.*

CVI. In casu necessitatis Ecclesia non modo Diaconis, ut diximus, permisit ut Eucharistiam sub speciebus panis administrarent, verum etiam inferioribus Clericis, ut patet ex Actis passionis S. Tharsicii, de quo Maryrologium Romanum ad diem XV. Augusti: immo ipsis etiam laics indulsit. Eusebius enim Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XXXVI. refert, Eucharistiam Serapioni seni porrectam a puero, quem Presbyter ad eum miserat, cum ipse propter infirmitatem decumbens, hoc officio fungi non posset.

CVII. Porro in veteri Ecclesia Sacerdotes Eucharistiam administrabant, non eam ori inserendo, ut nunc fit, sed tradendo in manus eorum qui communicaturi erant; hoc viros inter et mulieres discrimine, quod viri nuda manu, mulieres vero manu linteolo obvoluta panem consecratum exciperent. Patet id ex *S. Cyrillo*, Catech. V. *S. Basilio*, Epist. ad Caesariam Patriciam, *S. Augustino*, Serm. CCLII. de Tempore. Fas autem erat etiam laicis panem Eucharisticum vel in Ecclesia propriis manibus ori inserere et manducare, vel eumdem domum deferre, data opportunitate, vel necessitate urgente consumendum, ut ex *Tertulliano* manifesto colligitur, Lib. II. ad Uxorem, Cap. V.

Eamdem etiamnum apud Graecos vigere disciplinam testantur *Petrus Arcudius*, et *Leo Allatius*, quae apud Latinos jam diu justis de causis abrogata est; nec nisi speciali *Pii V.* Pontificis Maximi permissu, licuit Mariae Stuartae Scotorum Reginae in Anglicano carcere Eucharistiam penes se servare, eamque manu propria sumere.

CVIII. *Conclusio IV.* Soli Sacerdotes potestatem habent in Sacramento Poenitentiae Fidelibus rite dispositis remittendi peccata. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus dixit Christus Joan. Cap. XX. *Accipite Spiritum Sanctum; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo soli Sacerdotes ab Episcopis rite ordinati potestatem habent remittendi peccata. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Lib. de Lapsis ait: *Confiteantur singuli, quaeso vos dilectissimi, delictum suum, dum --- remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* S. *Ambrosius* Lib. I. de Poenit. Cap. II. potestatem peccata remittendi expendens, *Hoc*, inquit, *jure vindicat Ecclesia, quae veros Sacerdotes habet: Haeresis vindicare non potest, quae Sacerdotes Dei non habet.* S. *Joan. Chrysost.* Lib. III. de Sacerdotio, Cap. V. asserit, Sacerdotes Evangelicos habere potestatem animas judicandi, quam neque habent Angeli, neque Archangeli, neque terreni principes. *S. Innocentius* I. Epist. ad Decentium, Cap. VII. *Caeterum de pondere aestimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem poenitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. S. Leo M.* Epist. LXII.

alias XCI. ad Theodorum Forojuliensem: *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus poenitentiae actionem darent, et eosdem salubri confessione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. S. Augustinus* Epist. CCXXVIII. alias CLXXX. ad Honoratum, describens damna, quae ex fuga Episcoporum et ministrorum imminente persecutione nascuntur, ait: *Si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati? -- Si autem ministri adsint, pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici Corporis communione fraudantur.* Prob. III. Authoritate *Tridentini* Sess. XIV. Can. X. *Siquis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestantem ligandi et solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum, Quaecunque ligaveritis super terram etc. Quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.* Prob. IV. ex praxi perpetua Ecclesiae, cujus testes sunt Euchologia, et Rituales libri tam Latinae quam Graecae Ecclesiae; quoties enim illi dandae reconciliationis modum et formam praescribunt, nemini praeter Sacerdotem ministerium illud attribuunt. Ergo indubitata fide tenendum est, neminem, etiam in casu necessitatis, posse a peccatis absolvere, praeter solos Sacerdotes.

CIX. *Conclusio V.* Sacrae Ordinationis ministri non sunt laici, neque etiam Presbyteri, ita ut sacrum Presbyteratus et Diaconatus Ordinem, etiam tamquam ministri extraordinarii, aliis legitime ac valide conferre possint; sed soli Episcopi. Conclusionem hanc late probavimus Tractatu III. Articulo IV. Controversia IV. et V.

CX. *Conclusio VI.* Mulieres sunt jure divino incapaces Ordinis sacri sive suscipiendi, sive gerendi. Prob. I. Authoritate Scripturarum. I. Ad Cor. XIV. ait Apostolus: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Et I. ad Timoth. Cap. II. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione: docere autem mulieres non permitto, neque dominari in virum; sed esse in silentio.* Ergo mulieres jure divino sunt incapaces Ordinis sacri tam suscipiendi quam exercendi. P. C. Si mulieres Ordines sacros susciperent, vel exercerent, possent in Ecclesia loqui, verbum vitae et Evangelii nuntiando; et ratione dignitatis in viros dominarentur. Atqui hoc, teste Apostolo, fieri non potest. Ergo. Atque haec ratio ostendit, mulieres non tantum majorum, sed etiam minorum Ordinum incapaces esse. I. Quia minores Ordines omnes, quales nunc existunt in Ecclesia, adnexam habent aliquam etiam in viros eminentiam in ordine ad Sacrificium Missae. II. Quia conferuntur ad hoc, ut suscipiens, exercendo illorum munia, praeparetur ad Sacerdotium.

CXI. *Prob. II.* Authoritate Patrum. Author Constitutionum Apostolicarum Lib. III. Cap. IX. ait: *An*

autem baptizare (ex officio videlicet) *ad mulieres pertinet? Notum vobis facimus non mediocri in periculo versari eas, quae hoc praesumunt: periculosa quippe res est, immo vero illicita et impia. Nam si vir est caput mulieris, et iste fuit electus ad Sacerdotium; nefas est consilium Creatoris intervertere, et relicto principatu ad extremum corpus venire. Quod si praecedentibus non permisimus foeminis docere, quo pacto quispiam praeter naturam eis fungi Sacerdotio concedet?* Tertull. Lib. de velandis Virgin. Cap. VIII. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii sortem sibi vindicare. Quaeramus, an aliquid horum Virgini liceat. Si Virgini non licet, sed in omnibus subjicitur, et necessitas humilitatis cum muliere censetur, unde illi hoc unum licebit, quod omni foeminae non licet?* S. Epiphanius Haer. LXXIX. *Numquam, ex quo mundus conditus est, Sacerdotio est functa mulier, ac ne Eva quidem ipsa. Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quidquam praestare eis in Ecclesia liceret; nulli potius quam Mariae illud in novo Testamento committi Sacerdotis officium debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio sinuque suo Regem omnium ac coelestem Deum, Deique Filium exciperet. --- Verum longe Deo aliter est visum, ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta; cum alioqui ab illa Christus potius tingi quam a Joanne potuisset.* S. Chrysost. Lib. II. de Sacerdotio ait: *Quando de Ecclesiae praefectura agitur, universa quidem muliebris natura functionis istius moli ac magnitudini cedat oportet.* Patrum doctrinae suffragantur antiquissima et con-

stans Ecclesiae praxis, quae numquam Ordines sacros suscipi, aut exerceri a foeminis permisit.

OBJECTIONES.

CXII. *Obiicitur I.* contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Scripturae asserunt omnes Christianos esse Sacerdotes. Ergo functiones sacerdotales conveniunt omnibus Christianis. P. A. I. Epist. I. B. *Petri.* Cap. II. dicitur: *Tamquam vivi lapides superaedificamini, domus spiritualis Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias. – – – Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.* Apocal. Cap. V. *Fecisti nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes.* Apocal. Cap. XX. *Erunt Sacerdotes Dei et Christi.* II. I. Petri Cap. II. dicitur: *Ut virtutes annuntietis ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum.* Ergo omnes Christiani possunt ac debent praedicare, quod est praecipuum munus Sacerdotis. III. II. ad Cor. Cap. III. dicitur: *Qui idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Ergo omnes Christiani sunt Sacerdotes. IV. Juxta Scripturam omnes prophetare possunt, etiam mulieres. Ergo omnes sunt Sacerdotes. P. A. I. ad Cor. Cap. XIV. scribit Apostolus: *Unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet. – – – Posteris enim omnes per singulos prophetare.* Joelis Cap. II. *Prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae.* Act. Cap. XXI. *Huic autem* (Philippo) *erant quatuor filiae virgines prophetantes. Confirm.* Christus est, ut dicitur Psalm. CIX. *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Sed omnes Christiani sunt fratres Christi. Ergo omnes Christiani sunt Sacerdotes. R. D. A. Christianos omnes esse Sacerdotes improprie et

metaphorice, ratione scilicet hostiae spiritualis, quam Deo per preces et bona opera offerunt, C. A. Vere ac proprie, ratione potestatis Sacerdotalis, consecrandi, absolvendi etc. N. A. Scriptura eo modo Christianos omnes vocat Sacerdotes, quo modo eos Reges appellat. Vide dicta Tomo III. Num. DXXX. Ad II. N. C. B. Petrus non imperat, ut omnes Christiani publice praedicent Verbum Dei; sed primo ut agant gratias Deo, eumque laudent ob collata beneficia: dein ut ipsi bonis operibus annuntient Dei virtutem, ita ut eorum vita sit quaedam veluti concio Gentilibus. Ad III. Resp. Apostolum non loqui de omnibus promiscue Christianis, sed de se tantum, Collegisque suis Apostolis. Ad IV. D. A. Prophetare possunt, id est, hymnis et canticis Deum laudare, futuraque praedicere, si illis a Deo revelentur, C. A. Prophetare, id est, concionari et Scripturas interpretari, N. A. et Conseq. Futura praedicere non est proprie munus Sacerdotis; constat enim Davidem, Eliam, Elisaeum, Isaiam etc. prophetasse, quamvis non fuerint de Tribu Levi, ac stirpe Sacerdotali. Ad *Confirm.* C. M. D. m. Christiani omnes sunt fratres Christi adoptivi, C. m. Naturales, N. m. Non eadem est praerogativa fratrum ex adoptione, quae est fratrum naturalium: immo et inter naturales majori saepe primogenitos gaudet praerogativa.

CXIII. *Objicitur II.* contra Conclus. III. praxis antiquae Ecclesiae. In Concilio Ancyrano A. 314. juxta versionem Dionysii Exigui Can. II. dicitur: *Diaconi similiter qui immolaverunt, honorem quidem habeant: cessare vero ab omni sacro ministerio, sive a pane sive a calice offerendo, vel praedicando. Quod si quidam Episcoporum conscii sunt laboris eorum, ut*

humilitatis, et mansuetudinis, et voluerint eis aliquid amplius tribuere, penes ipsos erit potestas. Arelatense I. A. 314. Can. XV. ait: *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.* Laodicenum A. 372. Can. XXV. *Non oportet ministros panem dare, nec calicem benedicere.* Vel juxta versionem Dionysii Exigui: *Quod non oporteat Subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere.* Ergo Saeculo IV. hic mos invaluerat, ut non soli Sacerdotes, sed et Diaconi, aut omnino etiam Subdiaconi Eucharistiam conficerent. II. *Theodoretus* Lib. I. Hist. Eccles. Cap. XXIII. refert, Frumentium laicum, cum esset in India, hortatum fuisse mercatores Christianos, qui eo commeabant, ut more institutoque Romano simul convenirent ad divina Mysteria celabranda. Ergo Frumentius in ea erat opinione, absente Presbytero Eucharistiam a laicis posse confici. III. S. Laurentius Diaconus Sixtum II. Pontificem, cum is ad martyrium raptaretur, apud S. Ambrosium Lib. I. de Officiis, Cap. XLI. his verbis allocutus est: *Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis consecrationem. Cui Sacramentorum consummandorum consortium, huic tui sanguinis consortium negas?* IV. Diaconi primis Ecclesiae saeculis praeficiebantur parochiis regendis, ut constat ex Epist. XI. *S. Cypriani*, atque ex Canone LXXVII. *Eliberitani* Concilii. Ergo. R. C. A. N. C. Verbum *offerre* non semper significat consecrare; sed saepissime ministrare, porrigere, distribuere. Illud ipsum autem Saeculo IV. Diaconi faciebant, quod modo agunt; proxime scilicet ad altare Sacerdotibus adhaerentes, panem illis et vinum destinata ad Sacrificium praesen-

sentabant, non a se, sed a solis Presbyteris Sacramentaliter Deo offerenda, ac consecranda. Canone itaque Ancyrano jubentur Diaconi in persecutione lapsi, a ministerio suo in perpetuum abstinere; Arelatensis autem Canon severe Diaconis prohibet, ne Eucharistiam quasi proprie jure dispensare audeant, absque facultate Episcopi vel Presbyteri. Laodycenus Canon solis Subdiaconis duo ministeria interdicit Diaconis propria, nempe offerre panem, et calicem benedicere. Illa autem oblatio panis, per quam Sacerdoti consecranti panis porrigebatur, et benedictio calicis, per quam in Ecclesia Graeca initio Liturgiae aqua frigida cum vino in calicem, et post consecrationem calida a Diacono infundebatur in modum Crucis, non erat Sacramentalis, ut per se patet, sed ministerialis, ac mera caeremonia. Ad. II. N. C. Per *Divina Mysteria* intelligi debent orationes, non autem Missae Sacrificium. Rufinus enim, ex quo Theodoretus historiam hanc mutatus est, Lib. I. Hist. Cap. IX. haec habet: *Admonuit, ut conventicula per loca singula facerent ad quae ritu Romano orationis causa confluerent.* Socrates Lib. I. Hist. Eccles. Cap. XV. Sozomenus Lib. II. Cap. XXIII. Nicephorus Lib. VIII. Cap. XXXV. eamdem narrantes historiam, solius orationis meminerunt. Et certe Frumentius Alexandriam reversus a S. Athanasio Episcopum postulavit, quem in Indias mitteret, non alia profecto de causa, quam ut ibi Presbyteros ordinaret. Ad III. Resp. I. in aliquibus editionibus, praecipue Romana, non legi *consecrationem*, sed *dispensationem*. Resp. II. *Consecrandi* vox non solum actionem, per quam ex pane et vino sit Corpus et Sanguis Christi; sed etiam actionem quamlibet sacram signifi-

cat, ad sacrificium pertinentem. Cum igitur Diaconi praesentent Sacerdoti materiam Sacrificii peragendi, et Eucharistiam sub speciebus vini, sive verum Christi sanguinem, qui nostra consecratio et sanctificatio est, olim populo administraverint, mirum non est, quod S. Laurentius commissam sibi fuisse dicat Dominici Sanguinis consecrationem. Ad IV. Resp. Diaconis parochiis fuisse praepositos, ut ubi deerant Presbyteri, ea tantum obirent officia, quae pertinent ad Diaconos, qualia sunt docere, baptizare, Eucharistia a Sacerdotibus confecta fideles reficere; non autem a peccatis absolvere; aut panem et vinum consecrare.

CXIV. *Objicitur III.* Authoritas *Tertulliani*, qui Lib. de Exhortatione Castitatis, Cap. VII. ad amicum a secundis nuptiis deterrendum scribit: *Vani erimus, si putaverimus quod Sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne et laici Sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos fecit, et Sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae authoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tingis, et Sacerdos es tibi solus.* Ex quo loco tria eruuntur. I. Omnes fideles esse Sacerdotes veros, adeoque potestatem habere Eucharistiam conficiendi. Ex eo enim, quod Ecclesia bigamum non admittat ad verum Sacerdotium, et laici in casu necessitatis possint fungi muniis Sacerdotum, infert Tertullianus, nefas esse laicis ad secundas nuptias convolare. II. Saltem in absentia Sacerdotum licere laicis offerre, sive consecrare. III. Totum discrimen inter plebem et Clerum esse ab authoritate Ecclesiae, et honore consessus: ex quo sequitur, ubi non adest plu-

rium congregatio, nullum esse discrimen inter plebem et Clerum, omnesque Christianos indiscriminatim esse Sacerdotes. Resp. I. Tertulliani authoritatem, posteaquam is Montanizare coepit, exigui esse momenti. *De Tertulliano nihil respondeo*, ait B. Hieronymus in Lib. contra Helvidium, *quam Ecclesiae hominem non fuisse*. Et Vincentius Lerinensis Cap. XXIV. aurei sui commonitorii: *Consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus authoritatem*. Resp. II. perperam haec ex eo Tertulliani loco inferri. Ac I· quidem Christianos omnes appellat is Sacerdotes, sed latiori quodam sensu, nempe propter spirituale Sacerdotium, quo spiritualis hostia ex fide et pietate Deo in orationibus ac pietatis operibus offertur. Tale enim ait esse Sacerdotium illud, quale regnum. Atqui non existimavit Tertullianus omnes Christianos esse veros Reges. Ergo. Illud facile damus adversariis, Tertullianum verbis lusisse in hac materia, ejusque argumentum pro monogamia nullius roboris esse. II. Vox *offerre*, ut alias notavimus, non significat hic consecrationem, sed earum rerum oblationem, quae ex natura sua non postulant veri ac proprie dicti Sacerdotis ministerium, et quae a quocumque Christiano, animo fidei et pietatis fieri possunt; ac Deo acceptabiles sunt. III. Juxta Tertullianum discrimen inter Clerum et plebem repeti debet tum ab authoritate Ecclesiae, quia olim a Clero et populo consecrandi in Ministros eligebantur; tum a consessu et honore ordinis, qui sanctificatur a Deo per consecrationem et potestatem, quae in Sacramento Ordinis confertur.

CXV. *Objicitur IV.* Ratio. Ideo potest Sacerdos Eucharistiam consecrare, quia Christo conjunctus est.

Atqui vir probus, quamvis sit laicus, est etiam jam Christo conjunctus, cum vivum sit ejus membrum. Ergo. R. D. M. Quia Christo conjunctus est per Sacramentalem potestatem, et Ordinis characterem, C. M. Per charitatem internamque justitiam, N. M. Et sic distincta min. N. C. Potestas Eucharistiae conficiendae non ab interna justitia et charitate, sed a charactere Sacerdotali absolute dependet, qui etiam in impiis ministris indelebilis perseverat.

CXVI. *Objicitur V.* contra IV. Conclus. Authoritas Scripturarum. Illi compedit potestas absolvendi a peccatis, qui potest alterius confessionem excipere. Atqui juxta Scripturam quilibet potest alterius confessionem excipere. Ergo. P. m. Jacobi Cap. V. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ergo quilibet, etiam laicus, habet potestatem audiendi confessiones, quia haec verba B. Jacobi ad omnes fideles diriguntur. *Confirm.* In casu necessitatis quilibet potest esse minister Baptismi. Ergo etiam Poenitentiae. R. C. A. N. C. Haec verba immediate referuntur post illa: *Infirmitatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae.* Quare si textus hic de Confessione Sacramentali intelligatur, sensus est, Confessionem faciendam esse non soli Deo, sed hominibus ad hoc deputatis, et absolvendi potestate instructis. Si vero intelligatur de confessione non Sacramentali, sensus est, confessionem posse prudenter fieri aliis, etiam laicis, ad sui demissionem, aut poscendum consilium, vel orationem. Ad *confirm.* C. A. N. C. Ratio disparitatis est voluntas Christi, qui voluit ut quilibet in casu nacessitatis baptizare possit, non item a peccatis absolvere. Rationem congruam assignant Theologi, quia major est necessitas baptismi

quam poenitentiae; siquidem baptismus, extra casum martyrii, parvulis nondum ratione utentibus adeo necessarius est ut absque illo salutem aeternam consequi neutiquam valeant: Sacramentum vero Poenitentiae necessarium est solis adultis in peccato mortali constitutis, et contritione perfecta carentibus, quam tamen semper elicere possunt, etiam extra Sacramentum.

CXVII. *Dices.* Saltem ex illis verbis Joan. Cap. XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc.* non probatur, Sacerdotes esse ministros poenitentiae. Ergo. P. A. Ea verba vel dicta sunt solis Apostolis, vel in eorum persona solis Episcopis, vel omnibus fidelibus. Quidquid dicatur, non evincitur solos Sacerdotes esse ministros poenitentiae. Ergo R. N. A. Ad *probat.* N. M. Verba illa dicta non sunt solis Apostolis; Christus enim instituit Sacramentum maxime necessarium, ac semper duraturum, etiam post mortem Apostolorum non solis Episcopis, qui non nisi paucis hoc Sacramentum conferre possunt, si numerus eorum ineatur, quia ministri poenitentiae gravissimum exercent judicium. quod omnibus promiscue comittendum non erat. Ergo solis Episcopis et Sacerdotibus ea potestas tradita est, ut antiquissma et constans Ecclesiae praxis luculenter ostendit.

CXVIII. *Objicitur VI.* Authoritas Patrum. S. Augustinus, S. Ambrosius, aliique Patres affirmant, potestatem ligandi ac solvendi bonis omnibus divinitus esse concensam, impiis denegatam. II. S. Cyprianus Epist. XIII. ad Presbyteros et Diaconos Carthaginesis Ecclesiae scribit: *Occurrendum puto Fratribus nostris, ut qui libellos a Martiribus acceperunt, et praerogativa eorum apud Deum adiuvari possunt; si in commodo aliquo,*

et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata praesentia nostra, apud presbyterum quemcumque praesentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint; ut manu eis in poenitentiam imposita, veniat ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt. Ergo juxta S. Cyprianum Diaconi in casu necessitatis absolvere possunt a peccatis. Resp. ad I. D. A. Affirmat concessam esse bonis omnibus potestatem ligandi et solvendi modo Sagramentali, qui solis Sacerdotibus convenit, quibus in persona Apostolorum dictum est Joan. Cap. XX. *Accipite Spirtum Sanctum. Quorum remiseritis* etc. N. A. Via impetrationis. seu modo impetratorio, qui consistit in gemitibus justorum, et orationibus, C. A. N. C. Ad II. C. A. N. C. S. Cyprianus loco cit. non loquitur de Confessione et reconciliatione Sacramentali, seu de absolu tione a peccato sed de absolutione a censuris et poenis canonicis, vel etiam, si ita velis, de absolutione a peccatis, sed deprecatoria tantum et caeremoniali, non vero Sacramentali. Quare exomologesis nomine, quam lapsi apud Diaconum agere poterant, non designatur Sacramentalis Confessio, sed ultimus solemnis poenitentiae ritus, quo lapsi coram Prespyteris, Diaconis, Viduis et populo sistebantur, humi procumbebant, crimina detestabantur sua, omnium se precibus commendabant, ac tum ab Sacra Mysteria accedere permittebantur. Hoc igitur loco non aliud vult S. Cyprianus, quam quod lapsi in persecutione, qui libellos a Martyribus acceperant, absente Episcopo et Presbytero, factaque prius delicti sui exomologesi, possint a Diacono altari et Ecclesiae reconciliari, et reconciliati, Eucharistiam ab eo

accipere, urgente nimirum mortis periculo, quamvis publicae poenitentiae tempus nondum explevissent. Neque obstat, quod ibi dicatur: *Ut veniat ad Dominum cum pace.* Hic enim effectus non erat actioni Diaconorum, seu absolutioni ab illis acceptae adscribendus, sed pietati et fervori poenitentium, quem vehementissimum fuisse anteacti poenitentiae labores ardensque suscipiendae Eucharistiae desiderium abunde ostendebant. Vide plura apud *Natalem Alexandrum* Dissertat. IV. in Hist. Ecclesiast. Saeculi III.

CXIX. *Dices* S. Cyprianus loco cit. idem videtur Diaconis concedere in absentia Episcopi et Presbyterorum, quod Episcopo et Presbytero, cum praesentes sunt. Ergo Diaconis permisit, ut urgente mortis periculo poenitentes absolvere queant Sacramentaliter. Resp. I. Reconciliatio et pax, de qua loquitur S. Cyprianus non erant reconciliatio cum Deo per absolutionem Sacramentalem, sed reconciliatio cum Ecclesia per relaxationem poenitentiae solemnis, et participationem Eucharistiae. Resp. II. Verba S. Doctoris intelligenda esse accomodate ad potestatem utriusque, ut scilicet Diaconus id praestet poenitentibus, absente Presbytero, quod ex vi sui Ordinis potest, nec non ex vi jurisdictionis sibi ab Episcopis eo in negotio concreditae. Constat porro Diaconos a peccatis absolvere peccatorum non posse. Quod cum exploratum semper cunctis fuerit in Ecclesia, inutilem operam ponere noluit S. Ciprianus in explicando enucleatius Diaconorum ministerio in reconciliatione lapsorum.

CXX. *Objicitur VII.* Authoritas Juris Canonici. Capit. *Speres*, Extra, de furtis dicitur *Si comprehensi aut vulnerati* (fures) *Presbytero vel Diacono confessi*

fuerint, Communionem eis non negamus. Resp. I. in Capitulum illud perperam irrepsisse hanc vocem, *vel Diacono.* Canon enim XXXI. Concilii Triburiensis, ex quo desumptum est hoc Capitulum, sic habet: *Si autem ille fur vel latro vulneratus elabitur, et expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se Mysteriis Sacrosanctis habitu corporis, et voluntate piae mentis deprecatur, Deoque et Sacerdoti, comite vita, emendationem morum et actuum confitetur, Communionis gratiam non negamus tribuendam.* Resp. II. Conclusioni nostrae Capitulum illud non adversari; Diacono enim verbis illis tantummodo datur potestas furi Eucharistiam porrigendi, inter furandum lethaliter vulnerato, modo is sufficientia dederit doloris signa; quale censetur esse si is distincte ac singilatim, vel etiam in genere peccata sua confiteatur.

CXXI. Objicitur VIII, Authoritas S. Thomae, qui in IV. Sentent. Distinct. XVII. Quest. III. Artic III. ad II. ait: *Minister Poenitentiae, cui cofessio est facienda ex officio, est sacerdos; sed in necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit.* Ergo iuxta *S.* Thomam non solus Sacerdos est minister Sagramenti Poenitentiae.. R. N. C. Sensit quidem B. Thomas, quamvis in hoc deserendus sit, hominem lethalis peccati sibi coscium, et in articulo mortis costitutum, teneri ad confessionem laico faciendam, si desit copia Sacerdotis, at nunquam sensit, confessionem laico factam, aut alteri cuicunque non Sacerdoti, quamtumvis urgente necessitate, vere Sacramentalem esse: immo contrarium diserte docuit in IV. Sentent. Dist. XX. Qaaest. unica Artic. I. Quaest. II. ad III. *Ille qui laico confitetur, quamvis impleat quod*

ex parte sua est de Sacramentali confessione, tamen Sacramentalem absolutionem non consequitur. Et Supplemento, Quaest. VIII. Artic. II. ad I. *Quando necessitas imminet, debet facere poenitens quod exparte sia est, scilicet conteri et confiiteri cui potest: qui quamvis Sagramentum perficere non possit, ut faciat id quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen Sacerdotis Summus Sacerdos supplet. Nihilominus cofessio ex defectu Sacerdotis laico facta, Sacramentalis est quodammodo: quamvis non sit Sacramentum prefectum, quia deest ei quod est ex parte Sacerdotis.*

CXXII. *Objicitur* IX. contra IV. conclusionem, Capacitas sacrae Jurisdictionis. Mulieres capaces sunt Jurisdictionis Ecclesiasticae. Ergo nulla datur ratio cur praesse nequeant in Ecclesia P. A. Capit. *Dilecta*, Extra, de Majorit. et obed. *Honorius* III. de Abbatissa Quedlinburgesi agens, scribit: *Quod cum ipsa plerumque Canonicas suas, et Clericos suae jurisdictioni subjectos, propeter inobedientias et culpas eorum, officio beneficioque suspendat; iidem confisi ex eo, quod eadem Abbatissa eos excommunicare non potest, suspensionem hujusmodi non observant, propter quod ipsorum excessus remanet incorrecti,* Ergo Abbatissa illa suspendendo Clericos suos ab officio et beneficio exercebant Jurisdictionem Ecclesiasticam. II In Canonibus antiquorum Conciliorum frequens occurrit mentio Episcoparum et Presbyterarum. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Abbatissa Quedlinburgensis Clericos suae jurisdictioni subiectos officio beneficiomque suspendens, nullam exercuit potestatem clavium, aut jurisdictionem Ecclesiasticam stricte dictam. Suspensio enim

hoc loco nullam importat censuram Ecclesiasticam, sed lato modo accipitur pro simplici quadam prohibitione facti potius quam juris, qua Presbyteris prohibuit in Capellis Monasterio subjectis ad tempus deservire. Hinc Honorius III. mandavit Abbati cuidam, ut censura Ecclesiastica Canonicas et Clericos Abbatissae subjectos compellat ad obedientiam et reverentiam debitam eidem Abbatissae praestandam, et salubria ipsius monita ac mandata observanda. Ad II. Resp. per Episcopam et Presbyteram denotari uxorem illius, qui post contractum legitime matrimonium, superstite et consentiente conjuge, ordinatus erat in Episcopum vel Presbyterum, interdicto graviter in posterum matrimonii usu.

CXXIII. *Objicitur* X. Officium et Ordinatio Diaconissarum. Ab ipsis jam Apostolorum temporibus per plura saeculae Diaconatus Ordo collatus fuit foeminis. Ergo foeminae sunt capaces Ordinis sacri. P. A. Apostolus ad Rom. Cap. XVI. scribit: *Commendo autem vobis Phoeben sororem nostram, quae est in ministerio Ecclesiae.* Diaconissarum meminerunt Tertullianus, aliique authores antiquissimi, Nicaenum I. Concilium, Chalcedonense. ipsaeque etiam Leges Caesareae Valentiniani, Theodosii Justiniani etc. quae ministras Ecclesiae Diaconas, seu Diaconissas vocant. R. N. A. Ad *probat.* N. C. Equidem jam ab ipsis Apostolorum temporibus constitutae fuerunt foeminae aliquae, ut plurimum viduae, unius viri uxores, aetate graves, aut certe morum gravitate defectum aetatis supplentes, vel etiam Virgines sanctitate et senio venerabiles, quae Diaconissae vocabantur, non ut altari deservirent, quae est propria functio Diaconatus; sed ut erga caeteras

mulieres religiosa charitatis officia exercerent, et ad varia Ecclesiae ministeria obeunda. Exponebant illae rusticis et imperitis mulieribus Fidei Catholicae principia, et ritus ad baptismum accomodatos: assistebant baptismo mulierum, hasque in detrahendis vestibus adiuvabant, ac oleo reliquum corpus ungebant, postquam Diaconus unxissent frontem. Communem cum Diaconis gerebant curam circa viduas pauperes, quae etiam illis obedire jubebantur: mulieribus designabant locum in Ecclesia: explorabant integritatem Virginum Deo sacratarum, si hae sorte in suspicionem criminis venissent: suppellectilem sacram, praesertim in Monialium coenobiis, commissam suae curae habebant: visitabant foeminas aegrotantes, iisque ministrabant: adhibebantur in deferendis Episcopi mandatis ad foeminas, ad quas Diaconi propter offendiculum Ethnicorum mitti non poterant. Testem horum officiorum habemus *S. Epiphanium* Haer LXXIX. *Quamquam Diaconissarum in Ecclesia ordo sit; non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsit, sive ut cum nudandum est mulieris corpus, interveniat ne virorum qui Sacris operantur, aspectui sit exposita, sed a sola Diaconissa videatur, quae Sacerdotis mandato mulieris curam agit.* Author etiam *Constitutionum* Apostolicarum Lib. VIII. Cap. XXVIII. scribit: *Diaconissa non benedicit, neque facit aliquid eorum, quae Presbyteri aut Diaconi faciunt; nisi quod januas custodit, et Presbyteris ministrat, cum mulieres baptizantur, ad duces et honestatem servandam.* Caeterum cum successu temporis pleraque officia, ad quae ordinabantur

Diaconissae, non amplius indigerent mulierum ministerio, ipsaeque etiam viduae ad ea destinatae pristinam vitae integritatem non servarent, in Galliis quidem canonico Episcoporum decreto extirpatae sunt, ut patet ex Can. XXV. *Arausicani I.* A. 441. Ex Can. XXI. *Epaonensis* A. 517. Ex Can. XVII. *Aurelianensis II.* A. 533. etc. in aliis vero Latinae Ecclesiae provinciis X. aut XI. Saeculo, ac paulo post etiam apud Graecos, aliosque populos Orientales praeterquam apud Nestorianos Syros, desuetudine sunt abrogatae. Vide *Joannem Pinium* Bollandi Continuatorem in Tractatu praeliminari de Diaconissis ad Acta Sanctorum Tomi I. Septembris.

CXXIV. *Dices I.* Consecratio Diaconissarum vere fuit Sacramentalis Ergo. P. A. Summa intercessit similitudo inter Diaconorum et Diaconissarum inaugurationem; utraque enim ordinatio Χειροτονια, seu impositio manuum apud Graecos dicebatur : ad altare utraque, et quidem ab Episcopo celebrabatur : in utraque collo apponebatur stola : in altari tum ordinatus, tum ordinata Eucharistiam recipiebant, utrique calix sanguine Christi plenus, ut ex eo degustarent, in manus tradebatur. Episcopus praeterea ordinans Diaconum, vel Diaconissam, eadem formula utebatur, mutato tantum ob sexus differentiam genere : *Divina gratia, quae semper infirma curat, et ea quae desunt, supplet, promovet N. in Diaconissam. Oremus pro ea ut veniat per eam gratia Sanctissimi Spiritus.* Ergo si consecratio Diaconi fuit Sacramentalis, dicendum pariter erit, consecrationem Diaconissae fuisse vere Sacramentalem. P. C. Ubi duo ritus occurrunt per omnia aequales et similes, idem ferendum est de utroque judicium. Er-

go cum inauguratio Diaconorum et Diaconissarum saltem in in Ecclesia Graeca fuerit omnino aequalis; idem de utraque sentiendum est. R. N. A. ad *probat.* C. A. N. C. Ad hujus *probat.* D. A. Si praeter ritum externum aequalis sit effectus, aequale officium, et persona aeque apta, C. A. Secus, N. A. et Conseq. Veri et proprie dicti Sacramenti natura non pendet ab externo tantum ritu sed debet praeterea ex effectu, subjecto, et officio aestimari: quorum aliquod si cum genuina Sacramenti Evangelici notione constare non possit, a ritu exteriori petita argumentatio frustra erit. Quemadmodum itaque reconciliatoria consecratio, qua olim redeuntes ab haeresi aut schismate in gradus suos restituebantur, non fuit veri nominis Sacramentum, tum quia Ordinationis indelebilis est character; tum quia reconciliatio haec, licet facie tenus Ordinationi prius acceptae simillima, effectum Sacramentalem ex se non habebat, sic etiam Ordinatio Diaconissarum, exteriori licet apparatu Diaconorum consecrationi aequalis, efficacia longe diversa fuit; tum propter impedimentum subjecti, mulieris scilicet, quae jure divino est incapax ad Ordines sacros suscipiendos et exercendos: tum propter defectum virtutis, quam ritus externus non habet, nisi quatenus subjecto idoneo applicatur: tum denique ratione officii, quod Diaconissis longe diversum ab officio Diaconorum imponebatur; Diaconi enim ordinatione sua in partem Sacerdotii veniunt, et promoventur ad Hierarchicas functiones: Diaconissis nihil praeter ministerium charitatis committebatur. Si quaeres cur Ordinatio Diaconissarum ex Ecclesiae praescripto collata fuerit cum omnibus Sacramentalis ordinationis caeremoniis, quamvis pro Sacramento non

haberetur, Resp. id eo ex capite factum esse, ut Diaconissae a caeteris foeminis speciali benedictione distinguerentur, utque externo hoc apparatu admonerentur; non debere se in posterum negligere suscepti officii partes, nec animum ad nuptias et saecularia negotia revocare. Vide *Renatum Le Drouven* de Re Sacramentaria, Lib. VIII. Quaest. VIII. Paragr. II.

CXXV. *Dices II. Calcedonense* Can. XV. statuit, *Diaconissam non ordinandam esse ante annum quadragesimum, et hunc cum summo libramine. Si vero suscipiens manus impositionem, et aliquamdiu temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiae Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi cum eo, qui idem copulatur.* Ergo ex mente Patrum Chalcedonensium haec manus impositio non erat caeremonialis, sed omnino Sacramentalis, et characterem animae infigens. Resp. N. C. Diaconissae enim, sive Viduae sive Virgines fuerint ante suam inaugurationem, se ipsas tunc, quando manus illis ab Episcopo imponebatur, voto perpetuae continentiae obligabant. Quare merito, quae fidem Deo datam fregerant, jubentur excommunicari.

CONTROVERSIA VI.

AN INTENTIO MINISTRI SIT NECESSARIA AD PERFICIENDUM SACRAMENTUM?

Contra Lutherum.

CXXVI.

I*ntentio* Ministri Sacramentorum est actus voluntatis quo Minister vult facere Sacramentum, sive illud quod Christus instituit, et usurpat Ecclesia. Dividitur haec generatim in directam et reflexam. Intentio *directa* est, qua minister vult facere quod facit Ecclesia, adeo ut immediatum illius intentionis objectum sit facere illud ipsum, quod Christus instituit, et usurpat Ecclesia. *Reflexa* est, qua quis vult ritum illum administrare ut est Sacramentum, reflectens se super administrationem directe jam intentam. Directa alia est operis, alia finis. *Intentio finis* est, qua quis intendit effectum, sive sanctificationem per Sacramenta, sive propriam si suscipiat, sive alienam si ea administret. *Intentio operis* est, qua quis intendit ipsum ritum, seu caeremoniam ab Ecclesia frequentatam, quin cogitet de virtute aut efficacia Sacramenti, quem forsan pro commentitio aut superstitioso habet. Intentio operis duplex est, interior et exterior. *Exterior* ea dicitur, per quam minister exterius, et quidem serio, atque in debitis circumstantiis externum Ecclesiae opus perficit, tametsi intus et in animo statuat illud non perficere, sed tantum fingere ac simulare. *Interior* ea vocatur, per quam minister non tantum

serio exterius, sed etiam intus et in animo vult simpliciter ac generatim facere quod facit Ecclesia; quidquid tandem ille sentiat de Sacramento, vel ejus effectu ac fine, et de Ecelesia ipsa.

CXXVII. Intentio interior subdividitur I. in actualem, virtualem, habitualem et interpretativam. *Actualis* intentio est, qua quis actu vult conficere Sacramentum: neque ad hanc requiritur, ut ore aut corde dicamus, *volo nunc hoc agere*; sed id unum exigitur, ut homo sit praesens animo, et attente faciat quod facit. *Virtualis* dicitur, cum actualis intentio in praesenti non adest, ob aliquam mentis evagationem; paulo ante tamen adfuit, et in virtute illius fit operatio. *Habitualis* est, quae aliquando extitit in se ipsa, et non fuit revocata per actum contrarium; hic et nunc tamen, quando ponitur actio Sacramentalis, neque amplius existit in se ipsa, neque in sua virtute aut effectu. *Interpretativa* est illa, quae numquam quidem extitit; praesumi tamen potest existere, vel esse extitura, modo operans ad circumstantias talis actionis adverteret.

CXXVIII. Subdividitur II. in absolutam et conditionatam. *Absoluta* intentio est voluntas absoluta, qua simpliciter, et sine modificatione quis vult conficere Sacramentum. *Conditionata* est, qua quis vult illud conficere sub conditione tantum. Porro conditio duplex esse potest intrinseca seu inexistens, et extranea seu impertinens. *Intrinseca* dicitur, cujus purificatio per se requiritur ad valorem Sacramenti, v. g. *Si es rite dispositus*, vel, *si habeo potestatem, absolvo te. Si es animal rationale, te baptizo.* Atque hac conditiones ex natura rei subintelliguntur. *Extranea* est,

quae per se-non pertinet ad valorem Sacramenti, sed a ministro arbitrarie apponitur. v. g. *Baptizo te, si sol lucet.*

CXXIX. Requiri in Ministro Sacramentorum intentionem aliquam saltem confusam et implicitam faciendi quod facit Ecclesia, nullus Sectariorum ante Lutherum umquam negavit. Hic itaque omnium primus, quod sola fide impium justificari assereret, per quam certo credit remissa sibi esse peccata; neque alias esse velit Sacramentorum partes in justificationis negotio, quam ut fidem velut signa vacua excitent, docuit Sacramentum omnino valide percipi, si res et verba adsint, etiamsi minister loco et irrisorie, ficte et mendaciter actionem illam Sacramentalem peragat. Lib. de Captivit. Babyl. scribit Lutherus: *Non dubitem, siquis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini: non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide, vel usu sita est virtus Baptismi, sicuti legitur exemplum de quodam Mimo per jocum baptizato.* Et in Articulo XII. inter proscriptos a Leone X. *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime absolutus est.* Lutheri sententiam temperare ac emollire videntur Calvinus, Kemnitius, aliique Protestantici Scriptores, dum asserunt, quod a nobis ultro conceditur, necessariam non esse intentionem effectus Sacramenti, sed tantum ritus Sacramentalis, quem minister intus et in animo vult facere. Verum temperatione ista vel fucum Catholicis faciunt, vel a principiis suis manifeste recedunt. Cum enim doceant Sacramenta justificare, quatenus

repraesentando promissiones Christi excitant fidem in suscipientibus, atque independenter ab ulla ministri intentione illam vim ipsis inditam putent ex Christi institutione, quacumque intentione administrentur, serio vel ludicare, nihil refert; quia ad excitandam fidem, quae sola juxta ipsos justificat, apta esse non desinunt.

CXXX. *Conclusio.* Minister numquam conficit valide Sacramentum, si nullo modo intendat facere quod facit Ecclesia; aut non nisi mimice et jaculariter faciat quod facit Ecclesia. Prob. Conclusio haec dogmatica I. Authoritate Pontificum et Conciliorum. *Martinus V.* Constitutione quae legitur ad calcem Concilii Constantiensis, inter articulos, de quibus jubet suspectos in fide interrogari, hunc recenset: *Utrum credat, quod malus Sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere absolvat, vere baptizet, et vere conficiat alia Sacramenta?* Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Tridentinum Sess. VII. Can. XI. *Siquis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.* Et Sess. XIV. Can. IX. *Siquis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non ssse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti; modo tantum credat se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed joco ab-*

solvat ; aut dixerit non requiri confessionem poenitentis - - anathema sit.

CXXXI. Prob. II. Ratione Theologica. Prima ratio fundatur in ipsis Scripturis. Ministri Sacramentorum sunt ministri Christi, juxta illud I. ad Cor. Cap. IV. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo illud animo intendant necesse est, quod Christus instituit, aut facit Ecclesia. Ergo si illud non nisi mimice et jokulariter faciant, Sacramentum non erit validum. *Confirm.* a pari. Ille non censetur agere Legatum Principis, qui histrionico vestitu, aut crapulam exalans, non nisi joculariter et mimice de pace aut bello paciscitur : neque judicis illius sententia habetur valida, quam ludicro modo, aut in caupona media inter pocula tulit. Ergo multo minus Sacramenta, quae Religionis nostrae sunt mysteria sacratissima, erunt valida, siquidem illa non nisi mimice, et absque intentione debita administrentur. II. Christus Sacramentorum novae legis author et institutor, eorumdem administrationem esse voluit actionem humanam : actio autem humana esse non potest, nisi sit libera ; nec libera, nisi fiat ex rationis judicio, et cum intentione voluntatis. III. Actio Sacramentalis est ex se indifferens, et potest ad varios fines referri : infans quippe v. g. potest aqua ablui vel ad munditiem corporis, vel ad sanitatem. Ergo ut ablutio sit Sacramentalis, necesse est ut ad finem baptismi determinetur per intentionem abluentis.

CXXXII. *Queres I.* An praeter intentionem serio peragendi ritum externum, requiratur etiam interna ministri intentio, qua is velit non fingere ac simulare, sed vere ac serio facere simpliciter ac generatim

saltem id quod facit Ecclesia? Resp. cum communissima Theologorum affirmative contra Scribonium, Natalem Alexandrum, Le Drouven, Ivenin, paucosque alios recentiores. Prob. assertio I. Authoritate Alexandri VIII, qui A. 1690. die VII. Decembris, inter complures alias propositiones hanc numero XXVIII. proscripsit: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo quod facit Ecclesia.* Ergo praeter externam intentionem requiritur etiam interior, qua minister velit non fingere et simulare, sed generatim saltem ac confuse facere quod facit Ecclesia. Replicant adversarii, Alexandrum VIII. censuram tulisse in Lutheri errorem, qui a nonnullis male feriatis in Belgio recudebatur. At nullo fundamento haec dicuntur; Lutheri enim error satis a Tridentino protritus fuerat, nullusque Catholicorum ostendi potest, qui errorem illum sive in Belgio, sive alibi recudere ausus fuerit. Ipse *Benedictus XIV.* seu *Prosper Lambertinus*, Lib. VII. de Synodo, Cap. IV. Num. VIII. asserit, negari non posse, grave vulnus praefatae opinioni inflictum fuisse Alexandrino hoc decreto. Immo cum sub ejusdem Benedicti XIV. Pontificatu propugnata fuisset Romae in publica disputatione novitia haec opinio, authoritate Romanorum Praesidum adactus fuit supremae laurae Theologicae Candidatus, ut in ipso actu eam prius retractaret.

CXXXIII. *Prob. II.* Ratione Theologica. Juxta Florentinum et Tridentinum ad veritatem Sacramenti praeter materiam et formam requiritur etiam intentio ministri, qua is intendat et velit facere quod facit Ecclesia. Atqui haec intentio stare non potest cum fictio-

ne etiam solum interna. Ergo cum fictione etiam solum interna stare non potest veritas Sacramenti. P. m. Intentio faciendi quod facit Ecclesia stare non potest cum fictione externa et manifesta. Ergo nec cum interna et occulta. P. C. Quoad intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nullum plane discrimen est inter irrisorem manifestum et occultum; uterque enim efficaciter intendit ritum externum ponere, materialiter nimirum, cum uterque illum reipsa ponat: neuter vero intendit per hunc ritum facere quod facit Ecclesia, cum uterque in animo statuat, Nolo facere quod facit Ecclesia. Ergo quoad intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nullum inter irrisorem occultum et manifestum intercedit discrimen; sed illi in eo tantum inter se different, quod alter fictionem suam exterius manifestet, alter vero eam intra animum retineat. Idem ferme argumentum paulo aliter proponi potest. Qui in corde suo ita statuit, *Nolo baptizare*, *nolo absolvere*, statuit quoque in corde suo simulare externo ritu quod facit Ecclesia. Atqui qui statuit simulare quod facit Ecclesia, non habet intentionem istud serio agendi. Ergo qui in corde suo decernit, *Nolo baptizare*, *nolo absolvere*, non habet intentionem serio agendi. Sed qui non habet intentionem serio agendi, juxta Tridentinum valide non conficit Sacramentum. Ergo.

CXXXIV. Equidem sententia negans communiter tribuitur *Ambrosio Catharino* Archiepiscopo Compsano, et *Alphonso Salmeronio* in Tridentino Concilio Theologo Pontificio. Verum ut observant *Vasquius* in III. Part. S. Thomae, Disput. CXXXVIII. Cap. II., et *Tournely* in Praelect. Theol. de Sacram. in genere,

Quaest. VII. Art. I. nusquam Catharinus rejecit intentionem internam operis externi Ecclesiae, quasi vero minister non intendens interius facere ritum Christi et Ecclesiae, validum conficeret Sacramentum; sed tantummodo intentionem finis, seu effectus Sacramenti, aut ritus externi sub formali ratione Sacramenti necessariam esse negavit. Unde jocus ille et irrisio ministri, de qua loquitur Catharinus, non ipsam spectat Sacramenti substantiam, et ipsum ritum externum Ecclesiae, quem minister etiam interius et in animo suo vult serio celebrare; sed spectat solummodo vel effectum et finem, vel formalem rationem Sacramenti. Patet id ex ipso Catharini libello de intentione ministri, in quo ita scribit: *Non alia intentio ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia, quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ullum baptismi spiritualem effectum.* Eadem quo que mens fuisse videtur *Salmeronis*, quae Catharini; inter decem enim quas exponit opinionis suae rationes, octava haec est: *Si ad essentiam Sacramenti facit ministri intentio, quomodo aut haereticus, aut Judaeus, aut paganus validum et verum baptismi Sacramentum ministrare possunt? Nam illorum permulti aut baptismum, aut ejus effectum pernegant.*

CXXXV. *Quaeres II.* An ad valorem Sacramenti requiratur, ut minister intendat facere vel effectum Sacramenti, vel ritum Ecclesiae formaliter ut Sacramentum est, vel etiam facere quod facit Ecclesia Catholica et Romana? Resp. negative; sufficit enim si simpliciter et generatim velit facere quod facit Ecclesia, quaecumque tandem sit ministri de Ecclesia, et de Scramento, ejus-

que effectu sententia. Prob. assertio I. Authoritate S. Augustini Epist. XCVIII. ad Bonifacium: *Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituli ad vitam regenerentur aeternam, sed quod eos putant hoc remedio temporelem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, et verba Sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest.* Prob. II. ex constanti Ecclesiae praxi, quae ratum habuit Baptismum a Judaeis collatum, ut patet ex rescripto Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum, ab Arianis, Pelagianis, Donatistis, aliisque haereticis, immo et ab infidelibus, modo ab illis debita materia et forma fuissent adhibitae. Atqui Judaei et infideles, qui execrabantur Religionem Christianam, intentionem certe non habuerunt ritum illum peragendi ut formaliter Sacramentalem: neque haeretici illi intenderunt facere quod facit Ecclesia Romana, quam a Christo turpiter defecisse inverecunde criminabantur. Prob. III. Ratione Theologica. Minister Sacramentorum non privatam, sed publicam sustinet Christi et Ecclesiae personam; nec suo, sed Ecclesiae nomine agens, privata sua intentione falsa et erronea opus Dei quod tractat, inficere non potest; virtus enim Sacramentorum dependet a solo Christo, et Sacramenta agunt per modum agentium naturalium. Necesse igitur non est, ut haereticus baptizans velit facere, quod facit Ecclesia Catholica et Romana; sed satis est si velit generatim facere quod vera Ecclesia facit, quamcunque demum ille in mente habeat, v. g. Arianam, Donatisticam, aut aliam. Ratio est, quia

qui intendit facere quod facit Ecclesia Ariana aut Donatistica, ille generatim facere intendit, quod facit vera Christi Ecclesia, licet erronee credat Arianam aut Donatisticam Ecclesiam veram et orthodoxam esse; qui error privatus non destruit veritatem generalis intentionis faciendi quod Ecclesia Christi facit, adeoque neque destruit veritatem Sacramenti. Si tamen minister haereticus, v. g. Arianus valorem Sacramenti alligaret suo errori, v. g. dicendo: Volo conficere Sacramentum Baptismi, sed non aliter, quam si verum sit judicium meum privatum, quod Ecclesia Ariana sit vera Christi Ecclesia, Sacramentum esset nullum; quia confertur sub conditione, quae numquam impleta est, nec implebitur.

CXXXVI. *Quaeres III.* Quaenam intentio interior ex parte ministri requiratur, ut is Sacramentum valide conficiat? Resp. Intentio actualis faciendi Sacramentum, quamvis sit optima et omnibus suadenda, non tamen requiritur ad valorem: habitualis, multoque minus interpretativa non sufficiunt: virtualis et requiritur, et sufficit. Prima pars assertionis prob. I. negative, quia necessitas actualis intentionis evinci nequit. II. positive, tum ex communissimo consensu, tum etiam ex eo, quia saepissime illa non est in nostra potestate morali, cum plerumque, praesertim in diuturna administratione Sacramenti Poenitentiae, moraliter impossibile sit ita evitare omnes animi distractiones, quibus actualis intentio non impediatur. Igitur si haec intentio requireretur, foret moraliter necessarium, ut Sacramenta saepe administrentur invalide, horumque valor saepissime dubius redderetur. At vero nemo sanus sibi persuadere potest, Christum ita

instituisse Sacramenta, ut ea exinde sequerentur incommoda, quae spectata humana imbecillitate saepissime essent eventura. Prob. etiam altera pars assertionis. Ad valorem Sacramenti requiritur intentio efficax seu talis, quae vel per se ipsam, vel per aliquid sui influat in actionem Sacramentalem, et illa determinet ad rationem Sacramenti. Atqui intentio habitualis, quae etiam dari potest in ebrio, amente, aut dormiente, talis non est. Ergo. Neque obest assertioni nostrae *S. Thomas* in III. Parte, Quaest. LXIV. Artic. VIII. ad III. docens, sufficere intentionem habitualem ad valorem Sacramenti. Ut enim ex contextu manifestum est, S. Doctor nomine intentionis habitualis intelligit virtualem in sensu a nobis superius explicato. Quod de habituali, multo magis de interpretativa dicendum est; quia ea intentio cum neque existat de praesenti, nec umquam physice extiterit, non est intentio efficax, sed intentionis praesumptio. Tertia pars assertionis probatur ex antea dictis. Cum enim aliqua interior intentio requiratur, actualis vero non sit necessaria, habitualis autem et interpretativa non sufficiant, virtualis et requiritur, et sufficit.

CXXXVII. *Quaeres IV.* An minister verum Sacramentum conficiat, quando duas habet intentiones, quarum una valori Sacramenti repugnat? Resp. a tali ministro verum tunc confici Sacramentum, quando intentioni, quae repugnat valori Sacramenti, praevalet opposita, eique derogat. Tunc enim intentio valori Sacramenti repugnans, est mera velleitas, vel mera circa perfectionem Sacramenti displicentia, quacum stat voluntas absoluta et efficax illud conferendi. Quod si vero ambae intentiones sint aequales, tunc minister ni-

hil efficit, quia aequaliter vult facere et non facere Sacramentum: qui autem aequaliter vult et non vult facere Sacramentum, non vult efficaciter illud facere. Porro ex duabus ministri intentionibus simul existentibus illa praevalet, quae est appretiative major: intentio autem appretiative major dicitur ea, quae simpliciter, absolute, et quantum est ex parte voluntatis, efficaciter vult suum objectum, sive hoc possit stare cum objecto alterius intentionis, sive non. Intentio appretiative minor est illa, quae objectum suum non vult absolute, sed sub aliqua conditione tacita vel expressa, si nimirum objectum stare possit cum objecto alterius intentionis.

CXXXVIII. *Quaeres V.* An intentio conditionata sufficiat ad valorem Sacramenti? Resp. Si conditio sit de praesenti, vel de praeterito, et reipsa sit jam impleta antequam absolvatur actio Sacramentalis, validum conficitur Sacramentum: si vero conditio sit de futuro, suspendens valorem Sacramenti usque ad eventum conditionis, nullum conficitur Sacramentum, excepto tamen matrimonio. Ratio assertionis est, quia in primo casu voluntas conditionata per purificationem conditionis, antequam absolvatur actio Sacramentalis, transit in absolutam: voluntas autem et intentio absoluta sufficit ad valorem Sacramenti. Contra vero in posteriori casu, quando minister materiam et formam complete ponit, non habet absolutam voluntatem conficiendi Sacramentum; quia conditio illa de futuro nondum est purificata, ideoque intentio illa non tam moraliter et aequivalenter transiit in absolutam. Ergo cum formae Sacramentorum sensum habeant de praesenti, v. g. *Ego te baptizo Ego te absolvo*, nullum

in tali casu conficitur Sacramentum. Neque postea valere poterit Sacramentum, quando non dabitur amplius illius materia et forma; Sacramentum enim fieri non potest, nisi materia et forma praesentibus, quas actu applicat minister cum absoluta intentione saltem faciendi quod facit Ecclesia. Aliter de Matrimonio loquendum est, quod sequitur naturam contractus.

CXXXIX. *Quaeres VI.* An aliquando forma conditionalis sit adhibenda? Resp. in collatione Sacramentorum formam conditionalem, ut Rituales libri praescribunt, usurpandam esse in legitimo tantum et prudenti dubio de veritate Sacramenti, si nimirum praemissa quantum fieri potest diligenti indagatione, rei veritas innotescere non possit. Ratio est, quia dignitas Sacramentorum exigit, ut non exponantur inutili iterationi; quod periculum removetur, adhibita forma conditionali. Porro assertio haec intelligenda est de conditione intrinseca et inexistente, non tantum in administratione eorum Sacramentorum, quae characterem imprimunt, sed etiam aliorum, praecipue Poenitentiae.

CXL. *Quaeres VII.* Quid de formae conditionalis antiquitate sentiendum sit? Resp. ante VIII. saeculum expressa mentio formae conditionalis nullibi fit in Ecclesiasticis monumentis, etiam cum de veritate collati Sacramenti prudens dubium moveri poterat. *S. Cyprianus* putabat Baptismum Clinicis per aspersionem datum, esse validum; dubitantibus tamen author fuit Epist. LXXVI. ad Magnum, ut iterum conferatur, nulla prorsus injecta mentione conditionis. Saeculo V. a Legatis Maurorum interrogati Patres Concilii *Carthaginensis* V. A. 401, quid agendum foret de pueris,

qui an baptizati essent nemo certo sciret, nulla facta conditionis alicujus mentione, responderunt Canone VI. *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur; neque ipsi sunt per aetatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.* Idem rescripserunt *S. Leo M.* Epist. XCII. ad Rusticum Narbonensem, et Epist. XXXVII. ad Neonam Ravennatem, *S. Gregorius M.* Lib. XII. Epist. XXXI. ad Felicem Messanensem, et *S. Gregorius II.* Epist. XIII. ad Bonifacium. *S. Gregorius III.* nulla facta conditionis alicujus mentione, Epist. II. ad Bonifacium jussit ordinari Presbyteros, de quibus dubium erat, an fuerint a veris Episcopis ordinati. Omnium primus formae conditionalis expressam facit mentionem Saeculo VIII. *S. Bonifacius* Archiepiscopus Moguntinus in suis statutis A. 745. conditis, et Tomo I. Spicilegii a Luca Dacherio editis, ubi Cap. XXVIII. haec habet: *Si de aliquibus dubium sit, utrum sint baptizati, absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis praemissis: Non te rebaptizo, sed si nondum es baptizatus, ego te baptizo.* Idem, ac totidem fere verbis statutum legimus Lib. VI. Capitularium, Cap. CLXXXIV. Saeculo XII. *Alexander III.* formam conditionalem praescripsit his verbis relatis Cap. *De quibus*, Extra, de Bapt. *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo etc.* Ubique tamen non invaluerat tunc haec forma baptizandi sub conditione, priusquam haec decretalis epistola Alexan-

dri III. relata fuit a *Graegorio IX.* Saeculo XIII. in corpus Juris Canonici; duo enim Anglicana Concilia, *Eboracense* nimirum A. 1195. et *Londoniense*·A. 1200. jubent absolute conferri baptismum, ubi legitima subest dubitandi ratio, an collatus aliquando fuerit, hac indicata communi ratione, *Quia non dicitur iteratum, quod non scitur fuisse collatum.*

CXLI. Caeterum quamvis ante saeculum VIII. nulla fiat conditionatae formulae expressa mentio in Conciliis et Patribus, legitime tamen inferri nequit, eam non fuisse in usu, ut observat *Benedictus XIV.* Lib. VII. de Synodo Dioecesana, Cap. VI. Immo ex antiqua et constanti Ecclesiae praxi oppositum colligi potest. Cum enim ex una parte Ecclesia rebaptizantes damnaverit, gravibusque poenis subdiderit, eos Ecclesiastica communione privando: ex altera vero parte eos incunctancter baptizandos esse decreverit, de quibus merito dubitabatur, an fuerint in Christo legitime regenerati, ne dicamus Ecclesiam in eumdem incidisse rebaptizantium errorem, quem toties detestata erat ac damnaverat, necesse est existimare, eam non aliter in ea dubietate Baptismum conferri voluisse, quam sub tacita et mente concepta conditione *si nondum es legitime baptizatus.* Haec autem conditio, quae prius mente tantum concipiebatur; coepit saeculo VIII. in ipsa Baptismi forma exprimi et pronuntiari, hancque disciplinam multis jam locis receptam *Alexander III.* non solum ratam habuit, sed etiam ubique servandam edixit.

OBJECTIONES.

CXLII. *Objicitur I.* Authoritas S. Augustini. S. Doctor Tract. V. in Joan. scribit: *Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat.* Atqui ebriosus nullam habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Ergo. II. Libro VII. de Baptismo contra Donatistas, Cap. LIII. scribit: *Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre et mimice et joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem.* Ergo frustra probatur ex Traditione, utpote quam Augustinus ignoravit, requiri in ministro intentionem, et Baptismum mimice collatum, esse invalidum. III. Eodem Libro et Cap. ait S. Augustinus: *Si enim nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter an veraciter agunt: cur extra intersit, non video, quando ille qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valeant ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quam ad frustandum illi fallaces a quibus agitur, et in quibus agatur? Et tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut poenitendo sanatur.* Ergo S. Augustinus sensit ratum esse ac validum baptisma fallaci ac simulato animo traditum et susceptum

in Ecclesia, adeoque intentionem interiorem non requiri ad valorem Sacramenti, sed sufficere exteriorem. Resp. C. M. N. m. Aliud est ebrius, aliud ebriosus. Ebrium dicimus, qui nimio vino actu incalescens, rationis usum amisit, ideoque omnis intentionis est incapax; Ebriosus est, qui pravam habet se vino ingurgitandi consuetudinem, etiamsi nihil vini hodie gustaverit: sola autem sese inebriandi consuetudo actu nec libertatem, nec intentionem tollit. *Gratianus* equidem in Decreto citans hunc Augustini locum, legit, *Non timeo ebrium*; sed male, et contra fidem omnium codicum, quod vice non una factum est a Gratiano. Ad II. C. A. N. Consequentiam, quam non probat solius Augustini dubitatio, nisi subversa velis quam plurima dogmata, eoquod rè nondum satis eliquata unus aut alter Patrum de illis dubitaverit, aut ea etiam negaverit. Augustinus itaque agens contra Donatistas, qui validum esse baptismum ab haereticis, aut etiam impiis hominibus collatum negabant, de valore baptismi mimice collati dubius haesit, non ratione ductus Protestantica, quod Sacramenta sint tantum signa vacua; sed quia propria sanctitate et veritate constant, non meritis dantium aut accipientium. Dubitavit ille in re sibi nondum sat cognita et perspecta, ab Ecclesia nondum tunc temporis decisa, divinumque judicium per alicujus revelationis oraculum multis precibus implorandum, ac Concilii alicujus sententiam expectandam esse censuit. Implevit hoc Augustini votum Florentina et Tridentina Synodus, quas tamen Protestantes proterve aspernantur. Ad III. Resp. C. A. N. C. S. Augustinus loco citato non loquitur de simulatione, seu fallacia intentionis, sed de simulatione seu fallacia fidei, vocatque illum fallacem,

qui non habens rectam fidem de veritate aut efficacia Sacramenti, illam tamen simulat conferendo baptismum, quasi illum pro vero haberet Sacramento, gratiam conferente. Haec autem fallacia non impedit, quin minister ille, sive occultus sive manifestus fuerit haereticus, possit intendere in genere ritum illum facere ut in Ecclesia sacrum. Profecto, ut caetera omnia silentio praeteream, sensum hunc aperte demonstrat status controversiae, quam cum Donatistis habebat S. Augustinus. Contendebant Donatistae, quos in libris illis impugnat S. Doctor, Baptisma sine fide collatum irritum esse: e contrario ostendit Augustinus illud validum esse. Ergo de absentia seu defectu fidei loquitur S. Doctor, non de absentia intentionis, de qua nulla erat quaestio.

CXLIII. *Objicitur II.* Authoritas Pontificum. Innocentius IV. scribens in Cap. *Siquis puerum*, Lib. III. Decretal. Tit. XLII. de Bapt. ait: *Non est necesse, quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia quae baptizat, quis baptizatus, et unde sit; nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia: immo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat.* Ergo juxta doctrinam Pontificum non requiritur in ministro Sacramentorum intentio faciendi quod facit Ecclesia. Resp. I. Sinibaldus Fliscus Genuensis, dictus Organum veritatis assumpto Innocentii IV. nomine Pontifex creatus, commentarios suos in libros Decretalium edidit quidem tempore sui Pontificatus A. 1243., eos tamen haberi voluit tamquam privati Doctoris opus. Resp. II. C. A. D. C. Non requiritur intentio explicita et formalis cau-

sandi gratiam sanctificantem, et faciendi quod facit Ecclesia sub ratione Sacramenti, C. C. Non requiritur intentio implicita et generalis, N. C. Innocentius IV, necessitatem tantummodo intentionis explicitae et formalis negat, non vero generalis illius et implicitae ut patet consideranti verba in objectione adductá, atque ea quae mos subjungit: *Unde siquis in casu necessitatis, vel etiam sine necessitate vadat ad Saracenum, et dicat, Baptiza me, et doceat eum formam, et ille Saracenus baptizet, non credens per immersionem aliquid fieri, nisi madefactionem, et non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere secundum intentionem petentis, id est, ut Baptismus operetur quidquid operari potest; et ipse baptizans tamquam minister conferat quod alii baptizantes conferunt, licet non credat ipsum posse aliquid operari vere baptizatus est; sed si hoc non intenderet, non baptizaret.*

CXLIV. *Objicitur III.* Praxis Ecclesiae. Ecclesia ratum habet baptismum ab Atheo, Judaeis et infidelibus collatum, servata materia et forma. Atqui Athei, Judaei et Infideles nullam habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Ergo. P. m. Atheus judicat impossibilem esse Ecclesiam Christi: Judaeis tota Religio Christiana est scandalum, Gentibus vero stultitia. Ergo non apparet, quomodo seriam habere possint intentionem faciendi quod facit Ecclesia. II. Episcopi Catholici priusquam Ordines conferant, protestantur se nolle ordinare excommunicatos, aut non habentes a suis superioribus facultatem suscipiendi Ordines; et tamen si qui sint hujusmodi, valide ordinantur. Ergo R. C. M. N. m. Ad *probat.* Resp. Atheus judicat impossibilem esse Ecclesiam Christi reduplicative sumptam, ut illa est a

Christo vero Deo et homine fundata, hoc ipso quod judicet Deum esse chimaeram; at vero Ecclesiam Christi materialiter sumptam, hoc est, visibilem hominum societatem a Christo institutam, quam oculis suis coram usurpat, possibilem esse, immo eam actu existere judicat. Potest itaque Atheus, non obstante sua incredulitate, intendere id quod facit haec hominum societas quamvis id quod ab ea intur, ipse nihili faciat: cumque possit agere nomine et authoritate Ecclesiae, hoc ipso indirecte et implicite potest velle agere nomine et authoritate Dei. Judaeos et infideles quod attinet, etsi illi non peragant ritus Ecclesiae ut in se sacros, possunt tamen eos peragere velle ut ritus, qui in Christianorum communitate sunt sacri, et ut caeremonias quibus utuntur Christiani. Quare si illi baptismum ex amicitia conferunt, potest praesumi bona et recta intentio; quia volunt gratificari potentibus, et prodesse quantum possunt: atque adeo implicite et practice volunt conficere Sacramentum. Extra hunc casum Baptismus a Judaeis vel Infidelibus collatus, non male reiteratur, saltem sub conditione; contigit enim non infrequenter, hos ob haereditarium odium in Christum, per plures annos Sacramenta non serio administrasse, ut de Sacerdotibus quibusdam in Hispania ex Judaico ac Maurico sanguine oriundis refert *Quintanadvennas*. Ad II. Resp. Episcopi volunt illos absterrere ne ad Sacros Ordines accedant: quod si de nullo praesente sibi constet, volunt singulis conferre Ordines, et facere quod facit Ecclesia, absque ulla conditione.

CXLV. *Objiciuntur IV.* Facta quaedam Historica. I. Genesius Histrio, ut refertur in Martyrologio ad diem XXV. Augusti, Christiana mysteria in theatro

exponens ludibrio coram Diocletiano, et ab alio Mimo jocular iter baptizatus, illico in alium mutatus, Martyrio coronatus est. II. Alexander Patriarcha Alexandrinus ratum habuit baptismum ab Athanasio adhuc puero collatum aliis pueris Catechumenis per jocum. III. *Nicephorus* Lib. III. Hist. Eccles. Cap. ult. refert Judaeum puerum a sociis in littore maris ludentibus baptizatum fuisse, huncque baptismum ratum fuisse habitum ab Ecclesia CPolitana. R. ad I. Historiam illam longe probabilius fabulosam esse evincunt circumstantiae prorsus incredibiles, discrepantia Scriptorum recentiorum in eo facto enarrando, et silentium Scriptorum Veterum usque ad Saeculum IX. quo Ado Viennensis Martyrologium suum concinnavit. Et quamvis daremus historiam hanc esse veram, ex ea tamen id unum legitime inferri posset, Genesium repente animo conversum ad Deum, fidem veram professum, et absque baptismo fluminis, sanctificatum fuisse baptismo flaminis et sanguinis. Ad II. Resp. I., et hanc quoque historiam probabilius fabulosam esse. Prob. id I. ex silentio antiquiorum et coaevorum authorum. Primus hujus rei meminit *Ruffinus* Lib. I. Hist. Eccles. Cap. XIV. atque ex eo descripserunt *Socrates* Lib. I. Cap. XI. *Sozomenus* Lib. II. Cap. XXI. *Nicephorus* Lib. VIII. Cap. XV. qui tamen rem hanc non tradunt tamquam certam et exploratam; ajunt enim: *Memorant, ferunt istud evenisse etc.* II. Ex serie temporum. Alexander praeesse coepit Alexandrinae Ecclesiae non ante annum 313, et si fides *Hieronymo* adhibetur in Chronico, anno primum 321, paucisque post Nicaenum Concilium mensibus, nempe initio anni 326 vivere desiit, Successorem nactus Athanasium. Quis autem sibi persua-

deat, Athanasium annorum XIV. aut etiam XX. adolescentem, Diaconatu jam tunc initiatum, Concilio Nicaeno interfuisse, locumque jam tum inter celeberrimos illius aevi Theologos occupasse: denique post menses perpaucos factum esse nobilissimae Ecclesiae Episcopum contra Canonicas sanctiones, quin umquam Ariani aetatis vitium illi objecerint? Resp. II. Transmissa historiae veritate, Athanasium non egisse per jocum, sed cum vera intentione baptizandi et faciendi id, quod ab Episcopo fieri observaverat: etsi hanc caeremoniam simul retulerit ad jocum, seu puerilem animi oblectationem, tamquam ad finem extrinsecum, ea fere ratione, qua v. g. aliqui administrant Sacramenta ob lucrum temporale. Ad III. eadem datur responsio. Pueri in ludis suis nonnumquam serio imitantur, quae a Majoribus suis fieri conspiciunt.

CXLVI. *Objicitur V.* Ratio. Sacramenta sunt juxta Catholicos signa effectiva gratiae divinitus instituta. Ergo significant et causant gratiam independenter ab intentione ministri. P. C. Signa publica habent significationem suam independenter a voluntate utentis. Ergo. II. Qui ponit materiam et formam Sacramenti, ponit totam illius naturam. Ergo defectus intentionis non impedit Sacramentum. III. Christus potuit ita instituere Sacramenta, ut eorum valor non penderet ab intentione ministri. Ergo illa ita instituit. P. C. Hac ratione magis consuluit dignitati Sacramentorum, quia eorum valor impediri pro libito non potest a ministro: consuluit bono Ecclesiae, quae certa redditur de legitima Sacramentorum administratione: consuluit suo honori, quia tali modo Sacramenta dependent a causa principali, non instrumentali; ab intentione Domini,

non vero servi. R. C. A. N. C. Ad *probat.* D. A. Signa publica speculativa, C. A. Signa publica practica, quae simul efficiunt quod significant, subdist. Nisi ipse instituens talem voluntatem requisierit ad illorum effectum, Trans. A. Secus, N. A. Atqui Christus talem voluntatem seu intentionem requisivit in suis ministris, qui utuntur hisce signis practicis. Ad II. rationem, D. A. Qui ponit materiam et formam cum debita intentione faciendi quod facit Ecclesia, C. A. Secus, N. A. Sine illa intentione materia et forma, quae Sacramentum alias constituerent non possunt dici Sacramentales. Quamvis enim natura Sacramenti consistat in consociatione formae cum materia; non omnis tamen quae fieri potest utriusque conjunctio, donari hoc nomine debet, sed ea solum per quam utraque ad esse Sacramentale determinatur. Nemo enim dixerit baptizari a nutrice infantem, quando etiam adhibita invocatione SS. Trinitatis, corpus ejus lavat, sanitatis aut abstergendarum sordium causa. Ad III. rationem Resp. I. Christus potuit etiam Sacramenta instituere, quin certam materiam ac formam praescriberet. Ergo ea ita instituit? Resp. II. C. A. N. C. Ad *probat.* Resp. Sacramentorum dignitati nihil idcirco decedit, sicut nihil eorum dignitati detrahitur, quod valor Sacramentorum impediri possit a ministro per substantialem materiae aut formae mutationem. Certitudinem quod attinet de legitima Sacramentorum administratione, sufficit Ecclesiae certitudo moralis negativa, quae nullum prudenti dubio locum relinquit; neque enim major saepe haberi potest a baptizato certitudo, quod Minister debitam formam ac materiam adhibuerit. Quid vero Christo magis honorificum sit, optime novit ipse

Christus, qui voluntatem suam per Conciliorum et Pontificum oracula, ac per continuam Ecclesiae praxim nobis sufficienter manifestavit.

CXLVII. *Objicitur VI.* Paritas. Verbum Dei, quacumque demum intentione praedicetur, excitat fidem. Ergo quaecumque sit intentio ministri: in administratione Sacramentorum homo justificatur. II. Infidelitas et impietas ministri non obest valori Sacramentorum. Ergo neque prava intentio. III. Mimus si ignem applicat stuppae, quaecumque sit illius intentio, illa comburitur. Ergo etiam Mimus jculariter baptizans, vere ac valide baptizat. IV. Quando Dominus per famulum solvit debitum, vel dat eleemosynam, valet solutio vel donatio, quamvis famulus non habeat intentionem solvendi vel donandi. Ergo a pari. Resp. ad I. paritatem, C. A. N. C. Verbum Dei per se excitat fidem, estque operatorium independenter ab intentione hominis: at vero Sacramenta hominem non justificant, nisi materia et forma ponantur secundum institutionem Christi, id est, humano modo et cum intentione utendi potestate ministeriali. Certe si eadem foret ratio Verbi Dei et Sacramentorum, sequeretur Sacramenta valide confici, quamvis verba non pronuntientur; quia Verbum Dei quod in impressis libris continetur, aeque fidem excitare potest, ac voce prolatum. Ad II. N. C. Nec fides, nec probitas, sed sola intentio ministri afficit materiam et formam, easque determinat ad esse Sacramentale. Ergo nec fides nec probitas, sed sola intentio ministri cum materia et forma requiritur ad valorem Sacramenti. Ad III. Resp. latissimam esse disparitatem. Siquis ignem applicet stuppae, quamvis de combustione nihil cogitet, non est in illius po-

testate situm, ut ignis, qui est causa necessaria, non comburat stuppam: At vero Minister Sacramentorum, qui est agens liberum, potest materiam et formam de se indifferentes, omittendo intentionem faciendi quod facit Ecclesia, non determinare ad esse Sacramentale, sicque nullum Sacramentum conficere. Ad IV. N. C. Famulo praecise demandatur ipsa executio operis externi, proin is in aestimatione morali habet se instar causae instrumentalis inanimatae. Idem pariter dicendum est de meris nuntiis et oratoribus, qui absque potestate ulla voluntatem solummodo Regis aut Reipublicae manifestant, ac mandata perferunt. At vero Ministri Sacramentorum sunt Legati Christi et Ecclesiae, qui habent veram potestatem ejus nomine, suo tamen judicio et arbitrio, negotium tractandi et perficiendi; sunt instrumentum Christi, non physicum et inanime, sed morale, animatum ac liberum, quod seipsum movere debet, ut agat.

CXLVIII. *Objicitur VII.* Sequela. Si ex parte ministri requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia, sequitur I., quod Sacerdos Eucharistiam distribuens, Sacramentum non conferat, si illud conferre non intendat. II. Quod intentio ministri se ipsam habeat pro objecto; quia qui vult facere Sacramentum, debet etiam velle ea, quae requiruntur ad valorem Sacramenti, qualis juxta nos est intentio. III. Salutem nostram pendere a probitate ministri, qui si improbus sit, potest nullam habere intentionem conferendi Sacramentum. IV. Quod homo certus esse non posset se esse baptizatum, vel consecutum se esse effectum Sacramenti, id est, justificationem. V. Quod quis perire possit propter malitiam alterius. VI. Demonstrari non posse Ecclesiae

visibilitatem a Catholicis; quia in ipsorum sententia nihil omnino certi statui potest de Fidelium baptismo, et Ordinatione Ministrorum. Atqui sequelae istae a Catholicis admitti nequeunt. Ergo. Resp. ad I. N. M. Sacerdos in distributione Eucharistiae non conficit Sacramentum, nec quidquam de novo producit, sed praecise distribuit id quod jam factum est. Unde in tali actione se habet instar famuli, qui donum aliquod Domini sui alteri defert. Ad II. Resp. Intentio ministri habet pro objecto distincte ipsum Sacramentum, confuse vero ea quae requiruntur ad valorem Sacramenti, inter quae numeratur intentio faciendi Sacramentum. Igitur intentio ministri se ipsam habet pro objecto, non distincte quidem, sed confuse. Ad III. Resp. salutem nostram non pendere simpliciter a probitate ministri, cum saepe contingat eos peccato mortali obstrictos Sacramenta administrare; sed tantum pendere ab aliqua eorum probitate, nempe sincera voluntate fungendi officio suo, et gerendi se tamquam ministros Ecclesiae: quae voluntas rarissime, ac non nisi in scelestissimis ministris deesse solet. Ad IV. Resp. eam haberi certitudinem de valore baptismi, quae haberi potest de eo, quod minister debitam materiam et formam usurpaverit. Sufficit nimirum certitudo moralis negativa, quae prudentem dubitationem excludit. Certitudinem quod attinet effectus Sacramentalis, seu justificationis, ea nonnisi conjecturalis esse potest, ut diximus Tomo V. Num. CDLVI. Ad V. Resp. talem non perire proprie loquendo, propter solam ministri malitiam, sed ob propriam culpam, sive originalem sive personalem; quamvis ob malitiam ministri contingat, ut haec culpa non tollatur. Praeterea retorqueo argumentum in ministro, qui legitimam mate-

riam aut formam non usurpat. Ad VI. Resp. Quamvis de singulis determinate sumptis non nisi moralis haberi possit certitudo, eos nempe rite baptizatos, et legitime ordinatos fuisse; certi tamen sumus certitudine summa, ac fidei divinae, cui nullo modo potest subesse falsum, utpote nixa promissionibus Christi Ecclesiae factis, quod plurimi in Ecclesia dentur rite baptizati, ac legitime ordinati.

CONTROVERSIA VII.

AN AD VALOREM SACRAMENTI REQUIRATUR FIDES MINISTRI?

Contra Rebaptizantes, Et Donatistas.

CXLIX.

De valore Babtismi ab haereticis collati, ingens Catholicos inter jam Saeculo III. exorta est controversia, magnis partium studiis agitata. Primi in Occidente Baptismum ab haereticis vel schismaticis collatum, irritum esse censuerunt *Tertullianus* Lib. de Bapt. Cap. XV. et *Agrippinus* Carthaginensis Episcopus in Synodo circa A. 215. aut ut alii malunt, 217. coacta, ut testantur *S. Augustinus* Lib. II. de Bapt. contra Donat. Cap. VII. et *Vincentius Lerinensis* in Commonit. Cap. IX. Praedecessorem suum hac in re secutus est *S. Cyprianus* Carthaginensis, qui consultus a Januario, aliisque Numidiae Episcopis A. 255. de Haereticis et Schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus, utrum deberent denuo baptizari, respondit cum XXXI. Coëpiscopis suis Carthagine in Sy-

nodo congregatis, extra Ecclesiam Catholicam vera esse non posse Sacramenta; atque adeo necessario esse rebaptizandos, vel potius cum antehac nihil habuissent, simpliciter baptizandos quicumque in Haeresi aut Schismate acqua profana et adultera tincti forent. Sequenti anno 256. a Quinto in Mauritania Episcopo eadem quaestione pulsatus, parem dedit responsionem, quam habita altera, multoque numerosiore LXXI. Episcoporum Carthaginensi Synodo, nova definitione confirmari procuravit, ut ipse Cyprianus testatur Epist. LXXIII. ad Jubajanum. Utque aliquorum in Africa dissidentium contentiones graviori authoritatis pondere reprimeret, Synodicam inde ad Stephanum Romanum Pontificem direxit Epistolam, nihil dubitans sententiam suam a Romana Sede comprobandam. Verum *Stephanus* Apostolica qua vigebat authoritate, cum caeteris quidem Collegis suis Italiae Episcopis, sed tamen prae caeteris obstitit novitati, et Cypriani opinionem rejecit, edito rescripto, ut ipse Cyprianus Epist. LXXIV. ad Pompejum refert: *Siquis ergo a quacunque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam.* Immo anathema etiam Cypriano, ejusque Collegis Episcopis comminatus est, nisi mutata opinione decreto huic acquiēscerent. His paulo commotior factus Cyprianus, Kalendis Septembris ejusdem anni 256. tertium coegit Carthaginense Concilium, cui ex Provinciis Africae, Numidiae et Mauritaniae interfuere Episcopi LXXXVII, in quo postquam lectae fuerunt reciprocae Epistolae Cypriani et Jubajani, unanimi calculo sancitum est, baptisma, quod dant Haeretici et Schismatici, non esse verum Christi baptisma.

CL. Eisdem temporibus Stephanus datis pariter ad Asiae minoris Episcopos litteris, graviter prohibuit baptizatos ab haereticis rebaptizari, easdem quas Afris, poenas eis comminatus: prava enim haec consuetudo apud Cappadociae, Ciliciae, ac finitimarum regionum Episcopos sensim invaluerat, Synadensis atque Iconiensis Concilii decretis firmata. Quod ubi nuntiatum est Cypriano, ad Firmilianum Caesareensem in Cappadocia Episcopum litteras dedit, per Rogatianum Diaconum transferendas, quibus respondit *Firmilianus* Epistola LXXV. inter Cyprianicas, quam proni erga Cyprianum obsequii, tam exulcerati erga Stephanum animi. Verum has inter turbas et contentiones, quibus Episcopi Stephano et Cypriano adhaerentes inter se collidi videbantur, nullum exortum est schisma; sed vicit pax Christi in cordibus eorum, ut scribit *S. Augustinus* Lib. V. de Bapt. contra Donat. Cap. XXV., multique ex Asiae minoris et Africae Episcopis extitere, ut Firmilianus et Cyprianus fatentur, qui sententiam et praxim Romanae Ecclesiae sequebantur, atque ab haereticis tinctos non amplius baptizabant. Ne graviora excitarentur dissidia, obstitit forte nova persecutio Impp. Valeriani et Gallieni, quae A. 257. Stephanum Papam in Italia, mox sequenti anno 258. S. Cyprianum prope Carthaginem nobili Martyrio coronavit.

CLI. Post mortem Cypriani ferme omnes Africanae Ecclesiae Episcopi victas dedere manus, vixque tenue rebaptizantium vestigium ea in regione superfuisset, nisi Donatistae haeretici initio Saeculi IV. errorem illum pene oblivioni traditum renovassent, immo auxissent etiam, ad valorem Sacramenti non fidem modo, sed etiam probitatem ministri requirentes. Nostro aevo

CLIII. Concilia quod attinet, *Arelatense I.* A. 314. habitum, Can. VIII. ita decrevit: *De Afris, quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Nicaenum I. A. 325. Can. VIII. statuit: *De his, qui se nominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto, et magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* Contra vero de Paulianistis ad fidem conversis, Can. XIX. aliter decrevit: *Siquis confugit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis, statutum est rebabtizari cos omnino debere. Siqui vero Clerici erant apud eos, siquidem inculpati fuerint et irreprehensibiles, baptizari rursus etiam ordinentur ab Episcopo Ecclesiae Catholicae,* eum invalide baptizati a suis, ab eis valide ordinari non potuerint. Rationem discriminis Paulianistas inter Catharos assignat *S. Innocentius I.* Epist. XXII. ad Episcopos Macedoniae: *Paulianistae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizabant: et Novatiani eisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant: Nec apud istos de unitate potestatis divinae, hoc est, Patris et Filii et Spiritus Sancti quaestio aliquando mota est.* Ex his Canonibus quamvis concedamus ac propugnemus, validissimum contra rebaptizantes instrui posse argumentum; nequaquam tamen inferri potest, rem hanc ab Arelatensi ac Nicaeno Concilio clare ac perspicue fuisse decisam, et praxim re-

baptizantium aperte tamquam haereticam fuisse proscriptam. Oculatissimi enim aliqui inter Graecos, pluribus etiam post Arelatense et Nicaenum Concilium annis, hanc consecutionem non animadverterunt, qui nempe vel contrariam opinionem et praxim secuti sunt, vel saltem tolerarunt, ut suo loco dicetur, nempe S. Basilius, S. Athanasius, S. Cyrillus Jerosol. et *S. Epiphanius*, qui in Expositione Fidei Catholicae diserte affirmat, *aliquos esse, qui praeter Ecclesiae consuetudinem, ac citra Concilii Generalis decretum, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare nihil verentur; cum nondum ea res Universalis Synodi judicio decisa sit.* Caeterum Tridentina Synodus expresse ac dilucide, nulla relicta contradicendi probabili ratione, rem hanc definivit Sess. VII. Can. IV. de Bapt. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*

CLIV. Prob. II. Ratione Theologica. Prima ratio est. Minister Sacramentorum non agit virtute et authoritate propria, sed Christi, adeo ut non tam minister, quam Christus ipse Sacramentum conficiat. Hinc S. Augustinus Tract. V. in Joan. expendens illa verba: *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, hic est qui baptizat*, ita disserit: *baptisma tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur; non qualis est ille, per cujus ministerium datur. --- Quod dabatur a Paulo, et quod dabatur a Petro, Christi est: et si datum est a Juda, Christi erat. --- Columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat.* Et Lib. IV. contra Cresconium, Cap. XVI.

Satis et ipsi (Donatistae) *judicastis, non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur constare Baptismum, sed propria sanctitate atque veritate, propter eum a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.* Ergo haeresis aut infidelitas ministri obesse non potest valori, immo nec fructui baptismi, si ex parte suscipientis obex non ponatur. Altera ratio priori est similis, ad quam facile reduci potest. Sacramenta, extra Ecclesiam suscepta, non sunt haereticorum Sacramenta, sed Christi ut observat S. Augustinus Lib. I. de Bapt. contra Donat. Cap. XIV. *Non baptismum vestrum acceptamus*, (Donatistarum) *quia non est baptismus ille Schismaticorum vel Haereticorum, sed Dei et Ecclesiae, ubicumque fuerit inventus, et quocunque translatus. Vestrum autem non est, nisi quod prave sentitis, et sacrilege agitis, et impie separamini.* Ergo nulla datur ratio repetendi Sacramenta ab haereticis collata.

CLV. Prob. III. a pari. Ac I. quidem. Saepe eaedem sunt Scripturae apud Haereticos et Catholicos, licet aliter ab haereticis intelligantur. Ergo eadem etiam utrobique esse possunt Sacramenta, si verbis Evangelicis consecrata fuerint. II. Homicidae, fures, adulteri, licet Spiritum Sanctum non habeant valide tamen baptizant, et aliis dant Spiritum Sanctum. Ergo etiam haeretici. Atque hoc argumento saepius utitur S. Augustinus tum alibi saepius, tum etiam Lib. IV. de Bapt. contra Donat. Cap. IV. *Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur, Ergo haereticus dimittit peccata? Sic et ego urgeo cum dico, Ergo qui coelestia mandata non servat, avarus, raptor, foenerator, invidus, verbis, non*

factis saeculo renuntians, peccata dimittit? Si per vim Sacramenti Dei, sicut ille, ita et ille: si per meritum suum, nec ille, nec ille.

CLVI. *Conclusio II.* Ad valorem Confirmationis non requiritur fides Ministri. Prob. I. Authoritate Patrum, praecipuae S. Optati Milevitani Lib. VII. contra Parmenianum, et S. Augustini, qui Lib. V. de Bapt. contra Donat. Cap. XX. argumento ad hominem usus ita disserit: *Quomodo aquam mundat et sanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebrae? Si autem Deus adest Sacramentis, et verbis suis, per qualeslibet administrentur, et Sacramenta Dei ubique recta sunt, et mali homines quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt, — — — Cur ad verba, quae procedunt ex ore homicidae, possit tamen Deus oleum sanctificare, et in altari quod posuerunt haeretici non possit, nescio.* Alcimus Avitus Viennensis in Galliis Episcopus a Stephano Lugdunensi interrogatus, quo ritu quidam Donatista in Ecclesiam admitti deberet, sic respondet Epist. XXIV. *Manus impositionem* (reconciliatoriam nempe) *personae, de qua scribitis, adhibete, — — — quam constat, si revera in supra dicti schismatis professione versata est, cum ministerio baptismatis etiam chrismate consignatam.* Ex quo colligitur Sacramenta Confirmationis et Baptismi huic Donatistae ad Ecclesiam redeunti data non esse, quia ea apud suos illi fuerant collata, quae semel rite concessa iterari non possunt.

CLVII. Prob. II. Authoritate Conciliorum. *Nicaenum I.* Can. VIII. quem paulo ante exhibuimus, jubet Catharos seu Novatianos redeuntes ad Ecclesiam, recipi per manus impositionem, haud dubie confirma-

toriam; quia teste Theodoreto Lib. III. Haereticarum Fabularum Cap. V. *Novatiani iis, qui ab ipsis tinguntur, sacrum chrisma non praebent. Quocirca etiam qui ex hac haeresi corpori Ecclesiae conjunguntur, laudatissimi Patres inungi praeceperunt.* Ex quo hoc instituitur argumentum. Si Sacramentum Confirmationis administrari debuisset etiam illis, qui in haeresi baptizati, et Confirmationis Sacramento ab Episcopis haereticis muniti fuerant, Nicaeni Patres non Catharorum modo seu Nobatianorum expressam fecissent mentionem, sed aliorum etiam haereticorum, maxime Arianorum, in quorum causa potissimum Concilium illud congregatum fuerat. Atqui illi de aliis haereticis, atque Arianis altum silent, et Catharorum tantum meminerunt, ob rationem a Theodoreto allatam. Ergo.

CLVIII. Prob. III. iisdem fere rationibus, quibus I. Conclusionem communivimus. Minister enim Confirmationis agit nomine et authoritate Christi, et Confirmatio est Sacramentum Christi. Denique si ad valorem Baptismi non requiritur fides ministri, neque ad valorem Confirmationis est necessaria; evidens enim est, nullum plane fundamentum dari aliter de uno Sacramento sentiendi quam de altero.

CLIX. *Conclusio III.* Ad valorem Sacrae Ordinationis non requiritur fides Ministri. Prob. I. ex usu et antiquissima praxi Ecclesiae, quae Clericos haereticos aut schismaticos cum suis gradibus et honoribus saepe recipit, et quidem absque nova ordinatione. *Nicaenum I.* Can. VIII. jubet, ut Novatiani in Clero permaneant, si ad Ecclesiam Catholicam

aliquando venerint. Hinc *S. Hieronymus* in Dialogo contra Luciferianos sub finem ait, Synodum Nicaenam omnes haereticos suscepisse, exceptis Pauli Samosateni discipulis. *Et quod his majus est*, inquit, *Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit Presbyterii gradum servat.* Ephesina Synodus Messalianos vel Enthusiastas, et Nestorianos Clericos, ut colligitur ex S. Cyrilli Alexandrinii. Epistolis ad Maximum et Gennadium, *CPolitana III.* Synodus Episcopos et Clericos a Sergio, Pyrrho, Paulo et Petro Monothelitis ordinatos, *Nicaena II.* Iconoclastas, post emissam Fidei Catholicae professionem absque nova ordinatione recepit cum suis gradibus. Eadem indulgentia receptos fuisse Pelagianos ad Ecclesiam Catholicam revertentes testatur *S. Leo M.* Epist. VI. alias LXXXVI. Donatistas *S. Augustinus* Epist. CLXXXV. alias L. Arianos *S. Hieronymus* in Dial. adv. Luciferianos, Ixoem, et Saturninum Encratitarum Episcopos *S. Basilius* Epist. I. ad Amphilochium, ordinatos a Bonoso haeretico *S. Innocentius I.* Epist. XXII. ad Episcopos Macedoniae. Praeterea *S. Augustinus* Epist. XLIII. alias CLXII. ad Glorium et Eleusium, atque in breviculo Collationis testatur, Melchiadem Romanum Pontificem Donatistis Episcopis, qui a schismate discederent, conditionem obtulisse ac decrevisse, ut ipsis Episcopale ministerium indulgeretur: et in quibuscumque locis duo essent contrariarum partium Episcopi, confirmaretur is qui prior fuisset ordinatus, alteri vero plebs alia regenda daretur; idque Melchiadis Decretum collaudat Augustinus. Idem pariter refert Lib. II. contra Cresconium, Cap. XI. Africanum Concilium eadem ratione et necessitate adductum, pro reductione lapsorum et Ecclesiasti-

ca pace restituisse Donatistas Episcopos ad pristinum dignitatis gradum.

CLX. Prob. II. Authoritate Patrum. *S. Hieronymus* in Dialogo adv. Luciferianos ait: *Eadem ratione Episcopum ab Arianis recipio, qua tu recipis baptizatum.* S. Gregorius M. Lib. II. Epist. XLVI. alias XXXII. ad Joannem Episcopum Ravennatem: *Illud autem quod dicitis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur valde ridiculum est. - - Absit autem a Fraternitate vestra sic sapere; sicut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari. Sed siquis forsitan cum levi culpa ad Sacerdotium venit, pro culpa poenitentia indici debet.* S. Augustinus Lib. II. contra Epist. Parmeniani, Cap. XIII. scribit: *Nam illud, quod quidam eorum* (Donatistarum) *dicere coeperunt, Baptismum quidem non amittit qui recedit ab Ecclesia, sed jus tamen dandi amittit; multis modis apparet frustra et inaniter dici. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere. Utrumque enim Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam Praepositi pro bono pacis correcto Schismatis errore suscepti sunt, et si visum est opus esse ut eadem officia gererent quae gerebant, non sunt rursum ordinati; sed sicut baptismun in eis; ita ordinatio mansit integra: quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in Sacramentis, quae ubicunque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc judi-*

catur Ecclesiae, ut Praepositi eorum venientes ad Catholicam societatem honores suos ibi non administrent: non eis tamen ipsa ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria. Caeterum quae de ordinationibus Haereticorum, servata tamen debita materia et forma, ac ritu a Christo praescripto diximus, intelligenda etiam pari de causa sunt de iis ordinationibus, quas fecerunt Episcopi Schismatici, excommunicati, depositi, intrusi, ac invasores.

CLXI. Antequam Adversariorum momenta audiamus, observo I. idem dicendum esse, quia eadem pugnat ratio pro omnibus, de reliquis etiam Sacramentis characterem non imprimentibus; quae ab haeretico vel schismatico ministro conferuntur, modo is debitam materiam et formam cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, usurpare tunc non omittat. Excipitur tamen Sacramentum Poenitentiae, quod ab haereticis manifestis, et excommunicatis vitandis administrari valide non potest; quia ad exercendum sacrum illud judicium, et absolutionis sententiam valide ferendam necessaria est ministro tamquam judici jurisdictio qua penitus destituuntur haeretici manifesti, et excommunicati vitandi, utpote ab ipso Ecclesiae corpore praecisi. Matrimonium quod attinet, cum illud sit quaedam contractus species, ad cujus valorem requiruntur certae quaedam solemnitates; sicut Ecclesiae sanxit invalidum esse matrimonium inter consanguineos usque ad quartum gradum, aut quod v. g. Christianus cum infideli non baptizata contrahit: ita etiam sancire posset, si ita expedire ei videretur, irritum fore matri-

monium v. g. a Catholica foemina cum haeretico contractum; quo casu necessaria foret ministri fides ad valorem matrimonii, supposita hic communissima ac vera sententia, quod contrahentes sint ministri.

CLXII. Observo II. nos in trina hac conclusione locutos fuisse de valore Sacramenti, non de illius fructu aut effectu. Certum est enim, eum qui extra casum extremae necessitatis Sacramenta sibi administrari ab haereticis, schismaticis, aut excommunicatis vitandis scienter petit, Sacramentum quidem valide suscipere, sed illius effectum, nempe gratiam sanctificantem non consequi, quia perversa sua petitione obicem ponit gratiae.

CLXIII. Observo III. non eamdem esse trium praecedentium conclusionem certitudinem. Fidem ministri necessariam non esse ad valorem Baptismi, certum est certitudine fidei, cum Tridentinum expressis ac perspicuis verbis veritatem hanc Catholicam deciderit. At vero fidem ministri necessariam non esse ad valorem Confirmationis et Sacrae Ordinationis, certum est equidem ob rationes solidissimas a nobis in probatione adductas, et communissimum Theologorum consensum, adeo ut erroneum ac temerarium merito censeatur id negare; attamen certum id non est certitudine fidei, cum in nullo Concilio id clare decisum fuerit, atque aliqui ex antiquioribus Theologis dubitaverint cum Magistro Sententiarum, aut etiam asseruerint, quibus hac in re suffragantur *Maldonatus* et *Morinus*, consecrationes et ordinationes ab haereticis, schismaticis et excommunicatis Episcopis factas, irritas olim fuisse, non ex Christi, sed ex sola Ecclesiae dispositione.

CLXIV. *Quaeres I.* An *S. Cyprianus*, caeterique ei adhaerentes Episcopi existimarint, excitatam de Baptismo haereticorum controversiam pertinere dumtaxat ad disciplinam? Resp. affirmative. Prob. assertio I. Cyprianus in ea controversia reliquit Africanis Episcopis libertatem sentiendi quod vellent, ut ipse testatur Epist. LXXII. ad Stephanum: *Nos vim cuiquam non facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque praepositus, rationem actus sui Domino redditurus.* Et in Praefatione ad III. Carthaginense Concilium: *Superest, ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversim senserit, removentes.* Atqui in rebus ad fidem pertinentibus neque concedi potest, neque umquam a Cypriano concessa est libertas sentiendi quod quis voluerit. II. Cyprianus et Firmilianus cum Episcopis Italiae, multisque etiam Africanis et Orientalibus, qui pro valore baptismi ab haereticis collati pugnabant, servarunt pacem et communionem, ut ipse testatur Cyprianus Epist. LXXIII. ad Jubajanum: *Nos cum Collegis et Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus. - - Servatur a nobis patienter et firmiter charitas animi, Collegii honor, vinculum fidei et concordia Sacerdotii.* III. Africani et Asiatici, ut patet ex Epistola Firmiliani ad Cyprianum, inter Cyprianicas ordine LXXV. controversiam de baptismo haereticorum comparabant cum aliis quaestionibus, quae omnium judicio ad disciplinam pertinent. Neque obest assertioni nostrae, quod Cyprianus sententiam Stephani errorem vocet, suam

vero dicat revelatam esse a Deo; vocat enim illam errorem, sed contra disciplinam, non contra fidem: suam sententiam ait a Deo revelatam esse, non quidem formaliter et expresse, sed arguitive tantum, atque ut ipse perperam sentiebat, per illationem. Nimirum solemne est omnibus de re quapiam gravi et Theologica disputantibus, ut suam quisque sententiam ex fide ac revelatione deductis momentis confirmare nitatur, quin tamen asserat, aut evincere conetur, eam ut expresse revelatam, et pro fidei articulo ab omnibus habendam esse. Vide plura apud *Natalem Alexandrum* in Hist. Eccles. Saeculi III. Dissertat. XII. Artic. IV.

CLXV. *Quaeres II.* An *Stephanus* Papa quaestionem de baptismo ab haereticis dato ad fidem pertinere censuerit, eamque expresse definiverit? Resp. Stephanus censuit quidem illam pertinere ad fidem, non tamen expresse et explicite definivit. Duas insignes quaestiones celebris illa controversia complectebatur. Altera pertinebat ad dogma fidei, videlicet, utrum validus esset baptismus ab haereticis ritu legitimo administratus? Altera spectabat ad disciplinam Ecclesiae, scilicet utrum retinenda esset antiqua consuetudo recipiendi reduces ad Ecclesiam haereticos ritu legitimo ab haereticis baptizatos, instar poenitentium, sola super eos manus impositione? Stephanus consultus a Cypriano, cum in ea Ecclesiae tempora incidisset, quae tum propter truculentissimas ab infidelibus insectationes, tum propter acriores acerbasque Episcoporum de baptismo disputationes, periculosissima ea aetate fluebant, ne res Christiana in extremum discrimen adduceretur, summa qua pollebat prudentia, ex duabus quaestio-

nibus, quarum altera ad dogma fidei, altera ad disciplinam Ecclesiae pertinebat, praetermissa tunc importuna quaestione de dogmate, quaestionem de disciplina diremit celebri illo rescripto: *Si quis a quacunque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam*, sub poena excommunicationis, non latae, sed ferendae sententiae Asiaticis Afrisque praecipiens, ut a rebaptizando deinceps cessarent. Atque hac de causa Augustinus scribit, etiam post rescriptum Stephani quaestionem hanc, propter indefinitum dogma nimirum, nondum fuisse eliquatissima perfectione discussam: eamque Basilius, Athanasius, Epiphanius, et Cyrillus Jerosolymitanus vocant quaestionem merae disciplinae, non fidei. Itaque Cyprianus, eique consentientes Episcopi tum Afri tum Asiatici, numero ferme CXXXVII. nequaquam solemni judicio fidei definitivo, sed praecepto operis prohibitivo; non constitutioni de dogmate, sed Decreto Stephani de disciplina praefracte obstiterunt, quod iniquo animo ferrent, Stephanum comminatum sibi fuisse excommunicationem, quam cadere in se minime posse existimabant; quia consuetudinem redeuntes ad Ecclesiam haereticos baptizandi, non ad fixam, certam, constantem et universalem; sed ad variam, peculiarem, commutabilem, et arbitrariam disciplinam Ecclesiae pertinere arbitrabantur. Vide *Laurentium Alticotium* in Summa Augustiniana, Parte III. Quaest. II. Artic. V. et VI.

CLXVI. *Quaeres III.* An Stephanus Papa S. Cyprianum et Firmilianum, eisque adhaerentes Episcopos a sua communione suspenderit, eosque anathemate perstrinxerit? Resp. cum *Bellarmino*, *Valesio*, *Schel-*

strate, *Natale Alexandro*, *Tournely*, *Le Drouven* etc. contra *Rigaltium*, *Tillemontium*, et *Roncaglia*, negative. Prob. assertio I. ex silentio Veterum, *Eusebii* in Hist. Ecclesiastica, *S. Hieronymi* in Dial. adv. Luciferianos, *S. Vincentii Lerinensis* in Commonit. Quin et ipsi Donatistae hanc excommunicationem nusquam objecerunt Catholicis. II. Authoritate *S. Dionysii Alexandrini*, qui scribens ad Xistum, Stephani successorem, apud *Eusebium* Hist. Eccles. Lib. VII. Cap. IV. de Stephano haec memorat: *Antea quidem litteras scripserat de Heleno, et de Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis, sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod haereticos rebaptizarent.* At quod minas has executioni mandaverit, nullibi memorat. Addit Dionysius l. c. se ad Stephanum scripsisse, rogasse eumque obtestatum esse, ne tam florentes Ecclesias a sua communione idcirco separaret. III. Authoritate S. Augustini, qui Lib. V. de Bapt. contra Donat. Cap. XXV. scribit: *Stephanus autem etiam abstinendos putaverat, qui de suscipiendis haereticis priscam consuetudinem convellere conarentur: iste autem* (Cyprianus) *quaestionis ipsius difficultate permotus, et sanctis charitatis visceribus largissime praeditus, in unitate cum eis manendum qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indignaretur vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur.* Atqui pax Stephanum inter et Cyprianum abrupta fuisset, si Cyprianum, ipsique adhaerentes Episcopos Stephanus anathemate confixisset. Idem S. Doctor Lib. de unico Bapt. Cap. XIV.

ait : *Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret haereticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum et ipsius Cypriani litterae ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit, - - - nec ulla facta est a Cypriano, et eis qui pariter de baptismo sapiebant, ab illorum communione divisio.* IV. Cum incertum sit, an S. Cyprianus ante martyrium suum ab hoc errore recesserit; neque ideo minus ab Ecclesia tam Latina quam Graeca ut Sanctus colatur, dicendum foret, eum extra communionem Romanae Ecclesiae in errore suo pertinacem obiisse, sanctimonia vitae, et confessione Christiani nominis illustrem; quod perquam absonum, et Catholicis auribus merito videtur intolerabile.

CLXVII. Quamvis autem asseramus, Cyprianum et Firmilianum cum Collegis suis anathemate a Stephano percussos non fuisse; minime tamen negamus, Stephanum anathema illis comminatum fuisse, si in sententia persisterent, atque aliqua eos communione privasse, omittendo nimirum amicitiae et fraternitatis familiaria officia. Stephanus enim (siquidem *Firmiliano* id asserenti Epist. LXXV. inter Cyprianicas fides est adhibenda, utpote cujus authoritas hac in re valde suspecta est) ut severitate adhibita ad communem Ecclesiae doctrinam contrarios sibi Antistites facilius revocaret, Cypriani Legatos, post III. Carthaginensem Synodum ad se missos, ne ad colloquium quidem admisit, graviterque prohibuit, ne quis Fidelium Romae eos in domum suam reciperet, veritus, ne si liberius illi Romae morarentur, Clerum plebemque novae doctrinae veneno imbuerent, et pro beneficio hospitii contagionem erroris rependerent.

CLXVIII. Neque contrarium evincunt *Cypriani* verba Epist. LXXIV. ad Pompejum Sabratensem, Stephanum vocantis *Unitatis oblitum*: aut *Firmiliani* querelae, Epist. LXXV. scribentis, quod Stephanus cum Asiae et Africae Episcopis pacem reperit, et semetipsum a tot gregibus sciderit. Cyprianus enim Stephanum vocat unitatis oblitum, non ob ruptam pacem, et latam excommunicationem; sed quod unitatem baptismi, ut Cyprianus perperam omnino interpretabatur, violaret, et verum baptismum qui non nisi unicus est, extra Ecclesiam agnosceret, ut manifeste apparet ex ipsis Cyprianicae illius epistolae verbis. Firmilianum quod attinet (salva ejus sanctitate id dicere liceat, quam Graeca Ecclesia, non item Latina agnoscit,) fervidioris indolis homo rem totam acerbius exaggeravit, atque ultra metam abreptus multa in Stephanum inverecunde effutiit, non modo aequo acerbiora, sed et falsa. Neque enim erubuit Stephanum audaciae, insolentiae, et manifestae stultitiae arguere; eumdem imperitum, iracundum, schismaticum, apostatam, abstentum, haereticis omnibus pejorem dicere; de rebus improbe gestis accusare, aliisque onerare opprobriis. Illud quoque falso ait, eumdem Sanctum Pontificem *cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse*; *pacem cum singulis vario discordiae genere rumpentem*. Quasi potissima Ecclesiae pars cum Firmiliano sensisset, et Stephanus propterea, aliisque de causis omnes per totum mundum Episcopos excommunicasset; cum tamen *S. Augustinus* Lib. de unico Bapt. Cap. XIV. diserte tradat, multo plures S. Stephano adhaesisse, neque quemquam partis adversae idcirco anathemate perculsum fuisse. Vide *Continuatores Bollandi*

in Actis SS. Tomo IV. Septembris, ad diem XIV. in Vita *S. Cypriani*, Cap. XLI.

CLXIX. *Quaeres IV.* An *S. Cyprianus* ante mortem ab errore rebaptizantium recesserit? Resp. id valde probabile esse, non tamen certo constare. Prob. assertio Authoritate *S. Augustini*, qui Epist. XCIII, alias XLVIII. ad Vincentium Rogatistam, Cap. X. scribit: *Cyprianus autem sensisse aliter de baptismo, quam forma et consuetudo habebat Ecclesiae, non in canonicis, sed in suis et in Concilii litteris invenitur: correxisse autem istam sententiam non invenitur. Non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit, et fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimirum delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Et Lib. II. de Bapt. contra Donat. Cap. IV. ait de Cypriano: *Et fortasse factum est,* (quod ab errore resilierit) *sed nescimus. Neque enim omnia quae illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriae litterisque mandari potuerunt, aut omnia quae mandata sunt, novimus.* Et Cap. V. *Alterum autem, id est, quomodo accipere potuerit veritatem contra id quod sentiebat inventam, etsi litterae tacent, merita clamant; si epistola non invenitur, corona testatur; si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum.* S. Hieronymus in Dial. adv. Luciferianos, licet id de S. Cypriano expresse ac diserte non asserat, de caeteris tamen Episcopis Africanis, qui cum eo senserant, affirmat: *Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos haereticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum. Quid facimus? ita et nobis Majores nostri, et illis sui tradidere Majores.* Ven. Beda Lib. variarum Quae-

stionum, Quaestione V. ait: *B. Cyprianus cum Coepiscopis qui erant in Africa, rebaptizandos esse haereticos contra morem Ecclesiae statuit: sed quia in suo sensu, qui sibi rectus videbatur, bonis abundare operibus studuit, mox corrigi meruit, atque ad universalem Sanctae Ecclesiae normam Spiritualium Virorum institutione reduci.* At Venerab. Beda Augustino et Hieronymo tribus omnino saeculis posterior est; adeoque non omne dubium Criticis exemit.

CLXX. *Quaeres V.* An *S. Stephanus* Papa cum Cypriano dimicans, in oppositum illi errorem lapsus fuerit, censueritque nullos plane haereticos esse abluendos, etiam eos qui formam ad baptismi valorem a Christo Domino constitutam non applicassent? Resp. contra *Launoium*, *Dupinium*, *Bailletum*, negative cum *Baronio*, *Schelstrate*, *Pagio*, *Natale Alexandro*, *Tournely*, *Le Drouven* etc. Prob. assertio I. In celebri illa de Baptismo haereticorum controversia nulla de forma baptismi habita est quaestio, sed de fide dumtaxat Ministri. II. Quod Stephanus velut certum supposuerit, baptismum datum ab haereticis vim suam habere ab invocatione Trinitatis, per quam consecratur, aperte significat *Firmilianus* Epist. LXXV. inter Cyprianicas: *Illud quoque absurdum, quod non putant quaerendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eoquod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum, Patris et Filii et Spiritus Sancti.* S. Cyprianus pariter in Epist. LXXIV. ad Pompejum testatur, a Stephano baptismum haereticorum ratum fuisse habitum ob vim et efficaciam verborum Evangelicorum, quibus confertur. *Aut si ef-*

fectum baptismi majestati nominis tribuunt, inquit, *ut qui in nomine Christi ubicunque et quomodocunque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur*. III. Ex silentio Veterum, *Eusebii* in Hist. Eccles. *S. Vincentii Lerinensis* in Commonit. *S. Hieronymi* in Dial. adv. Luciferianos, *Facundi Hermianensis* in Lib. contra Mocianum etc. quorum nullus Stephanum hujus erroris accusavit. Immo *S. Augustinus* Lib. V. de Bapt. contra Donat. Cap. XXIII. affirmat, decreto Stephani vindicatam fuisse consuetudinem, quae plenario totius orbis concilio subinde confirmata est, quam ipsemet Augustinus ex Apostolis derivatam affirmat. Ergo doctrina Stephani de Baptismo nullo laboravit errore. IV. Si Stephanus et Cyprianus in duos extremos sibique oppositos errores lapsi fuissent, universa tunc temporis errasset Ecclesia in fide circa doctrinam Baptismi, errore quamvis diverso; omnes enim Catholici Episcopi vel Stephano vel Cypriano adhaerebant. Atqui hoc salvis Christi promissionibus dici nequit. Equidem *Samuel Basnagius* Tomo II. Annal. Politico-Ecclesiasticorum, ad A. 256. ait, Ecclesiam in obscurissima materia, et in re quae pietatem non evellit, errare posse. At Calvinianum hominem non moramur. Praeterquam enim quod Ecclesia in re etiam obscurissima ad fidem et mores pertinente sit infallibilis, opinio erronea de valore Sacramentorum pietatem Christianam merito evellere censenda est; quia agitur de opinione in re sacratissima, quam dum fideles sequuntur, aut immani se obstringunt sacrilegio initerabile Sacramentum repetendo, aut aeternae salutis periculum subeunt illud non recipiendo.

CLXXI. Opponunt Adversarii I. verba Decreti *S. Stephani*: *Siquis a quacunque haeresi venerit ad vos etc.* quae omnino universalia et indefinita sunt, videnturque qualemcumque baptismum ab haereticis collatum ratum habere. II. Authoritatem *S. Cypriani*, qui Epist. LXXIV. ad Pompejum scribit: *Cur in tantum Stephani Fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini, et Appellis, et caeterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat filios Dei nasci, et illic in nomine Jesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem et in Dominum Deum Christum?* Atqui Marcionitae, Valentiniani etc. baptizabant absque invocatione SS. Trinitatis. Ergo. III. Authoritatem *Benedicti XII*, qui in responsione ad objecta Fraticellorum adversus Constitutiones Joannis XXII. asserit, Stephanum et Cyprianum lapsos fuisse in errores omnino contrarios, *et Concilium Nicaenum utramque opinionem correxisse, determinando quod baptizati ab haereticis non servantibus formam Ecclesiae, venientes ad Ecclesiam baptizentur; ab aliis vero haereticis baptizati, non rebaptizentur.* Resp. ad I. Stephani verba illa, *a quacunque haeresi*, intelligenda esse de illis tantum haereticis, qui integra forma baptismi, ac nullo modo vitiata utebantur. Etenim verba quae e vestigio subjungit, *Nihil innovetur nisi quod traditum est*, satis ostendunt, Stephanum ratum duxisse illud dumtaxat baptisma, quod Traditio probaret: Traditione autem probari tantum baptisma administratum forma a Christo Domino imperata, apud omnes in confesso est. Profecto adversariorum criminationem alii etiam Patres Stephano posteriores non effugient, eum-

dem ferme loquendi modum cum Stephano usurpantes. Sic *S. Hieronymus* in Dial. adv. Lucifer. ait: *In ea quippe Ecclesia* (Hilarius) *baptizatus est, quae semper ab haereticis baptismum recepit.* S. Leo M. Epist. LXXIX. ad Nicetam, Cap. VII. *Qui baptismum ab haereticis acceperunt, sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt.* Immo ipse *S. Augustinus* Lib. V. de Bapt. contra Donat. Cap. V. ait, homines occulta quadam inspiratione Dei detestari, siquis iterum baptismum accipiat, quem ubicumque jam acceperat. Ad II. Resp. C. M. N. m. Nam ut ait *S. Augustinus* Lib. VI. de Bapt. contr. Donat. Cap. XXV. *Facilius inveniuntur haeretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis* (Evangelicis) *baptizent.* Neque hoc Augustini testimonium intelligendum est de haereticis suis temporis tantum. Nam quod de illis Augustinus, id potiori jure dici potest de haereticis II. ac III. saeculi, qui initio sectae suae communem et Catholicam baptizandi formam secuti, eam postea mutarunt, quo magis reditum ad Ecclesiam Catholicam suis intercluderent. Confirmatur id testimonio *S. Irenaei*, qui Lib. I. adv. Haer. Cap. XVIII. testatur, a solis Colobarsianis et Marcitis vitiatam fuisse consuetam baptizandi formam, non vero a Menandro, Basilide, Carpocrate, Cerintho, Ebione, Cerdone etc. Neque obest, quod hi de Trinitate haud recte sentirent; siquidem ut docet *Augustinus* Lib. III. de Bapt. contra Donat. Cap. XV. *Si Evangelicis verbis, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis quam Catholica veritas docet,*

non esset integra, sed fabulis falsitatibus inquinata. Ad III. Resp. *Benedictum XII*, qui cum haec scriberet, A. 1330. Cardinalis dumtaxat erat, in hac facti quaestione longius a veritate aberrasse, illis nempe temporibus, quibus Historia densis erat tenebris involuta. Vide *Natalem Alexandrum* in Hist. Eccles. Saeculi III. Disertat. XIV. *Antonium Sandini* Disput. Historica VII. *Gerardum Castiel* Controv. XXIII.

CLXXII. *Quaeres VI.* Cum S. Augustinus Lib. II. de Bapt. contra Donat. Cap. IX. scribat: *Postea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur et quaeritur, non solum inventa est* (veritas de non reiterando baptismo haereticorum) *sed etiam ad plenarii Concilii authoritatem roburque perducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus*; post mortem vero Cypriani, qui obiit A. 258., et ante ortum Augustini, qui natus est A. 354. habita sint duo Concilia, in quibus actum est de baptismo ab haereticis collato, nempe Arelatense I. A. 314. et Nicaenum I. Oecumenicum A. 325. an *Plenarii Concilii* nomine ab Augustino designetur *Nicaenum*, vel potius *Arelatense*? Resp. probabilius ab Augustino designari Nicaenum; Concilium enim Arelatense ex solis Episcopis Occidentalibus congregatum fuit, et ab Augustino *judicium Episcopale* vocatur, ac numquam ab Ecclesia inter Concilia Oecumenica relatum est; ideoque *plenarium* simpliciter et absolute dici nequit *totius orbis, universae Ecclesiae, cunctarumque gentium Concilium*, quo tamen nomine Concilium illud appellat S. Augustinus, in quo hanc rem eliquatam fuisse ait, nempe Lib. I. de Bapt. contra Donat. Cap. VII. *Quaestionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiae tempori-*

I 4

bus magnos viros, et magna charitate praeditos Patres Episcopos, ita inter se compulit salva pace disceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur. Et Lib. VI. Cap. XIII. *Secundum Scripturarum Sanctarum authoritatem decrevit Concilium Catholicum orbis terrarum, etiam in haereticis inventum Christi baptismum non esse improbandum.* Illud facile damus, rem hanc expressis, claris, disertisque verbis a Nicaeno Concilio decisam non fuisse, ac multo minus ab Arelatensi, a quo prohibita tantum fuit praxis rebaptizantium, non vero damnata tamquam haeretica; Augustino tamen nihilominus visum fuit, rem hanc a Nicaenis Patribus satis fuisse eliquatam, eoquod validissimum contra Rebaptizantes ex Canone VIII. et XIX. instrui possit argumentum. Caeterum non vacat huic quaestioni diutius immorari. Vide plura apud *Natalem Alexandrum* in Hist. Eccles. Saec. III. Dissert. XXIV. et *Antonium Sandinum* Disput. Historica VIII.

OBJECTIONES.

CLXXIII. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Silentium Scripturae. Scriptura nullibi asserit baptismum valide conferri ab haereticis. Ergo fides Ministri est necessaria ad valorem Baptismi. Resp. N. C., et retorqueo argumentum. Scriptura nullibi negat validum esse Baptismum ab haereticis collatum, et Traditio aperte suffragatur ejusdem valori. Ergo standum est pro valore Baptismi ab haereticis collati. Eodem ar-

gumento utitur S. Augustinus Lib. I. contra Cresconium, Cap. XXXIII. *Proinde quamvis hujus rei certe de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum: earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universae jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas; ut quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, hujus obscuritate quaestionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat.*

CLXXIV. *Objicitur II.* Authoritas Canonum Apostolicorum, quorum XLV. ita habet: *Episcopum, vel Presbyterum, qui haereticorum baptismum vel Sacrificium admiserit, deponi jubemus.* Et Canon. XLVI. *Episcopus, vel Presbyter eum qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur.* Resp. Canones illos, qui sub nomine Apostolorum circumferuntur, non fuisse ab Apostolis editos, utpote quos Ecclesia primis V. saeculis ignoravit, nec umquam Cyprianus aut Firmilianus in erroris sui defensionem protulerunt; sed esse collectionem Canonum, qui in diversis Conciliis particularibus fuere promulgati: Canones vero XLV. et XLVI. multo probabilius excerptos fuisse ex erratica Rebaptizantium Synodo Iconiensi vel Synadensi. De Canonibus illis Apostolicis Saeculo VII. S. Isidorus Hispalensis apud Gratianum Dist. XVI. Cap. I. ita sentiebat: *Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec Sedes Apostolica recipit, nec Sancti Patres illis assensum praebuerunt, pro eo quod ab haereticis sub nomine Apostolorum conscripti dignoscuntur, quamvis in eis utilia invenian-*

tur, *tamen ab authoritate Canonica*, *atque Apostolica eorum gesta constat esse remota*, *atque inter apocrypha deputata*. Humbertus Sylvae candidae Episcopus, S. Leonis IX. Legatus, CPoli adversus Nicetam Pectoratum disputans, A. 1054. dixit: *Apostolorum Canones nominantur inter apocrypha*, *exceptis capitulis quinquaginta*, *quae Patres decreverunt regulis orthodoxis adjungenda*. At vero inter L. illa Capitula nec Canon ille XLV. nec XLVI, nec alii continentur, in quibus doctrina traditur Apostolicae omnino contraria. Vide quae de Canonibus Apostolorum doctissime disserit *Natalis Alexander* in Hist. Eccles. Saeculi I. Dissertat. XVIII.

CLXXV. *Objicitur III.* Authoritas Conciliorum. *Nicaenum I.* Can. XIX. ait: *Siquis confugit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis et Cataphrygis*, *statutum est rebaptizari eos omnino debere*. Atqui Cataphryges seu Montanistae, tempore etiam Nicaenae Synodi, baptizabant verbis Evangelicis. Ergo. II. *Laodicenum* A. 37?. habitum, Can. VIII. decernit: *De his qui convertuntur ab haeresi*, *quae dicitur Cataphrygarum*, *etsi in Clero qui apud eos esse creditur*, *fuerint*, *etsi maximi nominentur*, *hos sub omni diligentia ab Episcopis Ecclesiae vel Presbyteris instrui et baptizari conveniet*. III. *Constantinopolitanum I.* A. 381. Can. VII. ait: *Eunomianos*, *qui in unam immersionem baptizantur*; *et Montanistas*, *qui hic dicuntur Phryges*, *et Sabellianos*, *qui eumdem esse Patrem et Filium opinantur*, *utrumque simul confundentes*, *et alia gravia et indigna faciunt*; *et alias omnes haereses*; *quoniam hic multi sunt haeretici*, *et maxime qui ex Galatarum regione veniunt*: *qui-*

cunque ex his rectae fidei adscribi volunt, ut Gentiles admittimus: et primo quidem die ipsos Christianos facimus; secundo catechumenos; deinde tertio exorcizamus, sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum et aures insufflando. Et sic eos catechizamus, et curamus, ut longo tempore versentur in Ecclesia, et audiant Scripturas; et tunc eos baptizamus. IV. *Constantinopolitanum III.* admisit tres Synodos Carthaginenses a S. Cypriano celebratas, in quibus reprobatur baptisma Haereticorum. Resp. ad I. vitiatam fuisse ab Isidoro Mercatore Nicaeni Canonis XIX. lectionem; nec enim Graecus Canon, aut versio Dionysii Exigui ullam faciunt Cataphrygum mentionem, sed tantum Paulianistarum. Confirmatur id tum ex *S. Innocentio I.* qui Epist. XXII. ad Episcopos Macedoniae loquens de haereticis, quos Nicaena Synodus jussit rebaptizari, Paulianistarum solummodo meminit; tum ex VIII. Canone Nicaeno, quo jubentur Novatiani ad Ecclesiam revertentes sine rebaptizatione recipi. Ergo cum Montanistae temporibus Concilii Nicaeni debitam materiam et formam baptismi usurpaverint aeque ac Novatiani, Nicaeni Patres non potuere Novationorum baptisma admittere, illud vero Montanistarum rejicere, cum eadem fuerit utriusque conditio. Ad II. Resp. Montanistas tempore Laodicenae Synodi, quae XLVII. circiter annis post Nicaenam havita est, in Sabellianismum prolapsos, formam baptismi depravasse, ideoque a Laodicena Synodo jussos fuisse rebaptizari. Responsionem hanc arbitrariam aut commentitiam non esse patet ex eo, quod eadem Synodus Can. VII. admittat sine rebaptizatione Novatianos et Quartodecimanos, qui in forma Ecclesiae apud suos

baptizabantur. Caeterum eosdem saepe haereticos modo debitam materiam et formam usurpasse, modo pro variis locis et temporibus ritum baptismi mutasse, praecipue illos qui de Trinitate male sentiebant, atque in eo ritu errorem suum expressisse, omnibus in comperto est; ideoque *S. Hieronymus* in Dial. adv. Lucifer. negat, Cerinthianos, Ebionitas, ac Manichaeos fuisse rebaptizatos: *Gennadius* vero LXX. facile annis Hieronymo posterior, Lib. de Dogmatibus Ecclesiae, Cap. XXII. alias LII. Montanistas, Manichaeos, et alios hujusmodi iterum asserit baptizari; quia nimirum temporibus Gennadii haeretici illi non servabant formam baptizandi, quam servabant temporibus Hieronymi. Ad III. Resp. I. Canonem illum VII. non fuisse in Concilio CPolitano I. sancitum. Dionysius enim Exiguus non nisi quatuor illus Synodi Canones nobis exhibuit; quos etiam ad tres redegit, secundo atque tertio simul conjunctis; trium vero posteriorum ne meminit quidem. Atqui cum Dionysius profiteatur, transtulisse se in Codicem suum latinum Canones, ut erant *in Graeca authoritate*, id est, in Graecorum Codice, quem Graeci ipsi protulerant in Act. XVI. Concilii Chalcedonensis, et ex quo Canonem III. CPolitanum legerant; perspicuum est, nisi Dionysius mentitus fuerit, quod nemo credo suspicabitur, in Graecorum Codice quatuor dumtaxat Constantinopolitani I. Canones descriptos ea aetate exititisse, ac totidem proinde, non plures ab eadem Synodo fuisse sancitos. Praeterea a Socrate et Sozomeno Canonum horum numerum definitum habemus. Ille Hist. Eccles. Lib. V. Cap. VIII. Editionis Christophorsoni, cum ea perstringeret, quae in hoc Concilio statuta fuere, aliud nihil me-

moravit praeter ea, quae IV. prioribus Canonibus continentur. *Sozomenus* vero Lib. VII. Cap. IX. quae singulis prioribus IV. Canonibus sancita sunt, seorsum enarrat eo ipso ordine, quo Dionysius Exiguus illos IV. Canones descripsit; tum vero ita concludit: *Et haec quidem ad hunc modum Synodo placuerunt*: quibus aperte significavit, non plures Canones a Synodo prodiisse, quam quos ipse exposuerat. Vide Illustrissimum *Joan. Bapt. Bartholum* Feltriensem Episcopum in Institutionibus Juris Canonici, Cap. XXVIII. Resp. II. Quamvis daretur Canonem illum esse genuinum; causa tamen id decernendi CPolitanis Patribus alia non fuisset, quam quod haeretici illi, mutato consilio, Baptismum Evangelicis verbis non amplius consecrarent. Ad IV. Resp. id non a Concilio Oecumenico CPolitano III. A. 680 sed ab erratica Synodo in *Trullo*, Imperatoris Palatio, CPoli congregata A. 692 decretum fuisse, quae nullius prorsus in Ecclesia Dei authoritatis est, atque a Romanis Pontificibus fuit reprobata.

CLXXVI. *Objicitur IV.* Authoritas Patrum. Plures ex Patribus, praeter Cyprianum et Firmilianum, eisque adhaerentes Asiae minoris et Africae Episcopos, reprobarunt baptismum ab haereticis collatum. Ergo dici nequit sententiam Stephani probari ex Traditione. P. A. I. De *S. Dionysio Alexandrino* scribit *S. Hieronymus* in Catalogo Script. Eccles. *Hic in Cypriani et Africanae Synodi dogma consentiens, de haereticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas, quae usque hodie extant*, id est, temporibus Hieronymi; nostra enim aetate non nisi fragmenta quaedam illarum supersunt. II. S. Athanasius Orat. III. contra Arianos scribit: *Qui quaeso igitur non plane vanum*

atque inutile fuerit baptisma quod ab illis datur, cum id non nisi species sit et inane simulacrum, ipsique ea re nihil solidae opis afferant ad pietatem? Non enim in Patre et Filio tribuunt baptisma Ariani; sed in Creatore et creatura, in Factore et factura. Sicut igitur creatura diversum quiddam est a Filio, ita diversum quid a vero baptismate est, quod ab illis existimatur dari, tametsi nomen Patris et Filii, quia illa in Scripturis vident, simulent se nominare. III. S. Basilius Epist. I. Canonica ad Amphilochium Iconii Episcopum scribit, nullum sibi videri Novatianorum et Pepuzenorum baptisma, quia antiqui illum solum baptismum suscipiendum putarunt, qui nihil a fide recedit. Et Epist. II. ad eumdem Canone XLVII. ita loquitur: *Encratitae et Saccophori et Apotactitae subjiciuntur eidem rationi, cui et Novatiani; quia de illis editus est Canon, etsi diversus; quae autem ad eos pertinent, silentio praetermissa sunt: nos autem una eademque ratione eos omnes rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos haec rabaptizatio, sicut et Romanis, alicujus oeconomiae gratia: nostra tamen ratio vires obtineat, quia cum veluti Marcionistarum germen sit eorum haeresis, nuptias abhorrentium et aversantium vinum, et Dei creaturam inquinatam esse dicentium. Eos igitur in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum Baptismum baptizati fuerint.* IV. *S. Optatus Milevitanus* Lib. I. contra Parmenianum Donatistam, recipit baptismum Schismaticorum ut validum, baptismum vero haereticorum repudiat ut irritum. V. S. Cyrillus Jerosol. Praefat. in Catecheses ait: *Non licet bis aut ter hoc lavacro uti, ut si forte semel fueris eo frustratus, deinceps corrigas: Si enim semel illo fru-*

straberis, *amplius id correctionem non patitur* : *Unus enim Dominus*, *et una fides*, *et unum baptisma. Nam soli haeretici rebaptizantur*, *siquidem prius illud non erat Baptisma.* VI. S. Ambrosius Lib. de iis qui mysteriis initiantur, Cap. IV. *Est in aliquibus et aqua mendax* : *non sanat baptismus perfidorum*, *non mundat*, *sed polluit.* VII. S. Gregorius M. Lib. XI. Epist. LXVII. jubet repeti Bonosianorum baptisma.

CLXXVII. Resp. N. C. Fides Catholica ex sententia paucorum aestimari non debet. Ut enim egregie disserit S. Vincentius Lerinensis in aureo suo Commonitorio, Cap. XXXIX. *hac lege credendum est*, *ut quidquid vel omnes vel plures*, *uno eodemque sensu manifeste*, *frequenter*, *perseveranter*, *velut quodam consentiente sibi Magistrorum Concilio*, *accipiendo*, *tenendo*, *tradendo firmaverint*, *id pro indubitato*, *certo*, *ratoque habeatur. Quidquid vero*, *quamvis ille Sanctus et doctus*, *quamvis Episcopus*, *quamvis Confessor et Martyr*, *praeter omnes*, *aut etiam contra omnes senserit*, *id inter proprias et occultas*, *et privatas opiniunculas a communis*, *publicae ac generalis sententiae authoritate secretum sit.* Ad I. Resp. S. Hieronymum in hac quaestione facti probabilius a vero aberrasse. Praeterquam enim quod tanto patrono, secundae sedis Episcopo, Dionysio nimirum Alexandrino numquam gloriati fuerint Cyprianus et Firmilianus, testatur aperte *S. Basilius* in Epist. Canonica ad Amphilochium, Can. I. admissum fuisse a S. Dionysio Pepuzenorum seu Montanistarum baptismum. Ergo etiam baptismum reliquorum haereticorum, qui debitam materiam et formam servabant, admisisse merito censendus est. Accedit, quod S. Dio-

nysius mediatorem egerit pro Asiaticis et Afris Episcopis apud Stephanum, ut ipse testatur in Epistol ad Xistum ejus successorem, cujus fragmentum exhibet *Eusebius* Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. IV. Atqui non videtur preces suas interponere ausurus, siquidem ejusdem erroris socius fuisset. Ad II. Resp. Quamvis aliqui ab hoc errore Athanasium vindicare conentur, verisimilius tamen dicendum est, ab eo reprobatum fuisse ut invalidum haereticorum baptismum; non omnium promiscue, sed eorum tantum, qui rectam non tenerent fidem SSmae Trinitatis. Ita nimirum sentiendo videbatur ille sibi non adversari se, sed consentire Nicaenae Synodo Canone VIII. recipienti baptismum Novatianorum, et Can. XIX. jubenti Paulianistas rebaptizari, putans illorum baptismum a Nicaenis Patribus ea potissimum de causa reprobatum fuisse, quod haeretici illi male de Trinitate sentirent. Sed Nicaenae Synodi mentem felicius assecuta est Ecclesia, cujus authoritatem Athanasio, paucisque aliis Patribus opponimus. Ad III. Resp. S. Basilium hac in re deserendum esse, qui manifeste videtur consensisse in errorem praedecessoris sui Firmiliani, et aliorum rebaptizantium. Ex quo id unum inferre licet, controversiam hanc de Baptismo haereticorum a Nicaena Synodo clare ac perspicue decisam non fuisse; secus nec Basilius Nicaenorum Canonum alias scientissimus, nec Athanasius, rerum ibi gestarum oculatus testis, in rebaptizantium castris stetissent. Ad IV. Resp. S. Optatum eorum duntaxat haereticorum baptismum rejicere, qui verbis Evangelicis non baptizabant. Mens Optati aperte colligitur ex toto illo Opere adversus Parmenianum: ibi enim saepissime asserit admitti a Catholicis ac recipi Baptismum,

Chrisma, atque Ordinationes Donatistarum. Atqui Donatistae temporibus S. Optati non tantum erant Schismatici, verum etiam Haeretici. Ergo asserit a Catholicis validum haberi baptisma ab haereticis collatum. Extat praeterea Lib. V. adv. Parmenianum, insignis locus, quo veritatem Catholicam S. Optatus comprobat: *In quo baptizarentur Gentes a Salvatore mandatum est: per quem baptizarentur, nulla exceptione discretum est. Non dixit Apostolis, Vos facite, alii non faciant. Quisquis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizaverit, Apostolorum opus implevit.* Ad V. quidam respondent, S. Cyrillum locutum fuisse de illis, quos haeretici baptizant absque forma legitima, adeoque particulam illam *siquidem* non causalem esse, sed conditionalem; idque putant ex Graeco idiomate, quo Catecheses illae conscriptae sunt, evinci posse. Alii contra fatentur, difficile, esse haec verba ad Catholicum sensum adducere, eoquod de omnibus haereticis indiscriminatim loco citato loquatur S. Cyrillus. Ad VI. Resp. S. Ambrosium non loqui de valore, sed de fructu et effectu baptismi; qui enim jam adulti vel haeresi consentientes, vel scienter cum haereticis communicantes ab illis baptizantur, cum prava dispositione ac sacrilege baptismum suscipiunt. Ad VII. Resp. Ipse S. Gregorius loco citato causam subjungit, quia nimirum Bonosiani tunc temporis non baptizabant in nomine Trinitatis: antiquam vero esse Patrum traditionem, non esse rebaptizandos qui ab haereticis ritu praescripto baptizati sunt, declarat ibidem Sanctus Pontifex.

CLXXVIII. *Objicitur V.* Ratio Theologica ex parte haereticorum. I. Opus immundum, quodque a

Deo exaudiri minime potest, irritum prorsus et vanum est. Sed quidquid agunt haeretici, immundum est, quia ipsi sacrilegi sunt et adversarii Christi. Ergo. II. Illi soli possunt in Sacramentis virtute et merito Christi aliquid operari, quibus Christus potestatem Sacramenta administrandi contulit. Atqui hanc potestatem Christus contulit solis Ecclesiae praepositis, non vero extraneis, Haereticis nimirum et Schismaticis. III. Sacramenta ibi solum valide administrantur, ubi spirituales filii Deo procreantur. Atqui id fit in sola Ecclesia Catholica. P. m. Non potest filios Deo parere, nisi quae Sponsa est Christi. Atqui sola Ecclesia Catholica est Sponsa Christi. Ergo sola Ecclesia Catholica potest filios Deo parere. IV. Teste Apostolo, quotquot baptizantur Christum induunt. Sed qui in haeresi baptizantur Christum induere nequeunt. Ergo vere non baptizantur. V. Non aliud in haeresi percipitur, quam quod creditur. At quod creditur, falsum est. Ergo et quod percipitur. Ergo irritus est baptismus ab haereticis collatus. VI. Ad valorem Sacramentorum requiritur intentio ministri. Atqui haec locum non habet in haeretico. P. m. Fides intentionem dirigit. Ergo cum haereticus rectam fidem non habeat, rectam pariter intentionem habere nequit. Resp. C. M. D. m. Quidquis agunt haeretici virtute propria et merito suo, immundum est, C. m. Quidquid agunt virtute et merito Christi, N. m. Haeretici et Schismatici non ideo immundi sunt, quia baptismum verbis Evangelicis consecrant; sed quia veritatem Catholicam negant, et Ecclesiae unitatem scindunt. Discrimen itaque faciendum est inter opus Christi et opus ministri; alias omnino sequeretur, ab impiis Catholicis, adulteris, avaris ac facinorosis, Sacramenta invalide administrari. Ad II. C.

M. D. m. Christus hanc potestatem valide simul et licite administrandi Sacramenta dedit solis Ecclesiae praepositis, C. m. Christus non dedit hanc potestatem extraneis Sacramenta valide administrandi, quamvis illicite, N. m. et Conseq. Ad III. Resp. I. retorquendo argumentum cum S. Augustino Lib. V. de Bapt. contra Donat. Cap. XXIV. *Si propterea filios Dei generare non potest haeresis per Christum, quia Christi Sponsa non est: nec turba illa malorum intus constitutorum potest, quia et ipsa Christi Sponsa non est. Designatur enim Christi Sponsa sine macula et ruga. Ergo aut non omnes baptizati filii sunt Dei, aut potest et non Sponsa generare filios Dei.* Resp. II. C. M. N. m. Ad *probat.* D. M. Non potest filios Deo parere vel sinu suo, vel aliquando per uterum ancillarum, nisi quae Sponsa Christi est: C. M. Sponsa Christi non potest filios Deo parere, nisi sinu suo, N. M. Baptismus verbis Evangelicis consecratus ubicumque et a quocumque conferatur, Ecclesiae Catholicae bonum, et Sponsae Christi monile est. Itaque quotquot in Christi nomine, et ritu legitimo baptizantur, Ecclesiam habent matrem, quae eos vel per uterum suum parit, si in unitate Catholica abluantur; vel per uterum ancillarum, si foris in haeresi tingantur aut schismate: sicut Sara, Lia, et Rachel per ancillas jure conjugali viris suis filios pepererunt. Et quamvis communitates haereticae suo quodam sensu sint adulterae, non tamen ita a Christo sunt separatae, ut iis vera Ecclesia uti non possit ad procreandos Sponso suo filios. Ita Cyprianicam hanc objectionem solvit *S. Augustinus* Lib. I. de Bapt. contra Donat. Cap. XVI. Ad IV. Resp. cum *S. Augustino* Lib. V. de Bapt. Cap. XXIV. Qui ab haeretico, aut etiam malo mini-

stro baptizatur, consentiens illius errori vel malitiae, ille Christum induit, non quidem ad vitae sanctificationem, sed ad Sacramenti perceptionem; quia scilicet Sacramentum Christi percipit. Ad V. N. M. Ut enim S. Augustinus scribit Lib. III. de Bapt. contra Donat. Cap. XIV. *Nec interest, cum de Sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat, et quali fide imbutus ille sit qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quaestionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, et perversam fidem: sicut fieri potest, ut integra teneat verba Symboli, et tamen non recte credat sive de ipsa Trinitate, sive de resurrectione, vel aliquid aliud.* Ad VI. C. M. N. m. Ad *probat.* D. A. Fides dirigit intentionem hoc sensu, quod intentio recta, quamtumvis implicita tantum, dari non possit ubi fides deficit, N. A. hoc sensu, quod si adest vera fides, hanc plerumque sequatur intentio, C. A. N. C.

CLXXIX. *Objicitur VI.* Ratio Theologica ex parte naturae Sacramentorum. I. Sicut unus est Deus, una fides et una Ecclesia, ita etiam unum est Baptisma. Ergo extra Ecclesiam Catholicam non est verus baptismus. P. C. Si extra veram Ecclesiam daretur verus baptismus, vel ille esset diversus a baptismo Ecclesiae, vel esset idem? Non esset diversus; alias forent duo baptismata, unum intra, alterum extra Ecclesiam: Non esset idem; quia Ecclesia Cantic. Cap. IV. appellatur *Hortus conclusus, Fons signatus.* Ergo haeretici, ab Ecclesia praecisi et ejecti, non possunt hortum ingredi, nec bibere ex illo fonte, seu ex Ecclesiae baptismate. II. In sola Ecclesia Catholica est fons vitae et regenerationis, non vero apud Haereticos et Schisma-

ticos, qui non habent nisi aquam adulteram et mendacem. III. In baptismo fit regeneratio. Ergo nemo ab haereticis valide potest baptizari, quia nemo potest apud illos regenerari. IV. I. *Petri* Cap. III. v. 20. monemur, nos per unicum unius Ecclesiae baptismum salvari posse, quemadmodum per solam Arcam Noë octo animae salvae factae sunt. Sicut igitur quotquot extra Arcam fuere, extincti sunt aquis diluvii: ita quotquot extra Ecclesiam ab haereticis baptizantur, peribunt. Resp. ad I. C. A. N. C. Ad *probat.* dico, baptisma haereticorum et Catholicorum, siquidem illud ritu praescripto administretur, esse idem baptisma, numero tantum diversum; utrumque enim eadem constat materia et forma, eumdem habet authorem Christum, et pertinet ad camdem Ecclesiam Christi; quae quidem est hortus conclusus et fons signatus, habita ratione effectu salutaris, qui obtineri extra illam non potest ab iis qui haeresi aut schismati consentiunt; at non ratione habita Sacramenti, et fontis ipsius. Quemadmodum enim fluvius de loco voluptatis seu terrestris paradisi foras et in terras extraneas longe lateque diffundebatur; ita etiam fons aquae vitalis in Catholica Ecclesia positus, foris in exteras regiones exundat, sin minus ad salutem, ad perniciem certe suscipientium. Profecto si qua vis huic argumento inesset, omnino conficeretur, neque ab impiis Catholicis Sacramenta valide administrari. Hinc S. Augustinus Lib. V. de Bapt. contra Donat. Cap. XXVII. scribit: *Dicat mihi aliquis, quomodo irrepserint in hortum conclusum et fontem signatum, quos saeculo verbis solis, et non factis renuntiasse Cyprianus, et tamen intus fuisse testatur?* Ex his patet etiam responsio ad II. In sola Ecclesia Ca-

tholica fons est vitalis quoad effectum sive sanctificationem spectatus, aut stricto loquendo, apud solos Catholicos est vita de fonte accepta; fons vero ipse est etiam apud haereticos, sumentibus non quidem ad salutem, sed ad perniciem, si haeresi schismatique consentiant. Haeretici et schismatici non habent nisi aquam adulteram et mendacem, quatenus haeretici et schismatici sunt; at non in illis quae de bonis Ecclesiae habent, et cum Catholica Ecclesia communia, prouti sunt Christi Sacramenta. *Non est aqua profana et adultera*, ait S. Augustinus Lib. III. de Bapt. contra Donat. Cap. X. *super quam nomen Dei invocatur, etiamsi a profanis et adulteris invocetur: quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus vero Christi verbis Evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici et immundi; quia ejus sanctitas pollui non potest, et Sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium.* Ad III. N. C. Apud haereticos et schismaticos potest esse regeneratio sicut apud malos; si nempe qui ab illis baptizatur, necessitate urgente Sacramentum ab illis petat, quin haeresi aut schismati adhaereat; quia scilicet regeneratio haec non ex ministro pendet, sed ex Sacramenti authore Christo, qui est principalis baptizans. Ad IV. Resp. I. retorquendo. Per paucos illos qui in Arca Noë salvi facti sunt, non intelliguntur promiscue omnes Catholici, sed ii tantum qui nomen Christianum moribus et vitae sanctitate exaequant. Ergo Baptismus ab impiis Catholicis collatus, est invalidus? Resp. II. C. A. D. C. Ergo peribunt illi, quia Sacramentum fuit invalidum, N. C. Ob defectum gratiae sanctificantis,

quam in baptismo non perceperant, subdist. Si absque urgente necessitate, mala fide, et adhaerentes haeresi vel schismati fuerint ab haereticis vel schismaticis baptizati, nec congruam egerint hujus criminis poenitentiam, C. Secus, N. C. *Sicut ergo*, ait Augustinus Lib. V. de Bapt. contra Donat. Cap. XXVIII. *non alia, sed eadem aqua et in Arca positos salvos fecit, et extra Arcam positos interemit: sic non alio, sed eodem baptismo et boni Catholici salvi fiunt, et mali Catholici vel haeretici pereunt.*

CLXXX. *Objicitur VII.* Ratio Theologica ex parte effectus Sacramenti, nempe gratiae. I. Sacramenta quae ab haereticis conferuntur, nullum habent effectum. Ergo non sunt vera Sacramenta. P. A. Sacramentorum effectus est, ut suscipiens illa Christum induat, et Spiritu Sancto donetur. At qui baptizatur ab haereticis, hunc effectum non percipit. Ergo. II. Spiritus Sanctus, quantum ad gratiam et peccatorum remissionem, in sola Ecclesia Catholica datur. Atqui ubi non sit remissio peccatorum, non potest verus esse baptismus. Ergo. III. Baptismus ab haereticis collatus numquam prodesse potest ad peccatorum remissionem, etiam redeuntibus ad Ecclesiam. Ergo est invalidus. P. A. Baptismus ille in nullo suo effectu manet. Ergo numquam prodesse potest ad peccatorum remissionem. P. A. Haeretici nihil habent: nihil ergo dare possunt. Resp. ad I. N. A. Ad *probat.* D. M. Ut Christum induat, et Spiritu Sancto donetur, quantum ad characteris impressionem, C. M. Quantum ad remissionem peccatorum et gratiam sanctificantem, subdist. Si obicem non ponat sua perversitate, C. Secus, N. M. Et sic distincta min. N. C. Omnes qui ab haereticis baptizantur, characterem

Dominicum infixum habent; gratiam vero ii soli suscipiunt, qui urgente necessitate, aut bona fide ab haereticis baptizantur, quin eorum errores amplectantur. Ad II. Resp. C. majorem, non tamen universaliter sumptam; quia ut paulo ante diximus, etiam quoad gratiam et peccatorum remissionem dari potest Spiritus Sanctus apud haereticos, quando nimirum quis urgente necessitate, aut bona fide Sacramenta apud illos suscipit, non consentiens errori. Et N. min. cujus falsitas manifeste ostenditur exemplo eorum, qui in ipsa Catholica Ecclesia ad sacrum lavacrum cum fictione accedunt, quos fatebatur S. Cyprianus verum baptisma sine peccatorum purgatione habere. Ad III. N. A. Ad *probat.* N. A.; character enim qui in baptismo imprimitur, est indelebilis, non tantum quando baptismus in Ecclesia Catholica celebratur, sed quando etiam ab haereticis confertur. Ad hujus *probat.* D. A. Haeretici nihil habent, id est, non habent characterem, si legitime ritu a Christo praescripto sint baptizati, N. A. Gratiam sanctificantem non habent. C. A. Et D. C. Ergo non possunt dare gratiam sanctificantem tamquam de suis bonis, et sua virtute, C. Conseq. Tamquam de bonis Ministri principalis, et virtute Christi, subdist. Si suscipiens obicem ponat sua perversitate, C. Secus, N. C. Fundamentum erroris S. Cypriani, aliorumque rebaptizantium fuit, quod illi non satis distinguerent inter Sacramentum, ejusque effectum. *Non distinguebatur*, ait Augustinus Lib. VI. de Bapt. contra Donat. Cap. I. *Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti. Et quia ejus effectus atque usus in liberatione a peccatis et cordis rectitudine apud haereticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur.*

CLXXXI. *Objicitur VIII.* contra II. Conclusionem, Authoritas Patrum. *S. Cyprianus* Epist. LXX. ad Januarium aperte scribit, Confirmationem ab haereticis datam non valere; neque idcirco a S. Stephano fuit reprehensus, aut ejus sententia ab Ecclesia fuit reprobata. Immo non desunt, qui ex Epistolis Cypriani evincere conantur, Stephanum circa Confirmationem ejusdem fuisse cum Cypriano opinionis, quamvis circa baptismum ab eo dissentiret. II. S. Augustinus Lib. III. de Bapt. contra Donat. Cap. XVI. ait: *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* Ergo juxta Augustinum Confirmatio potest repeti, adeoque ab haereticis collata, est invalida. Resp. ad I. Cyprianum, aliosque rebaptizantes ita quidem de Confirmatione sensisse ob paritatem rationis cum Baptismo: at in utroque eos errasse, et duplicem hunc errorem ab Ecclesia rejectum fuisse; illum de Baptismo explicite ac diserte, de Confirmatione alterum, utpote de quo vix quaestio mota est, implicite quodammodo. Stephanum quod attinet, non potuit ille Confirmationem haereticorum rejicere, qui ipsorum baptisma admisit. Neque impositio illa manuum in poenitentiam, cujus meminit in Decreto suo ad Cyprianum, fuit confirmatoria, sed caeremonialis tantum et reconciliatoria. Quod si Cyprianus aliter mentem Stephani fuisset interpretatus, deceptus ille enimvero fuisset, ac disputationis aestu longius abreptus. Ad II. Resp. N. C. Augustinus qui saepius diserte docuit Sacramenta Baptismi et Confirmationis rata et valida esse, quamtumvis ab haereticis administrentur, loco cit. non loquitur de impositione manuum confirmatoria et Sacramentali, sed mere re-

conciliatoria et caeremonali, per quam redeuntes ab haeresi recipi solebant. Hanc manus impositionem alterius esse a Baptismo conditionis asserit: illum quidem repeti non posse; hanc vero posse, quia manus impositio est oratio super hominem: oratio autem repeti saepius potest.

CLXXXII. *Objicitur IX.* Authoritas Pontificum et Conciliorum. *S. Siricius* Papa Epist. ad Himerium Tarraconensem, Cap. I. scribit de Arianis: *Quos nos cum Novatianis, aliisque haereticis, sicut est in Synodo* (Arelatensi I. Can. VIII.) *constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus. Quod etiam totus Oriens Occidensque custodit.* Ex quibus verbis hoc instruitur argumentum. Novatianis ad Catholicam Ecclesiam transeuntibus conferebatur Confirmationis Sacramentum. Ergo etiam Arianis, aliisque haereticis. Ergo illa impositio manuum non erat reconciliatoria, sed Sacramentalis respectu omnium haereticorum. P. C. Siricius ait eodem modo recipi caeteros haereticos, quo Novatiani. Ergo. II. S. Leo M. Epist. CXXXV. alias XXXVII. Ad Leonem Ravennatem scribit: *Quod ibi defuit, conferatur, ut per Episcopalem manus impositionem virtutem Spiritus Sancti consequantur.* Et Epist. CXXIX. alias LXX. ad Nicetam: *Qui baptismum ab haereticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, qui formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt.* Ergo impositio illa manuum fuit Sacramentalis. III. Arausicanum I. A. 441. Can. I. ait: *Haereticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant,*

si desit Episcopus, a Presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placuit. Arelatense II. A. 452. Can. XVII. *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes* (Photinianorum et Paulianistarum) *quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Ergo Resp. impositionem manuum Episcopalium, de qua loquitur Siricius, mere fuisse caeremonialem et reconciliatoriam, quae gratiam ex opere operato non producebat, sed potius signum erat, per poenitentiam erroris et sinceram conversionem cordis obicem gratiae remotum fuisse. Quare ad argumentum ex eo loco depromptum Resp. C. A. N. C. Novatiani admittebantur in Ecclesiam per Confirmationem, quia Sacramentum hoc baptizatis apud illos non conferebatur. Contra vero Ariani, Donatistae, aliique haeretici recipiebantur sine Confirmatione, quia ab Episcopis suis hoc Sacramento donati fuerant. Ad *probat.* D. A. Siricius ait caeteros eodem modo recipi quoad baptismum, id est, quod rebaptizandi non sint, sicut nec rebaptizantur Novatiani, C. A. Quoad Confirmationem, N. A. et Conseq. Ad II. Resp. Vox *confirmare* apud S. Leonem non designat hujus nominis verum Sacramentum, sed ritum dumtaxat, quo haeretici Ecclesiae reconciliantur, et in fide Catholica confirmantur. Ad III. Resp. Arausicanum vel de manus impositione reconciliatoria loquitur; vel si de Sacramento Confirmationis ibi sermo est, haeretici illi, de quibus ibi agitur, antea confirmati non fuere, quibus idcirco citatus Canon jubet urgente mortis periculo, atque in absentia Episcopi, a simplici Sacerdote hoc Sacramen-

tum administrari. Arelatense II. verisimilius agit de manus impositione et unctione reconciliatoria.

CLXXXIII. *Objicitur X.* Authoritas Ecclesiae Orientalis. Ecclesia Orientalis admisit haereticos redeuntes ad Ecclesiam per Unctionem chrismatis, et illa verba, *Signaculum donationis Spiritus Sancti*, quibus Graeci Sacramentum Confirmationis administrant, ut patet ex Can. VII. *CPolitani* I. Can. XCV. *Trullanae* Synodi, et Euchologio Methodii. Ergo hic ritus, quo haeretici ad Ecclesiam redeuntes a Graecis recipiebantur, non erat mere caeremonialis, sed vere Sacramentalis. P. C. Ubi eadem est materia, eadem forma, atque idem effectus Sacramenti Confirmationis, ibi idem quoque est Sacramentum. Atqui in illo ritu eadem erat materia, forma et effectus. Ergo. Resp. C. A. N. C. Ad *probat.* C. M. N. m. In ritu illo, quo haeretici a Graecis recipiebantur, eadem quidem erat materia et forma; sed nec idem effectus erat, nec idem operandi modus. Non idem effectus, nam in Confirmatione datur Spiritus Sanctus ad robur, ut intrepide fides Christiana adversus omnes ejus impugnatores defendatur: in illo vero ritu dabatur Spiritus Sanctus ad remissionem peccati haereseos, ad pacem cum Ecclesia conciliandam, atque ad fidem firmius retinendam. Neque idem erat modus operandi in illo ritu, qui in Confirmatione; etenim Confirmatio per se et ex opere operato gratiam confert, ritus autem ille ex opere operantis, ratione scilicet poenitentiae et sincerae conversionis.

CLXXXIV. *Objicitur XI.* Paritas. Haeretici et Schismatici neque valide Eucharistiam conficiunt, neque valide administrant Sacramentum extremae Un-

ctionis. Ergo Episcopi haeretici et schismatici neque valide confirmant. P. A. I. *Pelagius II.* apud *Gratianum* Causa XXIV. Quaest. I. Cap. XXXIV. ait, non esse corpus Christi quod Schismaticus conficit. Ergo Schismatici invalide consecrant. II. De Sacramento extremae Unctionis dicitur Jacobi Cap. V. *Oratio fidei salvabit infirmum.* Atqui in haereticis qui fide carent, locum non habet oratio fidei. Ergo oratio quam illi fundunt infirmum ungentes, non potest illum salvare. R. N. A. Ad I. *probat.* ajo, Pelagium non loqui de corpore Christi physico, seu de Sacramento Eucharistiae, sed de corpore Christi mystico, quod est Ecclesia: adeoque id unum asserit Pontifex, non esse veram Ecclesiam quae ex Schismaticis constat. Ad II. *probat.* Resp. D. M. Oratio fidei formaliter sumptae pro ipso actu, quo quis formaliter fide divina credit, N. M. Fidei objective sumptae pro objecto credendo, quod fide divina debet apprehendi, C. M. Et D. m. Oratio fidei formaliter sumptae locum non habet in haereticis, C. m. Oratio fidei objective sumptae, N. m. et Conseq. Haeretici quamvis fidem divinam non habeant, possunt tamen proferre orationem, et praedicare verbum fidei.

CLXXXV. *Objicitur XII.* pro sententia *Morini* et *Maldonati*, de qua Num. CLXIII. diximus. Quamvis Confirmatio ab haereticis vel schismaticis Episcopis collata, irrita numquam fuerit jure divino, potest tamen dici eam irritam fuisse jure Ecclesiastico. Ergo ex eo quod Ecclesia aliquo tempore illam admiserit ut validam, non evincitur Confirmationem haereticorum ab Ecclesia semper habitam fuisse pro valida. P. A. Ecclesia prioribus saeculis, schisma et haeresim apposuit

K 3

ut impedimentum dirimens, quo ministri ab Ecclesiae communione praecisi, fierent ad hoc Sacramentum administrandum inhabiles; quod impedimentum dein aliquot abhinc saeculis sublatum est. Ergo. Resp. N. A. Ad *probat.* N. A. Adversariis incumbit ostendere, a quo Pontifice vel Concilio prioribus saeculis apposita, et a quo demum sublata fuerit haec inhabilitas. Praeterea talis inhabilitas ab Ecclesia apponi non potuit. Nam I. quamdiu Episcopus retinet perfectam et absolutam potestatem confirmandi, tamdiu valide confirmat adhibito ritu quem Christus instituit. Atqui Episcopus semper retinet characterem episcopalem, qui est potestas ordinandi et confirmandi. Ergo. II. Ecclesia eum tantum suscepti Ordinis usum invalidum reddere potest, ad quem requiritur jurisdictio quae non datur per ordinationem, sive ea jurisdictio, quam Ecclesia potest pro arbitrio concedere vel negare, et concessam revocare. At vero Episcopus ad confirmandum non indiget jurisdictione, sicut ea non indiget ad baptizandum, vel ad Eucharistiam conficiendam: ideoque Episcopus in aliena Dioecesi confirmans sine consensu Ordinarii illius loci, valide confirmat, quamvis illicite. III. Si jure Ecclesiastico ejusmodi inhabilitates contraherentur, Sacerdos postquam irregularitatem aliquam incurrit, non amplius valide posset consecrare. Atqui hoc falsum esse omnes Theologi sentiunt. Ergo P. M. Irregularitas est poena, qua Ecclesia, quantum potest, hominem reddit inhabilem ad usum susceptorum Ordinum. Ergo si hujusmodi inhabilitates jure Ecclesiastico inducerentur, Sacerdos irregularis valide non consecraret. Eadem objectio, cui subservit eadem responsio, formari potest contra valorem Ordinationum,

quae ab haereticis vel schismaticis Episcopis fiunt. Vide plura apud *Edmundum Simonnet* in Institut. Theolog. Tractatu XIII. de Confirmatione, Disp. II. Artic. III.

CLXXXVI. *Objicitur XIII.* contra III. Conclusionem, Authoritas Pontificum. S. Innocentius I. Epist. XVIII. ad Alexandrum Antiochenum, baptismum ab Arianis aliisque haereticis collatum pro valido habuit; Ordinationes vero ab iis factas, irritas esse pronuntiavit. *Quoniam*, inquit, *cum a Catholica fide eorum authores desciscerent, perfectionem Spiritus quam acceperant, amiserunt; nec dare ejus plenitudinem possunt, quae maxime in Ordinationibus operatur, quam per impietatis suae perfidiam potius quam per fidem, dixerim, perdiderunt.* Ergo cum Innocentius Ordinationes haereticorum opponat eorumdem baptismo, quem validum esse admittebat, hoc ipso censuit Ordinationes eorum esse invalidas. Idem S. Innocentius Epist. XXII. ad Episcopos Macedoniae scribit, *haereticos manus imponentes, nihil nisi vulnus infigere.* II. S. Gregorius M. Lib. III. Epist. XX. scribit: *Quam rem nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quae ab excommunicatis est hominibus celebrata.* R. N. A. S. Innocentius I. acceptam ab haereticis Ordinationem irritam esse pronuntiat quantum ad honorem Sacerdotio annexum, non vero quantum ad characterem et Ordinis potestatem. Arianos nimirum, aliosque haereticos Clericos, quamvis valide ab Episcopis haereticis ordinati fuerint, vult in Clericorum ordinem non esse recipiendos; sed ex veteris disciplinae rigore, etiam post reconciliationem, ad laicorum communionem esse redigendos: neque opponit haereticorum Ordinationem eorumdem baptismo quoad valorem, sed quoad aliquos

effectus secundarios. Baptizatus enim ab haereticis, posteaquam ad Ecclesiam Catholicam redierit, statim omnes fructus baptismi percipit, nimirum participationem precum et meritorum Ecclesiae, jus alia Sacramenta percipiendi etc. At vero ordinati ab haereticis non statim post reconciliationem suam omnes Sacerdotii honores consequuntur, nec omnia Ecclesiastica munia obire possunt; sed necessaria est restitutio in priorem gradum, et absolutio a suspensione quam incurrerant. Idem Innocentius affirmat, haereticos Episcopos manus imponentes nihil nisi vulnus infigere, de suo videlicet, atque iis qui sibi haeresis communione conjuncti sunt; non autem ratione habita Sacramenti, et operis Christi quod exequuntur. Ad II. Resp. S. Gregorium hic consecrationem sumere, non relate ad potestatem Ordinis, sed relate ad jus hac potestate utendi: nec aliud velle, quam per consecrationem ab excommunicatis Episcopis celebratam, non conferri jus exercendi potestatem Ordinis, quae per illam consecrationem datur. Unde relate ad jus ministrandi in Ordine per illam suscepto perinde se habet ac si celebrata non fuisset, donec impedimentum Canonicum tollatur per legitimam authoritatem.

CLXXXVII. *Dices I. Stephanus III.* in Concilio Romano A. 769. irritas judicavit Ordinationes Constantini, qui post mortem Pauli I. Romanam Sedem invaserat; jussit enim idem Concilium, ut siqui a Constantino ordinati a plebe et Clero postularentur, rursus a Stephano *Benedictionis consecrationem* acciperent: quod etiam factum esse testatur Anastasius Bibliotecarius. Resp. Ordinationes a Constantino factas, non fuisse a Romano Concilio judicatas irritas et nullas

quoad substantiam et characterem, sed tantum quoad exercitium et functiones Ordinum. Idem enim Romanum Concilium ratum habuit Sacramentum Confirmationis ab eodem Constantino datum ad quod tamen non minus quam ad Ordinationem valide faciendam requiritur vera Episcopalis consecratio. Idcirco vero Concilium ratum abhuit Sacramentum Confirmationis, Ordinationes vero Constantini rejecit, quod istae sint ad aliquas functiones destinatae, quas obire non possunt, qui illegitime sunt promoti; unde necesse est eos suis gradibus Ecclesiastico judicio restitui. Restitutionem porro hanc Concilium Romanum appellat *Sacramentum benedictionis*; sed hoc nomine nil aliud intelligit quam Sacramentale aliquod, seu ritum sacrum, quo antiquitus depositi et gradu suo dejecti, Pontificiae reconciliationis beneficio ad pristinos honores iterum promovebantur, et pristinos in gradus restituebantur. Ritum etiam illum *Consecrationem* appellavit Anastasius, quia cum Ordinum suorum insignia reciperent coram Altari, et benedictione Episcopi reconciliarentur, ac potestatem munia Ordinum obeundi quos illegitime susceperant, ejus indulgentia consequerentur, videbantur quasi de novo consecrari. Quae hic possent obiici de reordinatis a Stephano VII. quos Formosus ordinaverat, solvimus Tomo III. Num. CDLV.

CLXXXVIII. *Dices II.* De S. Leone IX. scribit S. Petrus Damianus Opusculo V. *Id etiam nos non praeterit, quod nostrae memoriae Leo IX. Papa plerosque Simoniacos et male promotos tamquam noviter ordinavit.* Et Opusculo VI. Cap. XXXV. ait, eumdem Leonem *Synodalis vigore authoritatis omnes Simonia-*

corum Ordinationes cassasse. Resp. novam hanc Ordinationem non consecratoriam et Sacramentalem, sed mere reconciliatoriam fuisse ex ipsius Petri Damiani verbis perspicuum est; non enim dicit, Simoniacos iterum ordinatos, sed *tamquam noviter* ordinatos fuisse. Quamvis itaque demus, Saeculo XI. et XII. non nullos dubitasse, an valida foret Ordinatio facta a Simoniaco ita ut nonnulli Episcopi a Simoniacis ordinatos denuo consecraverint; Leo tamen IX. dubius et anceps fuit tantum circa poenam imponendam iis, qui a Simoniacis fuissent ordinati; an nempe suspendendi in perpetuum forent a functionibus sui Ordinis absque ulla spe restitutionis. Sic esse suspendendos initio censuerat S. Leo IX., ideoque scribit S. Petrus Damianus, *eum cassasse omnes ejusmodi Simoniacorum Ordinationes*: postea tamen, eodem S. Damiano teste, sententiam suam temperavit, eosque tantum ab exercitio suorum Ordinum in perpetuum suspendit, qui Simoniace, data et accepta pecunia ordinati fuerant: eos vero qui a Simoniaco Episcopo non Simoniace fuerant ordinati, post quadraginta dierum poenitentiam Ordinis sui functionibus et exercitio restituit.

CLXXXIX. *Dices III.* Urbanus II. in Synodo Placentina A. 1095. Cap. VIII. ait: *Ordinationes, quae a Guiberto Haeresiarcha factae sunt, postquam ab Apostolicae memoriae Papa Gregorio* (VII.) *et a Romana Ecclesia damnatus est, irritas esse judicamus.* Innocentius II. A. 1139. in Lateranensi II. Can. XXX. sancivit: *Ordinationes factas a Petro Leonis* (seu Anacleto II. Antipapa) *et aliis Schismaticis et Haereticis, evacuamus, et irritas esse censemus.* Alexander III. A. 1179. in Lateranensi III. Oecumenico

Ordinationes Octaviani, seu Victoris IV. Antipapae his verbis damnavit: *Quod a praedecessore nostro felicis memoriae Innocentio factum est innovantes, Ordinationes ab Octaviano et Guidone Haeresiarchis, nec non et Joanne, qui eos secutus est, factas, et ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus.* Resp. Ordinationes ab invasoribus Romanae Sedis factas, irritas fuisse declaratas quantum ad gratiam Sacramentalem, et honores Ordini sacro adnexos, non quantum ad Ordinis potestatem et characterem. Nam I. Urbanus II. in eodem Placentino Concilio A. 1095. decennio post mortem S. Gregorii VII. invicti illius Ecclesiasticae libertatis propugnatoris, Cap. X. eos qui ab Episcopis Schismaticis consecrati fuerant, cum ad unitatem redirent, servatis propriis Ordinibus, misericorditer suscipi jussit, si essent vitae et doctrinae opinione spectabiles. II. Alexander III. in Lateranensi III. Oecumenico non paucos Germaniae Episcopos, qui partes Friderici Ahenobarbi Imp. secuti Octaviano adhaeserant, relicto schismate veniam suppliciter postulantes Ecclesiae reconciliavit, et sine nova Ordinatione ad sacri ministerii functiones ultro admisit.

CXC. Caeterum illud hic observo, quod prioribus saeculis, quando Clerici ab Episcopis haereticis, schismaticis, Simoniacis, aut depositis consecrati in pristinos gradus restituebantur, eorum reconciliatio specie tenus verae Ordinationi simillima fuerint; eaedem enim ferme usurpabantur caeremoniae, quas in Sacramentali Ordinatione observare solemne erat: manus videlicet imponebantur, invocabatur Spiritus Sanctus, atque Ordinum singulorum insignia coram altari ab Episcopo redeuntibus in gratiam redde-

bantur, si ille Sacerdos fuisset ita dicendo, ut constat ex Epist. XXV. *Fulberti Carnotensis*, Saec. XI. Scriptoris *Reddo tibi gradum Sacerdotii, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Tum benedictio addebatur: *Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super te, ut sis confirmatus in Ordine Sacerdotali, et offeras placabiles hostias Omnipotenti Deo, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.* Non ergo mirum est, quod haec reconciliandi caeremonia modo *Ordinatio nova*, modo *nova benedictio*, *sanctior ordinatio*, *ac consecratio* a Patribus appellatur; licet enim natura, virtute et efficacia a priori Ordinatione tantum discreparet, quantum a vero Sacramento simplex caeremonia differt; propter externam tamen similitudinem eodem utramque donari posse nomine intelligebant.

CXCI. *Objicitur XIV.* Authoritas Conciliorum. *Nicaeni* Patres in Epist. Synodica ad Alexandrinos scribunt: *illi vero, qui a Meletio* (Lycopoleos Episcopo schismatico) *in Sacrum Ordinem lecti sunt, simul atque sanctiore Ordinatione confirmati fuerint, ad communionem post haec admittantur, et permittatur illis quidem honoribus frui Sacerdotii, et sacris muneribus fungi.* Ergo Clerici illi denuo fuere ordinati, et quidem Ordinatione Sacramentali; quia Ordinatio quae a Patribus *Sanctior* appellatur, haud dubie fuit consecratoria. II. *CPolitanum I.* A. 381. Can. III. Ordinationem Maximi Cynici Philosophi, omnesque ab eo factas Ordinationes declaravit irritas. III. *Caesaraugustanum II.* A. 592. Can. I. statuit: *Id placuit sanctae et venerabili Synodo, ut Presbyteri, qui ex haeresi Ariana ad Sanctam Catholicam Ecclesiam con-*

versi sunt, qui sanctam et puram fidem, atque castissimam tenuerint vitam, acceptam denuo benedictionem Presbyterii sancte et pure ministrare debeant. Resp. N. C. Clerici illi jussi fuerunt ordinari Ordinatione reconciliatoria et caeremoniali, non vero consecratoria et Sacramentali. Neque obstant illa verba. *Simul atque sanctiori Ordinatione confirmati fuerint*; Ordinatio enim illa caeremonialis non vocatur sanctior priore Sacramentali ratione sui, sed ratione dispositionum, seu propter meliores dispositiones, quas ad illam, schismate ejurato, Meletiani Clerici afferebant. Ad II. Resp. *CPolitanum I.* Ordinationem Maximi, qui malis artibus CPolitanae Ecclesiae thronum conscenderat, aliasque ab eodem attentatas pro nullis habuit, quantum ad usum Ecclesiasticae potestatis, non quantum ad characterem et potestatem Ordinis ei necessario conjunctam. Ad III. Resp. Benedictionem illam mere caeremonialem fuisse, quam Arianos Presbyteros ad Ecclesiam revertentes accipere, jubent ab Episcopo Catholico Caesaraugustani Patres.

CXCII. *Dices I. CPolitanum IV.* Oecumenicum A. 869. Act. X. Can. IV. Ordinationem *Photii* CPolitanae Sedis invasoris, omnesque ab eo factas Ordinationes declaravit irritas: *Photium, qui mille tumultibus et perturbationibus Orbem terrae replevit, justo decreto damnamus, promulgantes numquam fuisse prius aut nunc esse Episcopum, nec eos qui in aliquo Sacerdotali gradu ab eo consecrati vel promoti sunt, manere in eo ad quod provecti sunt. - - Sed et Ecclesias, quas, ut putatur, tam Photius quam ii qui ab ipso consecrati sunt dedicaverunt, rursus dedicari decernimus, omnibus maxime, quae in ipso, et ab*

ipso ad Sacerdotalis gradus acceptationem vel damnationem acta sunt, in interitum ductis. Et Hadrianus II. in Epist. ad S. Ignatium CPolitanum de eodem Photio scribit: *Photius vir forensis, curialis, neophytus, invasor atque adulter, nec non et anathemate condemnatus existens, nihil habuit, nihil dedit, nisi forte damnationem habuit, quam se sequentibus propinaverit.* Resp. Ordinationem Photii a Gregorio Syracusano Episcopo excommunicato attentatam, aliasque ab ipso Photio factas CPolitani Patres damnarunt ut illicitas et irritas quantum ad exercitium dati et suscepti Ordinis, non quantum ad substantiam seu potestatem Ordinis. Nam I. in Photium et ab eo ordinatos jam ante Oecumenicum Concilium CPolitanum IV. lata fuerat a Romano Pontifice sententia depositionis, ut patet ex Epist. VII. *S. Nicolai I.* ad Michaëlem Imp. At non deponuntur, nisi valide ordinati. II. *Joannes VIII.* precibus *Basilii* Imp. fatigatus, consentientibus Ecclesiis Patriarchalibus, Alexandrina, Antiochena, ac Jerosolymitana, post mortem S. Ignatii CPolitani Patriarchae, Photium supplicem pro bono pacis statuit restituendum esse: neque tamen eum, aut ab illo consecratos iterum ordinatos fuisse legimus. Ergo Ordinatio Photii, et quas ipse attentavit, fuerunt validae quoad substantiam et potestatem Ordinis; alias reddi non potuissent validae per subsequentem Summi Pontificis dispensationem, quia tractu temporis non convalescit quod ab initio fuit invalidum, ut commune habet axioma. Neque obstat, quod ibidem dicatur, Photium nusquam fuisse Episcopum, rursusque jussae fuerint consecrari Ecclesiae, quas Photius atque ab ipso ordinati consecraverant. Episcopus enim

umquam fuisse negatur, id est, non legitime ac licite ordinatus asseritur, qui consequenter se Episcopum gerere non debuit, nec functiones Episcopales, a quibus suspensus erat, exercere. Verbo, eo fere modo dicitur non Episcopus, quo a Synodo quadam Occidentali, ut refertur in Epist. Synodica Concilii CPolitani IV. ad Hadrianum II. dicitur non esse Christianus; quia nimirum licet Photius characterem Baptismi haberet, ambitione tamen sua Ecclesiam Christi perturbabat. Consecrationem Templorum quod attinet, ea est tantum juris Ecclesiastici, adeoque jubente Ecclesia, potest iterari: contra vero consecratio Ministrorum Ecclesiae est juris divini, et characterem imprimit, qui Ecclesiae legibus non subiacet. *Adrianus II.* ait Photium nihil habuisse, nimirum nihil legitimae Ordinationis, quia ipse erat invasor, atque ab excommunicato ordinatus: nihil gratiae quia ipse erat sacrilegus; ideoque a se ordinatis, ac sceleri suo consentientibus nihil gratiae ac legitimae potestatis dedisse. At vero characterem Sacerdotalem vel Episcopalem, quo fuerat insignitus, aliis infigere potuit, ac re vera infixit.

CXCIII. *Dices II. Suessionense II.* A. 853. Ordinationes ab Ebbone Rhemensi factas post suam depositionem, ut irritas damnavit. Dicitur enim Actione V. *Canonica et Apostolica authoritate decretum est a Sanctissima Synodo, ut quidquid in Ordinationibus Ecclesiasticis idem Ebbo post damnationem suam egerat, secundum Traditionem Apostolicae Sedis - - - praeter sacrum Baptisma, quod in nomine Sanctissimae Trinitatis perfectum est, irritum et vacuum habeatur.* Resp. In hoc toto Ebbonis et Clericorum ab ipso ordinatorum

negotio actum dumtaxat fuisse de functione, executione et exercitio, non autem de substantia ipsa dati et suscepti Ordinis. Nam I. Clericos ab Ebbone ordinatos tantum pro suspensis habitos fuisse a Suessionensi II. Synodo, satis innuunt ipsimet Clerici Act. I. ita loquentes: *Misericordiam petimus nobis a vestra Paternitate impendi de ministratione Ordinum Ecclesiasticorum ad quos a Domno Ebbone quondam provecti, vestra autem authoritate suspensi sumus.* Atqui nemo suspenditur ab Ordinis executione, nisi qui vere Ordinem habet. II. Consecrati ab Ebbone ad suorum Ordinum functiones, absque nova consecratione, a S. Nicolao I. ejusque successore Hadriano II. consentientibus Galliarum Episcopis, illis etiam qui Suessionensi Synodo interfuerant, sunt restituti. III. Ipse Ebbo e Gallia profugus Hildesiensem Episcopatum vacantem in Saxonia a Ludovico Germaniae Rege obtinuit, ubi authoritate cujusdam Privilegii sibi a Gregorio IV. olim collati, sine nova Ordinatione, Episcopali ministerio ad obitum usque perfunctus est.

APPENDIX

AD CONTROVERSIAM VII.

DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS.

CXCIV,

Quaeres, quid de Anglicanis Episcoporum Ordinationibus, factis juxta ritum Eduardi VI. approbatum ab Anglicana Synodo Londinensi A. 1562. sentiendum sit? Antequam respondeam, exponendus est necessario harum Ordinationum ritus. I. Archiepiscopus consecrans loco Bullarum Summi Pontificis mandatum regium de consecratione Episcopi electi produci et publice recitari jubet. II. Juramentum ab electo Episcopo exigit de suprema Regis potestate spirituali in rebus Ecclesiasticis agnoscenda. III. Electum interrogat: *An tibi persuasum habes, te ad hanc administrationem vere vocatum esse, juxta voluntatem Domini nostri Jesu Christi, et constitutionem hujus regni?* Haec vero Constitutio, authoritate Parlamenti firmata, praecipit ut abjecta Pontificis Romani authoritate, et excussa quae Ecclesiae Catholicae debetur obedientia, illi omnes errores propugnentur, qui in professione fidei recentioris Ecclesiae Anglicanae continentur. IV. Quaerit dein ab Electo; *Numquid persuasum habes, Sacras Scripturas sufficienter ad salutem requiri? Itaque statuis per easdem Sacras Scripturas populum fidei tuae commissum instruere, nihil praeterea docendo vel adstruendo tamquam ad salutem necessarium, quod per easdem credas confirmari vel demonstrari non posse?* Quibus verbis Traditiones omnes tamquam inutiles rejiciendas esse significatur. V.

Consecrator pergit Electum interrogare: *Num paratus es fidelem et diligentem operam impendere ad exterminandam et extirpandam quamcunque peregrinam, erroneam, Verboque divino contrariam doctrinam, aliosque tam privatim quam publice ad idem faciendum provocare atque excitare?* Electus respondet: *Etiam ad hoc praestandum paratus sum, divino confisus auxilio.* Quaenam autem sit peregrina et erronea, ad quam extirpandam se paratum esse Electus profitetur, doctrina, Leges Regni Anglicani satis indicant, quibus Romana fides proscribitur. VI. Postquam Electus Ad haec omnia affirmative respondit, Consecrator Episcopus impositis super illum manibus formam Ordinationis his verbis pronuntiat: *Deus Omnipotens, Pater noster coelestis, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat insuper vires ac facultatem ad HAEC efficaciter praestanda, ut opus istud suum quod incoepit in te, absolvat, teque integrum ac inculpabilem inveniat in illo supremo die, per Jesum Christum Dominum nostrum.*

CXCV. His praemissis, Resp. Ordinationes illas non modo illicitas, verum etiam umbraticas, irritas, atque omnino invalidas esse. Veritatem assertionis, praetermissis caeteris, unico eoque palmari ostendimus argumento. Certum est Ordinationem illam omnino esse invalidam, in qua non adhibetur forma vel a Christo, vel saltem ab universali Ecclesia praescripta; sed alia quaedam, cujus sensus directe contrarius est sensui quem Ecclesia intendit. Atqui talis est forma Ordinationum Anglicanarum juxta Rituale Eduardi VI. Ergo. Prob. min. Forma illa, quamvis praecise et absoluto considerata nullum errorem contineat; ex adiunctis tamen circumstantiis, et relativo ad ea quae praecedunt

interrogata et responsa, est manifeste haeretica. Verba enim illa, *Deus Omnipotens concedat insuper vires ac facultatem ad HAEC efficaciter praestanda.* attentis praecedentibus immediate interrogatis, alium sensum habere nequeunt quam hunc: Deus concedat tibi vires et facultatem ad propugnandum Primatum Regis in Spiritualibus, ad proterendam Sedis Apostolicae authoritatem, ad impugnandas Traditiones, ad conculcandam doctrinam Ecclesiae Romanae, atque ad asserendos Novatorum errores. Atqui hic sensus est manifeste haereticus, et contrarius sensui quem vera Ecclesie Christi intendit. Ergo Ordinationes illae Anglicanae sunt omnino invalidae. Assertioni nostrae aperte suffragatur usus ac praxis Ecclesiae Romanae, quae ritu Eduardi VI. ordinatos Episcopos vel Presbyteros Anglos, cum ad sinum suum ac centrum Catholicae unitatis redeunt, si digni habeantur ut in Clero admittantur, iterum jubet ordinari juxta formam in Romano Rituali praescriptam.

CXCVI. Alio etiam argumento quod ad quaestionem facti pertinet, evincitur Ordinationes Anglicanas invalidas esse. Certum est Ordinationis Episcopalis Ministrum alium esse non posse quam Episcopum valide ordinatum. Atqui *Matthaeus Parkerus*, qui origo seu caput est omnium Episcoporum Anglorum post praetensam reformationem, Cantuariensis Archiepiscopus ordinatus est juxta ritum Eduardi VI. a Scorio, vel Barlovio monachis apostatis, mense Septembri A. 1559, quo tempore certum est eos simplices fuisse Presbyteros, et neutiquam Episcopos ritu Anglicano, ac multo minus Romano consecratos. Ergo Parkeri ordinatio fuit invalida, deficiente idoneo illius ministro: ideoque Parkerus characterem Episcopalem nemini infigere potuit, quo

ipse carebat. Ergo cum omnes Episcopi Anglicani vel a Parkero, vel ab ordinatis ab illo fuerint inaugurati, defecit in Anglia jam a duobus ferme saeculis Episcopatus, ab Apostolis continua successione derivatus. Prob. min. I. Constat ex ipsis Scriptoribus Anglis illius aevi, Episcopos omnes Catholicos qui temporibus Elisabethae Reginae in Anglia versabantur, stabiles in fide Romana permansisse; neque ut Schismaticis Episcopis manus imponerent umquam adduci potuisse. Unus dumtaxat *Antonius Landavensis* operam ad id suam promiserat; sed a *Bonero* Londinensi Episcopo deterritus mutavit mentem, et quae paulo ante pollicitus erat, coram regiis ministris facturum se negavit. II. *Champney* Catholicus Anglus et Doctor Sorbonicus in Lib. de Vocatione Ministrorum, quem A. 1618. juris publici fecit, Cap. XIV. pag. 497. narrat, *Parkerum* a Scorio Monacho apostata compendiario ritu fuisse ordinatum. Is enim, genua flectente Parkero, Sacra Biblia capiti ejus imponens dixit: *Accipe potestatem Verbum Dei sincere praedicandi.* III. *Bonerus* Episcopus Catholicus Londinensis A. 1564. publico scripto ab Anglis edoceri petierat, quinam Episcopus Catholicus Parkero manus imposuerit; sed frustra fuit. Tandem post quinquaginta annorum silentium, A. 1614 in lucem prodiit confictus liber Actuum publicorum ex scriniis Cantabrigiensibus, in quo narrabatur Parkerum ab Episcopis Catholicis fuisse ordinatum. Vide plura apud *Lequien* et *Harduinum* in Dissertat. adversus Courayerium, *Boucat* in Theologia Patrum Tomo VIII. Dissert. I. de Sacris Caeremon. Artic. III. Paragr. III. *Tournely* de Sacram. Ordinis, Quaest. II. Artic. II.

CONTROVERSIA VIII.

AN AD VALOREM ET LICENTIAM SACRAMENTORUM REQUIRATUR PROBITAS MINISTRI?

Contra Donatistas, Waldenses, Wickleffum, Hussum.

CXCVII.

Initio Saeculi IV. errorem rebaptizantium amplificarunt *Donatistae*, sic dicti a Donato Casarum nigrarum in Numidia, vel ab alio Donato Carthaginensi Episcopo, qui Majorino a Schismaticis suffectus fuit. Ut enim sub aliqua pietatis specie rejicerent Consecrationem Caeciliani in Episcopum Carthaginensem a Felice Aptungitano sacrorum librorum, ut ipsi falso criminabantur, traditore factam docuerunt nulla prorsus et irrita esse Sacramenta, quae vel haeretici extra Ecclesiam, vel improbi fideles in sinu Ecclesiae contulissent. Ac primo quidem etiam occultos peccatores a valida Sacramentorum administratione excludebant, ut refert *Augustinus* Lib. II. contra Cresconium, Cap. XXVIII: tum vero argumentis Catholicorum oppressi, facta distinctione publici et occulti peccatoris, ab occulto dumtaxat, non a publico peccatore data Sacramenta probavere. Saeculo XII. sopitum Donatismum denuo excitarunt *Waldenses*, seu Pauperes de Lugduno, Petri Waldonis Lugdunensis mercatoris asseclae, Africanis Donatistis in hoc deteriores, quod cum hi functiones sacras Sacerdotio reservarint, isti suae sectae homini-

bus laicis attribuerint: in eo tantum pares, quod Sacramentorum vim et efficaciam a Ministri probitate pendere voluerint. Saeculo XIV. eumdem professus est errorem *Joannes Wichleffus*, ut patet ex ejus Articulo IV. inter damnatos a Constantiensi Concilio: *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non baptizat, non conficit.* Uti erroris ita et damnationis socium habuit Joannem Hus Bohemum, cujus celebris est Articulus ordine XXX. inter proscriptos a Constantiensi: *Nullus est Dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.*

CXCVIII. *Conclusio I.* Ad valorem Sacramenti non requiritur probitas Ministri. Conclusionis hujus veritas satis ostenditur illis rationum momentis, quae praecedente Controversia allata sunt. Si enim valent Sacramenta ab haereticis et schismaticis collata, multo magis valebunt collata ab improbis Catholicis. Prob. tamen ulterius Conclusio haec dogmatica I. Authoritate Patrum. S. Gregorius Naz. Orat. XL. in Sanctum Baptisma ait: *Omnes qui baptizandi munere funguntur, idonei habentur; quamvis enim alius alii probitate vitae antecellat, eadem tamen baptismi vis est.* S. Chrysostomus Hom. VIII. in I. ad Cor. *Contingit quidem laicos pie vitam agere, male autem et improbe Sacerdotes: unde neque futurum esset baptisma, nec corpus Christi, nec oblatio per illos, si ubique dignitatem ac merita requireret gratia: Atqui etiam per indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quidquam laeditur vita Sacerdotis.* S. Augustinus Tract. V. in Joan. *Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit*

malus minister, ubi bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus praeco, si est benevolus Judex? Et versus finem: *Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat.* S. Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. LXXI. *Non potest aliquis quamtumcunque pollutus sit, Sacramenta divina polluere, quae purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Non potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscunque Sacerdos sit, quae Sancta sunt coninquinare non potest.*

CXCIX. *Prob. II.* Authoritate Conciliorum. *Constantiense* proscripsit Articulum IV. Wickleffi et XXX. Joannis Hus superius a nobis exhibitos, ratam habente Concilii sententiam Martino V. Tridentinum Sess. VII. Can. XII. definit: *Siquis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit.* Accedit perpetua traditio et praxis Ecclesiae, quae numquam Sacramenta a peccatoribus collata iteravit.

CC. *Prob. III.* Ratione Theologica. I. est quam suggerit S. Thomas III. Parte, Quaest. LXIV. Artic. V. *Dicendum, quod ministri Ecclesiae instrumentaliter operantur in Sacramentis, eoquod quodammodo eadem ratio est ministri et instrumenti. Sicut autem supra dictum est, instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem ejus a quo movetur. Et ideo accidit instrumento in quantum est instrumentum, qualemcunque formam vel*

virtutem habeat praeter id quod exigitur ad rationem instrumenti: sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum: et sicut fistula per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Unde ministri Ecclesiae possunt Sacramenta conferre, etiamsi sint mali. II. saepissime inculcat *S. Augustinus* in suis Libris contra Donatistas. Si Sacramenta a ministrorum qualitate penderent, ita ut data a bonis sint bona, mala vero a malis data, tanta foret in accipientibus varietas baptismorum, quanta in ministrantibus varietas meritorum. Si enim bonus dat bonum quod habet; ita qui melior fuerit, melius aliquid communicabit. III. ratio est. Christus instituit Sacramenta in bonum et utilitatem suscipientium. Ergo valorem Sacramenti noluit pendere a probitate ministri. P. C. Si peccatum mortale praesertim occultum obstaret valori Sacramentorum, Sacramenta forent saepissime incerta, immo nulla propter improbitatem ministrorum: ac plurimis vel ex eo capite dubitandum foret de valore sui Baptismi, ac Confessionum. Atqui hoc alienum est a suavi Dei providentia qua Ecclesiam gubernat, valorem Sacramentorum alligare conditioni adeo periculosae, vi cujus Sacramenta, citra omnem culpam suscipientium, saepissime frustrarentur suo fructu, et fideles innumeris anxietatibus torquerentur.

CCI. *Conclusio II.* ad licentiam Sacramenti requiritur probitas Ministri. Sive, ut Minister licite conficiat Sacramentum, debet esse in statu gratiae, saltem per se loquendo. Dixi, *saltem per se loquendo*, quia minister in statu peccati mortalis Sacramentum conficiens a culpa excusari potest per ac-

cidens, I. ob ignorantiam invincibilem sui status. II. Propter repentinam necessitatem quam praevidere non potuit, ita urgentem, ut ipsi non relinquatur spatium se reconciliandi cum Deo, ut v. g. si periculum sit, ne parvulus ante baptismum moriatur, nisi statim administretur hoc Sacramentum. Sacramenta quippe propter animas sunt instituta, et salus animarum merito praeponitur reverentiae Sacramentis alias debitae: immo non intervenit hic aliqua irreverentia: sicut in politicis non censetur irreverentia, si v. g. famulus necessitate ita postulante in Regem impingat, ut Principem filium morti eripiat.

CCII. *Prob.* itaque Conclusio sic limitata I. Authoritate Scripturarum. Exodi Cap. XIX. dicitur: *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Et Levitici Cap. XXI. *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini; et panes Dei sui offerunt, et ideo Sancti erunt.* Quae verba Patres intelligunt non tantum de sanctitate et munditia externa ac legali, verum etiam de interiori. Ergo cum nostra Mysteria longe sacratiora et augustiora sint legalibus veteris Testamenti, eadem saltem, immo longe major interna munditiės exigitur a ministris novi Testamenti. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Augustinus Enarrat. I. in Psal. CIII. scribit: *Videant qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur.* Tract. V. in Joan. *Ego dico, et omnes dicimus, quia justos esse oportet tanti Judicis ministros.* Et Lib. II. contra Epist. Parmeniani, Cap. X. *Omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* S. Gregorius M. Lib. I. Epist. XXV.

alias XXIV. *Necesse est, ut munda sit manus; quae diluere sordes curat. — — Scriptum namque est: Mundamini, qui fertis vasa Domini.* S. Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. LXXI. *Mali bona ministrando se tantum laedunt: et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum praestat, aliis vero lumen in tenebris administrat; et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium praebet.* S. Bernardus Lib. de Convers. ad Clericos, Cap. X. *Vae ministris infidelibus, qui necdum reconciliati reconciliationis alienae negotia apprehendunt.* Prob. III. Authoritate S. Thomae III. Parte, Quaest. LXIV. Artic. VI. *Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione Sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.* Doctori Angelico consentiunt Theologi omnes, et Ritualia. Romanum jussu Pauli V. editum, ita habet: *Sacerdos si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit,) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere.*

CCIII. Caeterum ratio, ob quam Minister in statu peccati mortalis Sacramenta administrans gravis erga Deum irreverentiae reus esse censetur, triplex assignari potest. I. est ex parte Christi. Minister Sacramentum conficiens immediate repraesentat Christum cujus personam sustinet, et cum eo unum agens totale constituit, cum agat nomine et authoritate Christi. Ergo inimicus Dei et servus diaboli sustinere praesumens tam sanctam personam in perficienda hominis

sanctificatione, gravem Christo irreverentiam irrogat. II. ex parte Sacramenti. Sacramenta sunt res infinitae dignitatis et excellentiae, eoquod moraliter contineant merita et sanguinem Christi: confectio autem Sacramenti est talis actio, qua post opus Incarnationis nulla est nobilior, eoquod per illam minister immediate cooperetur Deo in salutem animarum, et immediate fructum Passionis dominicae iisdem applicet. Atqui res tantas tractari, ac tales actiones ab homine poni in statu peccati mortalis gravis est irreverentia. III. ex parte Ministri. Minister consecratus per ipsam sui consecrationem, aut deputationem Ecclesiae voluntarie suscipit munus conficiendi et conferendi Sacramenta. Ergo specialem contrahit obligationem gravem et proportionatam materiae illud munus digne obeundi. Sed existens in peccato mortali tantum munus digne non obit, eoquod res sanctissimas indigne tractet. Ergo transgreditur obligationem gravem, adeoque minister in statu peccati mortalis non potest licite conficere Sacramenta.

CCIV. *Quaeres I.* An graviter peccet Minister improbus et peccator, quando Sacramentum conficit ex officio quidem, sed ritu non solemni, v. g. Sacerdos aut Diaconus moribundum infantem baptizans omissis caeremoniis baptismi? Resp. probabilius affirmative. Prob. assertio. Ex una parte authoritas sacra, quam Conclusione II. adduximus, loquitur indefinite, nec distinguit inter confectionem Sacramenti solemnem et non solemnem: ex altera parte eadem urget ratio; non enim solae caeremoniae, quae sunt accidentales circumstantiae, exigunt Ministri sanctitatem, sed praecipue ipsa Sacramenti substantia. Ergo.

CCV. *Quaeres II.* An per se peccet graviter qui in statu peccati mortalis administrat Sacramentum, etsi non sit minister specialiter deputatus, v. g. laicus in casu necessitatis baptizans infantem? Resp. iterum affirmative. Prob. assertio I. Obligatio, qua ministri consecrati vel deputati tenentur Sacramentum conficere in statu gratiae, oritur ex eo juris naturalis principio, *Sancta sancte tractanda sunt*, in quo fundantur Decreta Conciliorum et Pontificum in hac materia. Ergo eadem obligatione stringuntur omnes, adeoque etiam ministri non deputati. II. Etiam laici baptizantes sunt vere ministri Sacramenti: unde tam vere dispensant merita et sanguinem Christi, tamque immediate Christum repraesentant, ejusque personam sustinent, ac cum Christo fiunt una causa particularis totalis sanctificationis quae confertur per Sacramentum, ac Sacerdos solemniter et ex officio baptizans.

CCVI. *Quaeres III.* An peccet graviter Sacerdos vel Diaconus, qui Eucharistiam prius jam confectam populo distribuit peccati mortalis sibi conscius? Resp. probabilius affirmative. Prob. assertio. Quamvis Sacerdos distribuendo tantum hostias consecratas proprie non sanctificet suscipientem, sed praecise moveat atque applicet Sacramentum; immediate tamen repraesentat Christum, cujus est oves suas propria carne et sanguine pascere, ejusque personam sustinet in munere sanctissimo. Ergo munus illud exercendo cum reatu mortalis peccati gravissimam Christo injuriam irrogat. Profecto minister hic Judae Iscarioti comparandus videtur, qui Christum omnis sanctitatis fontem manibus peccati sorde pullutus tractavit, atque osculo Filium Dei tradidit. Ex hac ipsa ratione consequitur, Sacerdotem si-

bi conscium peccati mortalis graviter delinquere tangendo, elevando hostiam, aut cum ea populo benedicendo; quia in re gravi et valde sancta exhibet se ministrum Ecclesiae, et Christum sanctioris foederis Arcam impuris manibus contrectat, quod peculiarem omnino irreverentiam includit Sanctissimae Christi Humanitati exhibitam.

CCVII. *Quaeres IV.* An Episcopus in statu peccati mortalis consecrans chrisma, benedicens oleum infirmorum, templa, altaria, vestes, vasa sacra: item Concionator ex officio praedicans verbum Dei, et Diaconus solemniter ad aram ministrans in statu peccati mortalis, graviter peccent? Resp. probabilius negative. Prob. assertio. Hae actiones, quamvis aliquo modo sint sacrae, per se tamen non immediate sanctificant, neque continent vim ac dignitatem meritorum Christi, nec ponuntur nomine Christi, saltem ut Sancti et sanctificantis alios: neque delinquunt contra reverentiam Sanctissimae Christi Humanitati peculiariter debitam. Ergo Ministri actiones illas in statu peccati mortalis ponendo, non censendi sunt graviter peccare. Neque obstat, quod chrisma sit materia et pars Sacramenti Confirmationis; est enim materia tantum remota, neque actu est pars illius, neque causat gratiam sanctificantem, nisi dum actu applicatur. Hinc Episcopus illud consecrans non potest dici conficere Sacramentum.

OBJECTIONES.

CCVIII. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. *Ecclesiastici* Cap. XXXIV. v. 4. dicitur: *Ab immundo quis mundabitur?* Atqui pec-

eator est immundus. Ergo a peccatore nullus mundatur. II. Eodem Cap. *Eccles.* v. 30. dicitur : *Qui baptizatur a mortuo , et iterum tangit eum , quid proficit lavatio illius ?* At qui baptizatur a peccatore , baptizatur a mortuo. Ergo. III. Psal. CXL. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Ergo rejicienda est unctio Sacramentalis a peccatoribus facta. IV. Matth. Cap. VII. *Arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit.* Sed peccator est mala arbor, Sacramentum vero fructus bonus: Ergo peccator non facit Sacramentum. V. *Joan.* Cap. IX. *Scimus autem quia peccatores Deus non audit.* Ergo peccator Sacramenta conficiens frustra Deum invocat. VI. *Jeremias* Cap. III. de Ministris Legis Evangelicae sic nomine Dei vaticinatur: *Dabo vobis pastores juxta cor meum.* Ergo in Ministris Evangelicis requiritur probitas. Resp. ad I. Agi ibi de somniis, auguriis et visionibus a daemone immissis, quibus incauti et imprudentes fidem adhibent. Porro haec somnia cum sint mendacia, verum docere non possunt; quemadmodum immundus res alias mundare nequit. Quod si in sensu non litterali locum hunc intelligere placeat, aio, neminem mundari ab immundo qui agit proprio nomine et virtute: at mundari posse aliquem ab immundo qui agit nomine Christi et Ecclesiae. Ad II. Resp. litteralem horum verborum sensum esse, eum qui post contrectatum hominis mortui cadaver, unde legalem immunditiam contraxerat , lavatur, nihil ex ea lotione lucrari, si iterum cadaver illud contrectet. Quod si ad praesentem materiam hic locus transferatur, Resp. cum *S. Augustino* Lib. II. contra litteras Petiliani Cap. VII. eum qui ab impio ministro baptizatur, non baptizari

a mortuo; quia baptizatur baptismo Christi viventis, qui est principalis minister sui Sacramenti. Ad III. Resp. male iterum hunc locum praesenti materiae applicari: ibi enim est sermo de adulationibus peccatorum, quibus se justus a virtutis tramite abduci non patitur, ut manifestum est ex contextu. *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Ad IV. Resp. Arbor mala non potest bonos fructus facere virtute propria; potest tamen virtute aliena, et tamquam causa instrumentalis. Praeterea proprie loquendo minister malus Sacramenta administrans, est arbor bona, quia ex virtute Christi in Sacramentis operatur. Ad V. Resp. Deus quidem non audit peccatores ad patranda miracula in confirmationem erroris aut falsae sanctitatis; audit vero illos quando Sacramenta perficiunt, et Christi authoritate peccata remittunt. *S. Augustinus* Lib. II. contra Epist. Parmeniani, Cap. VIII. observat, haec verba non esse ipsius Christi, sed coeci nati, quem Christus sanavit. Ad VI. C. A. D. C. Ergo in Ministris Evangelicis requiritur probitas, necessitate convenientiae ac decentiae, ne illi in sui perniciem exerceant Dei ministerium, C. Conseq. Necessitate Sacramenti, adeo ut hoc sit nullum, si a ministro malo conficiatur, N. Conseq.

CCIX. *Objicitur II.* Authoritas S. Hieronymi, qui Comment. in Sophoniam, Cap. III. scribit: *Sacerdotes quoque qui Eucharistiae serviunt, et sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam; et necessariam esse tantum solemnem orationem, et non Sacerdotum merita.* Ergo juxta

Hieronymum Minister malus saltem Eucharistiam conficere nequit. Resp. C. A. N. C. Ut enim observat S. *Thomas* III. Parte, Quaest. LXXXII. Artic. V. ad. I. *Dicendum, quod Hieronymus per illa verba improbat errorem Sacerdotum, qui credebant se digne posse. Eucharistiam consecrare ex hoc solo, quod sunt Sacerdotes, etiamsi sint peccatores.* Quare S. Hieronymus loco citato requiri docet in Eucharistiae ministro vitae sanctitatem, non ad Sacramenti confectionem et valorem, sed ad Sacramenti fructum et effectum consequendum. Alludit enim ad litteralem significationem nominis Eucharistiae, quod gratiarum actionem significat, aitque ad illam ex parte Sacerdotis legitimam gratiarum actionem, praeter solemnia verba quibus Christi corpus consecratur, requiri etiam morum probitatem, ne Sacerdotes impie vivendo Deo insultare magis quam gratias agere videantur.

CCX. *Objicitur III.* Ratio. Ad Sacramentum rite conficiendum requiritur intentio Christi et Ecclesiae. Atqui intentio Christi et Ecclesiae es, ut Ministri pura conscientia Mysteria peragant. Ergo. II. Si improbi ministri valide Sacramenta conficerent, sequeretur illa esse mala. Atqui id dici nequit. Ergo. P. M. Sacramentum est actio ministri illud conficientis. Sed illa actio improbi ministri est mala. Ergo ipsum Sacramentum esse malum. III. Melius est percipere Sacramentum a bono quam a malo ministro. Ergo valor Sacramentorum pendet a probitate ministri. Resp. D. M. Requiritur ea Christi et Ecclesiae intentio, quae terminatur ad substantiam actionis, seu intentio faciendi quod facit Ecclesia, C. M. Quae terminatur ad modum actionis, N. M. Et D. min. intentio Christi et Eccle-

siae quoad substantiam est, ut ministri purà conscientia Mysteria peragant, N. min. Illa intentio est quoad modum, subdist. Ita tamen ut ab hac intentione quoad modum dependeat valor Sacramenti, N. min. Ut non dependeat, C. min. et N. Conseq. Ad II. N. M. Ad *probat.* Trans. M. D. min. Actio mali ministri est mala in genere moris, hoc ipso quod minister malus peccet Sacramenta indigne perficiendo, C. min. Est mala in genere entis, seu Sacramenti quod Christus per suum ministrum conficit, N. min. et Conseq. Ad III. D. A. Melius est, quantum ad aliquid accessorium et extrinsecum Sacramento, nimirum propter exemplum imitationis, et gratiam non Sacramentalem, quam ministri devotio potest suscipienti impetrare, C. A. Melius est quantum ad aliquid substantiale ac intrinsecum, nimirum quantum ad gratiam Sacramentalem, N. A. et Conseq. Gratia Sacramentalis non confertur pro mensura dispositionis ministri, sed illius tantum qui Sacramentum suscipit.

CCXI. *Objicitur IV.* contra II. Conclusionem, Paritas. Ad licitam Sacramenti susceptionem non requiritur universim status gratiae, ut patet in Sacramentis mortuorum, nempe Baptismi et Poenitentiae. Ergo neque requiritur ad licitam ejus administrationem. II. Subditus rebellis non censetur fieri reus novae rebellionis, si rebellem alium accedat, eique persuadeat ut Regi se submittat. Ergo etiam Sacerdos non est novi peccati arguendus, si in statu peccati mortalis alios per Baptismum vel Poenitentiam Deo reconciliet. III. Qui in statu peccati mortalis excercet aliquod opus misericordiae et charitatis, non ideo peccat graviter; quamvis etiam opera charitatis sint res aliqua

sacra et meritoria. Ergo a pari. Resp. I. Ergo bene omnino ac praeclare agunt ministri mali Sacramenta administrando, sicut bene agunt, qui in statu peccati mortalis constituti Baptismi aut Poenitentiae Sacramenta suscipiunt? Resp. II. C. A. N. C. Sacramenta mortuorum eum in finem sunt institnta, ut suscipientem, non vero ministrantem restituant in statum gratiae: unde cum suscipiens Sacramenta mortuorum eo ipso momento quo Sacramentum perficitur, constituatur in statu gratiae, Sacramentum non tractat indigne. Ad II. N. C. Actio illa subditi rebellis eam sanctitatem gravitatemque non continet, ut positive dedeceat eamdem peragi a rebelli, qui hac ipsa actione Regi suo praestat obsequium: unde in illa actione subditi rebellis nihil apparet, quod Rex merito possit reprehendere. At vero malus minister exhibet personam ipsius Christi, ac tremenda mysteria indigne tractat, ideoque injuriam Deo irrogat gravissimam. Ad III. N. C. Disparitatem assignat S. Thomas III. Parte, Quaest. LXIV. Artic. VI. ad I. *Opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad justitiae sanctitatem, sicut quaedam justitiae partes: et ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit justus, amplius sanctificatur; si vero sit peccator per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed Sacramenta in se ipsis sanctificationem quamdam habent per mysticam consecrationem, et ideo praeexigitur in ministro sanctitas justitiae, ut congruat suo ministerio.*

CONTROVERSIA IX.

AN ECCLESIA HABEAT POTESTATEM INSTITUENDI CAEREMONIAS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM?

Contra Protestantes.

CCXII.

Caeremonia *sacra* in genere, est actus externus Religionis, qui ad honorem Dei, ornatum et pompam cultus divini, Sacramentorum dignitatem ac reverentiam, et ad hominum utilitatem refertur. Quae in administratione Sacramentorum adhibentur, proprie ac stricte *Sacramentalia* vocantur, suntque exteriores actiones religiosae ad ornatum et cultum debitum Sacramentorum, seu Sacrificii institutae. Caeterum generatim omnes Sacramentorum caeremoniae vel praecedunt, vel comitantur, vel subsequuntur solemnem Sacramentorum administrationem. Quae praecedunt, ad gratiam praeparant; quae comitantur, eam clarius exprimunt, ac quasi oculis subjiciunt: denique quae subsequuntur, in ea jam percepta hominem magis confirmant.

CCXIII. Etiam extra solemnem Sacramentorum administrationem piae quaedam caeremoniae in Ecclesia Catholica observantur, quae etiam *Sacramentalia* in sensu latiori vocantur, vulgari illo versiculo expressa. *Orans*, *tinctus*, *edens*, *confessus*, *dans*, *benedicens*. *Orans*, significat orationem Dominicam, aut alias preces ab Ecclesia praescriptas, seu in Ecclesia solemni-

ter recitatas. *Tinctus*, denotat áquam lustralem. *Edens*, significat panem benedictum, qui Eulogia ab antiquis dicebatur, et qui olim dari solebat Catechumenis loco Eucharistiae. *Confessus*, confessionem quae publice fit die Jovis in Coena Domini. *Dans*, significat eleemosynam. *Benedicens*, benedictionem Episcopi vel Abbatis. Nobis in praesenti Controversia de Sacramentalibus stricte dictis sermo erit, quae in solemni Sacramentorum administratione ab Ecclesia adhiberi solent.

CCXIV. Lutherus Lib. de Formula Missae, et Lib. de piis caeremon. Confessio Augustana Artic. XV. Melanchton in Locis Theologicis, Tit. de Caeremon. fatentur posse Ecclesiam instituere aliquas caeremonias ad eruditionem et splendorem, modo absit obligatio et opinio cultus. Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. X. contendit id nullo modo licere, atque idem sentire videtur Brentius in Confessione Würtembergensi, Cap. de Caeremoniis; dicit enim posse Ecclesiam instituere dispositionem concionum, lectionum, festorum, et aliarum rerum quae secundum mandata vel exempla Scripturarum celebrantur; sed non licere comminisci novos ritus ad adumbrandam veritatem jam in Evangelio patefactam: quales sunt interdiu accendere cereos, uti vexillis, seu Crucibus ad significandam victoriam Christi etc. Kemnitius ait institutioni divinae nihil addendum aut detrahendum esse; et eos qui addunt, id videri facere, quasi caeremoniae a Christo institutae non sint satis idoneae ac sufficientes.

CCXV. *Conclusio*. Ecclesia habet potestatem instituendi caeremonias in administratione Sacramentorum. Prob. Conclusio haec dogmatica I. ex praxi Ecclesiae, cujus irrefragabiles testes sunt Patres. Ecclesia eam

habere potestatem dicenda est, quam semper tum ipsa, tum Apostoli exercuerunt. Atqui potestatem hanc tum Ecclesia, tum ipsi etiam Apostoli semper exercuerunt. Ergo. Major propositio negari nequit: neque enim ullus sanae mentis affirmabit, Apostolos ipsamque Ecclesiam jam a primis incunabulis indebitam sibi usurpasse potestatem. Minor prob. I. Authoritate Apostoli, qui I. ad *Cor.* Cap. XI. pollicetur se ordinaturum quae ad Eucharistiam celebrandam spectant. *Caetera autem, cum venero, disponam.* Huc refert S. Augustinus Epist. LIV. alias CXVIII. ad Januarium, morem non nisi jejunis administrandi Eucharistiam; relatis enim Apostoli verbis haec addit S. Doctor: *Unde intelligi datur — ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur.* Prob. II. ex Patribus. S. Justinus Martyr Apologia II. pro Christianis multarum caeremoniarum meminit ad confectionem et dispensationem Eucharistiae pertinentium. *Tertullianus* Lib. de Bapt. et Lib. de Corona militis, Cap. III. ait, secundum Ecclesiae consuetudinem lac et mel baptizandis degustanda dari consuevisse: renuntiare illos diabolo, pompae, et Angelis ejus, consignari signo Crucis etc. *S. Cyrillus Jerosolymitanus* in suis Catechesibus multas caeremonias apud Orientales adhibitas in celebratione Baptismi recenset, et *S. Basilius* Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXVII. eas describit, quae in Sacrificio Missae usurpari sua etiamnum aetate solebant. *S. Augustinus* ad evincendum adversus Pelagianos originale peccatum saepius urget exorcismos, quibus Ecclesia ex Traditione Apostolica Catechumenos ad Baptismum praeparabat. Sacramentale S. Gregorii M., Euchologia Graecorum, Scripta S. Isidori Hispalensis, Alcuini, Rabani Mauri,

Amalarii, Walafridi Srabonis etc. satis ostendunt, ritus quos etiam nunc Latina Ecclesia observat in celebratione Sacramentorum, fuisse jam diu ante IX. Saeculum observatos. Prob. III. Authoritate Tridentini, quod Sess. XXI. Cap. II. ait: *Praeterea declarat (Sancta Synodus) hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Et Can. VIII. Sessionis XXII. *Siquis dixerit, caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.* Prob. IV. Ratione Theologica. Ecclesia accepit a Deo potestatem promovendi exteriorem Dei cultum, instruendi fideles, eosque ad pietatem informandi etc. Atqui ad hoc plurimum conferunt caeremoniae, ut paulo post ostendemus. Ergo accepit a Deo potestatem instituendi caeremonias in administratione Sacramentorum, quas Christus providentiae Pastorum Ecclesiae relictas voluit.

CCXVI. *Quaeres I.* An etiam extra Sacramentorum administrationem Ecclesia potestatem habeat instituendi sacras caeremonias? Resp. affirmative. Prob. assertio I, exemplo Synagogae. Certum est Ecclesiam Christi minorem non habere potestatem, quam Synagoga Judaeorum habuerit. Atqui haec potuit novos ritus, caeremonias et festivitates instituere, ut patet ex Cap. IX. *Estheris*, et XVI. *Judith*, ubi institutus legitur novus dies festus solemnis, ab omnibus Judaeis celebrandus. *Gen.* Cap. XXVIII. Jacob Patriarcha novam

instituit caeremoniam; erexit enim lapidem in titulum, fundens oleum desuper: et vocavit nomen loci illius *Bethel*, in memoriam visionis quam in eo loco habuerat. Prob. II. exemplo Apostolorum, qui *Act.* Cap. XV. in Concilio congregati novam invexerunt disciplinam, ut Gentiles ad fidem conversi abstinerent a sanguine et suffocato. Prob. III. ex antiquissima praxi Ecclesiae, quae jam ab antiquissimis temporibus varias instituit benedictiones, cantus, aquae lustralis adspersiones, et quae plura sunt hujusmodi, ut Patres testantur, vetustissimi Latinae Ecclesiae Rituales libri, Euchologia Graecorum, et Sacrae antiquitatis plurima alia monumenta.

CCXVII. *Quaeres II.* An in administratione Sacramentorum, secluso etiam Fidelium scandalo, possint caeremoniae a quocumque ministro, extra casum necessitatis, omitti, aut pro libito mutari? Resp. negative. Prob. assertio I. Authoritate Tridentini, quod Sessione VII. Can. XIII. definit: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiae pastorem mutari posse; anathema sit.* II. Ratione Theologica. I. est. Ecclesia a Deo potestatem accepit ritus hos instituendi, eosque subditis suis praescribendi. Ergo cum Ecclesia severe omnibus praecipiat horum rituum observationem etiamsi nulla daretur occasio scandali, sine piaculo tamen omitti nequeunt aut mutari. *Qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, ut ait Apostolus ad *Rom.* Cap. XIII. Altera ratio est. Si cuilibet Ministro liberum foret consuetos ritus antiquare, et novos invehere, maxi-

ma orietur ritum confusio et dissonantia, non sine perturbatione fidelium. Ergo cum teste Apostolo ordinata sint, quae sunt a Deo, ii ritus servandi sunt quos Ecclesia praescripsit.

CCXVIII. *Quaeres III.* Cur Ecclesia certos ritus in solemni Sacramentorum administratione instituerit? Resp. gravissimis justissimisque de causis, quas Catechismus Romanus Parte II. Cap. I. Num. XVI. enumerat: *Primum enim maxime decuit sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur. Praeterea quae Sacramento efficiuntur, caeremoniae ipsae magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, et earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, et diligentur observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis et charitatem excitant.* Idem omnino dicendum est de caeteris caeremoniis, quas Ecclesia extra Sacramentorum celebrationem adhibet: num et illae juvant devotionem, accendunt pietatem, rudiores instruunt, morbos curant, daemones pellunt, et a peccatis venialibus purgant.

CCXIX. *Quaeres IV.* Quomodo Sacramentalia producant sanctitatem, et peccata venialia extinguant? Resp. id non fieri proxime et ex se, seu ex opere operato; sed remote, ex opere operantis, ac per modum impetrationis. Ratio id dicendi est, quia venialia stare possunt cum quolibet gradu gratiae: neque tolluntur quoad reatum culpae, nisi per formam aliquam eis repugnantem, nimirum per aliquem actualem voluntatis affectum, qui saltem virtualiter detestationem culpae venialis includat. Atqui Sacramentalia hunc actum ex se infallibiliter non inducunt, cum nulla ostendi possit specialis

Dei promissio. Ergo Sacramentalia proxime de se, et ex opere operato, neque producunt sanctitatem, neque peccata venialia extinguunt. Hic tamen effectus remote et ex opere operantis, quamvis non infallibiliter obtinetur; quia fideles precibus et suffragiis Ecclesiae adjuti, dum pie illa Sacramentalia adhibent, facilius doloris, contritionis, ac divini amoris motus concipiunt, quibus illi vel delent peccata, vel in gratia crescunt.

OBJECTIONES.

CCXX. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Deuteron. Cap. IV. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et *Matth.* Cap. XV. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* Ergo Scriptura reprobat omnes ritus circa cultum Dei ab hominibus introductos. II. Christus Joan. Cap. IV. ait Samaritanae: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Ergo rejiciendae sunt caeremoniae ab Ecclesia institutae, quia cum sint externae et corporales, suffocant cultum interiorem et spiritualem. III. Apostolus ad *Coloss.* Cap. I. docet non esse petendam ab hominibus doctrinam de vero cultu. Resp. ad I. Verbis illis non prohiberi quamlibet additionem Librorum sacrorum, aut praeceptorum, sive ea moralia sint, judicialia aut caeremonialia; secus rejiciendi forent omnes libri Canonici et divini praeter libros solius Moysis: et impie egisset Synagoga novos dies festos instituendo, ut legitur *Estheris* Cap. IX, et *Judith* XVI; sed eam tantum prohiberi additionem, qua cultus praescribitur inutilis ac inanis, et divinis mandatis repugnans. Atque hunc ipsum cul-

tum inanem ac Pharisaicum Christus reprobat *Matth.* Cap. XV. Ad II. N. C. Adoratio Dei in spiritu et veritate non opponitur caeremoniis nostris sed cultui tum Judaico, qui totus corporalis erat et externus, ac in umbris et figuris positus; tum Samaritano, qui falsitate et errore inquinabatur. At vero caeremoniarum pompa et apparatus, quo utitur Catholica Ecclesia, mentem ad coelestia erigit, et majestatem Sacramentis conciliat. Ad III. D. A. Doctrina de vero cultu petenda non est ab hominibus, qui docent contraria Christo, C. A. Qui super Christum aedificant, et secundum ejus regulam docent in particulari quod ille solum in genere indicavit, N. A. et Conseq. De his ipse Christus ait Lucae Cap. X. *Qui vos audit, me audit.* Et Matth. Cap. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

CCXXI. *Objicitur II.* Authoritas S. Augustini, qui Epist. LV. alias CXIX. quae est II. ad Januarium, Cap. XIX. scribit: *Ipsam religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus (quidam) premunt, ut tolerabilior sit conditio Judaeorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis non humanis praesumptionibus subjiciuntur.* Ergo Augustinus novorum rituum institutionem improbavit. Resp. C. A. D. C. Augustinus improbavit novorum rituum institutionem, quae fit a privatis hominibus sine causa et contra consuetudinem Ecclesiae, C. Conseq. Secus, N. C. S. Doctor mentem suam loco citato clare explicat; ait enim: *Omnia itaque talia, quae neque Sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec*

consuetudine universae Ecclesiae roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur: ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint causae, quas in iis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo.

CCXXII. *Objicitur III.* Superstitio harum caeremoniarum. Caeremoniae quibus utitur Ecclesia Catholica, à Judaeis et Gentilibus desumptae sunt. Ergo rejicere eas oportet tamquam superstitiosas. Resp. Quamvis Judaei et Gentiles ritus aliquos habuerint nostris affines, perperam tamen infertur eos rejiciendos esse prout ab Ecclesia usurpantur. Siquidem totus ille cultus externi apparatus ex objecto et fine aestimandus est, atque ex religionis in qua frequentatur, veritate. Sacrificia habuerunt Gentiles, ritusque suos ad imitationem veri Dei cultorum a daemonibus introductos: Sacrificia ritusque habuerunt et Judaei; sed Gentiles idolis et daemonibus, Judaei autem Deo vero Sacrificia obtulerunt, ritusque suos illius culti dedicarunt. Judaici quidam ritus praenuntiabant Evangelicae legis mysteria, quorum erant typi et figurae, uti circumcisio Baptismi, Sacrificia cruenta mortis Christi, esus agni Eucharistiae etc. Atque hi ritus merito ab Ecclesia sublati sunt, quoniam res praefignratae jam advenerunt. At vero alii ritus, ut v. g. vestes sacrae, lumina, thymiamata ac cantica ad decentiam exterioris cultus et devotionem excitandam spectabant: ideoque etiamnum ritus istos jure servamus, cum teneamur animo et corpore cultum Deo exhibere. Sed diversus est Catholicorum et Judaeorum finis; hunc quippe cultum nos Christo Salvatori tribuimus, quem jam venisse novimus, Judaei autem Messiae quem frustra venturum expectant.

CCXXIII. *Objicitur IV.* Praxis primitivae Ecclesiae, quae simplici cultu divina peragebat mysteria. Resp. ex eo nihil inde confici; tribus enim primis saeculis fideles metu persecutionum in cryptis locisque subterraneis absconditi sine splendido apparatu Sacra peragere cogebantur, quamquam non sine caeremoniis variisque ritibus, ut *S. Justinus* Martyr et *Tertullianus* Saeculi II. Scriptores testantur. At vero Saeculi IV. initio reddita per Constantinum Ecclesiae pace, magnifica excitata sunt templa omnipotenti Deo, ac splendido rituum apparatu divina celebrata sunt officia.

ARTICULUS II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CONTROVERSIA I.

DE MATERIA BAPTISMI REMOTA.

Contra Manichaeos, et Seleucianos.

CCXXIV.

Baptismus vox Graecae originis idem Graecis sonat, quod Latinis ablutio sive immersio. In Scripturis divinis quandoque sumitur pro lotionibus illis legalibus et caeremonialibus, quibus frequenter utebantur Judaei; quandoque vero in sensu metaphorico usurpatur ad significandam afflictionem, quae instar aquae vehementis hominem mergit et absorbet. In novo Testamento vox haec significat praecipue actionem illam sacram, mysticam et

religiosam, qua quis aqua tingitur seu baptizatur in corpore, ut Spiritu interius renascatur: et dicitur vulgo baptismus fluminis, quo Christiani dicimur et sumus. Scripturam et Patres si consulamus, varia occurrunt illius nomina, a materia, forma, effectibus, aut caeremoniis Baptismi desumpta; vocatur enim *lavacrum aquae, unda genitalis, signaculum, obsignatio fidei, Sacramentum Trinitatis, vitae novitas, ablutio peccatorum, sepoltura hominis cum Christo in mortem, circumcisio non manufacta, Sacramentum illuminationis, diluvium peccati, indumentum incorruptionis etc.* A Theologis communiter definiri solet Sacramentum regenerationis per aquam cum expressa invocatione Sanctissimae Trinitatis.

CCXXV. Sectarii nostrorum temporum quamvis gravissime errent circa naturam, effectus, et necessitatem Baptismi; et ipsi tamen cum inter vera Sacramenta recenset. Ut enim de constanti traditione et praxi universalis Ecclesiae, quae semper ritum baptizandi servavit, ac de numquam variata doctrina Patrum nihil dicam, clarissima Scripturarum loca, Joan. Cap. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Matth. Cap. XXVIII. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, satis evincunt, baptismum esse ritum externum, a Christo Domino institutum, adjunctamque habere sanctificantis gratiae promissionem, et mandatum observandi hanc ablutionem: ideoque verum ac legitimum esse novae Legis Sacramentum.

CCXXVI. Uti reliqua Sacramenta, ita etiam Baptismus constat materia et forma. Materia baptismi

duplex est, nempe remota quae est elementum, et proxima, sive materiae remotae applicatio. Circa materiam remotam plures extitere errores. Ut antiquiores haereticos silentio praeteream, Cajanos de Valentinianorum stirpe progenitos, et Quintillianos a Quintilla foemina appellatos, qui baptismum sine aqua administrabant, ut refert *Tertullianus* Lib. de Bapt. Cap. I. et II., Manichaei baptismum in aqua collatum, utpote quam a principio malo prodiisse somniabant, velut inutilem rejecerunt, ut refert S. Augustinus Lib. de Haeres. Cap. XLVI. *Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant.* Et S. Leo M. Serm. XXIII. *Ab hoc Sacramento* (Baptismi) *dilectissimi insanus Manichaeorum error alienus est, nec ullum habent in Christi regeneratione consortium.* Cum vero *S. Hieronymus* in Dialogo contra Luciferianos Hilarium Diaconum inconstantiae accuset et repugnantiae, quod baptizatos ab Arianis non reciperet, cum olim Romae a Manichaeis et Ebionitis baptizatos recepisset; verisimile videtur, Manichaeos ut se occultarent, Christianosque se simularent, maxime vero Romae, ubi majus sibi imminebat periculum, quandoque Catechumenos suos ritu Christiano baptizasse. Qua de re vide *Laurentium Alticotium* in Dissert. Historico-Critica de antiquis novisque Manichaeis, Num. XXXVI. Seleuciani et Hermiani, teste *S. Augustino* in Lib. de Haeres. Cap. LIX. oraculo illo Praecursoris perperam intellecto decepti *Matth.* Cap. III. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni*, aquam a baptismo arcebant, ignem ejus loco adhibentes. Idem a Jacobitis, Jacobi cujusdam Zanzali Eutychiani sectatoribus, in Oriente

factitatum fuisse affirmant *Jacobus a Vitriaco* Hist. Hierosol. Cap. LXXV. et *Bernardus Lulzemburgensis* in Catalogo Haereticorum, Lib. II. Verum tum ipsorum Euchologia, tum eorum Scriptores ostendunt, Jacobitas ab hoc errore immunes fuisse. Flagellantes Saeculo XIII. exorti dicebant, unumquemque baptizari debere proprio sanguine per flagella de corpore elicito: an vero baptismum aquae rejecerint, non affirmant authores qui de illis scripsere. Lutherus in Colloquiis Symposiacis sive Mensalibus, Cap. XVII. interrogatus, num deficiente aqua liceret baptizare in lacte aut cerevisia, initio respondit judicio divino id esse committendum: deinde addidit, quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptizandum. Idem senserunt Theodorus Beza in Epist. II. ad Thomam Tillium, et Calvinus Lib. IV. Institutionis, Cap. XV., qui per aquam Christi sanguine vult intelligi, propter mundandi abluendique similitudinem.

CCXXVII. *Conclusio.* Sola aqua elementaris est materia remota Baptismi, eaque essentialis. Prob. Conclusio haec dogmatica I. Authoritate Scripturarum. Joan. Cap. III. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sanctu, non potest introire in regnum Dei.* Ad Ephes. Cap. V. ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Ergo sola aqua elementaris est materia necessaria baptismi. Profecto veram ac naturalem, non vero metaphoricam aquam hic in Scripturis intelligi, lucalenter ostendunt veterum Prophetarum praedictiones, figurae in veteri Testamento, exemplum denique Christi et Apostolorum. Ezechielis Cap. XXXVI. dicitur: *Effundam super vos*

aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Quibus verbis Propheta aliquot jam ante Christum saeculis aquam baptismalem significavit. Neque deerant in veteri Testamento figurae aquam hanc praemonstrantes, nimirum I. aquae, super quas Spiritus Dei ferebatur, ut dicitur Gen. Cap. I. Hinc S. Hieronymus Epist. LXXXIII. ad Oceanum scribit: *Spiritus Dei super aquas ferebatur, et nascentem mundum in figura baptismi parturiebat.* II. Diluvium generale, de quo I. Petri Cap. III. dicitur: *In qua* (Arca Noe) *pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma.* III. Maris rubri transitus. IV. Aquarum amarities immisso a Moyse ligno in dulcedinem divino miraculo conversa. V. Jordanis aquae, in quibus a lepra mundatus est Naaman Syrus. VI. Probatica piscina, in quam qui prior descendisset post motum aquae, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. De Christo refert S. Matthaeus Cap. III., eum in Jordane fuisse baptizatum: *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua.* Christum in aqua elementari alios baptizasse manifeste ostendit querimonia discipulorum Praecursoris, Joan. Cap. III. *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Neque minus Apostoli et Discipuli, obsequentes Christi mandato, in aqua baptizarunt. Act. Cap. X. *Tunc respondit Petrus: numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos?* Act. Cap. VIII. *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid*

prohibet me baptizari? - - Et descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum. Ex his quae hactenus diximus, hoc instruitur argumentum. Illa est essentialis Sacramenti Baptismi materia, quam Prophetae veteres praedixerunt, quam Spiritus Sanctus variis figuris in antiquo Testamento praemonstravit: quam denique Christus voluit in spirituali regeneratione adhiberi. Atqui talis est sola aqua vera et elementaris. Ergo.

CCXXVIII. Prob. II. Auhoritate Patrum, quorum paucos e multis laudabimus. S. Justinus Apologia II. pro Christianis scribit: *Deinde eo adducuntur a nobis* (Catechumeni) *ubi aqua est. - - - Nam in nomine rerum cunctarum Parentis, et Domini Dei et Servatoris nostri Jesu Christi, et Spiritus Sancti in aqua tum lavantur.* Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. I. *Felix Sacramentum aquae nostrae, qua abluti delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur.* Et Cap. IV. *Omnes aquae de pristina originis praerogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de coelis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt.* S. Ambrosius Lib. de iis qui mysteriis initiantur, Cap. III. *Vides aquam, vides lignum,* (Crucem) *columbam adspicis, et dubitas de mysterio? Aqua est ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium.* S. Augustinus Tract. XV. in Joan. *Tolle aquam, non est baptismus.*

CCXXIX. Prob. III. Authoritate Conciliorum. In Lateranensi IV. sub Innocentio III. A. 1215. Cap. *Firmiter* dicitur: *Sacramentum Baptismi, quod ad in-*

vocationem individuae Trinitatis, videlicet Patris et Filii et Spiritus Sancti consecratur in aqua, tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum, proficit ad salutem. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Materia hujus Sacramenti* (Baptismi) *est aqua vera et naturalis. Nec refert frigida sit an calida.* Tridentinum Sess. VII. Can. II. *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque idcirco verba illa Domini nostri Jesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.*

CCXXX. Cur Christus pro materia remota Baptismi aquam assumpserit, efficax ratio alia dari nequit, quam ipsius Christi voluntas; congruas tamen hujus voluntatis rationes assignare solent Patres ac Theologi. I. est, quia materia hujus Sacramenti tam necessarii passim obvia est. II. Quia in baptismo datur Spiritus Sanctus, qui in creatione mundi sedem suam praecipue in aquis constituit, quibus incubabat, ut foecunditatem ipsis imprimeret. III. Quia similitudo quaedam et analogia est inter effectum aquae in corpore, et effectum baptismi in anima. Sicut enim aqua sordes corporis extergit et mundat; ita Baptismus sordes animae.

CCXXXI. *Quaeres I.* An ad valorem Baptismi quaelibet aqua naturalis sufficiat? Resp. affirmative. Ut enim Tertullianus scribit Lib. de Bapt. Cap. IV. *Nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur; nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tyberi tinxit.* At vero omnes alii liquores excluduntur, ut vi-

num, lac, cerevisia etc. item aquae ex floribus, herbis, fructibus, aliisque id generis expressae, quae non sunt vera elementaris aqua: tum etiam omnis mixtio et compositio, quae aquae elementaris substantiam immutare censetur. Contra accidentalis aquae mutatio Sacramento non officit. Sic v. g. aqua calida vel frigida, munda vel immunda, dulcis aut falsa, nihil facit ad substantiam Sacramenti: unde nix, grando, aut glacies, cum sit vera aqua elementaris, idonea quoque est baptismi materia, quando nempe resoluta est vel liquata; non vero quando ita est concreta et congelata, ut fluere non possit, nec lavare, quando baptismus verbis Evangelicis consecratur.

CCXXXII. *Quaeres II.* An etiam ad licentiam Baptismi quaelibet aqua naturalis sufficiat? Resp. extra casum necessitatis requiri aquam naturalem benedictam, ut Baptismus licite conferatur. Ita Rituales libri praxis Ecclesiae, et Patres tam Graeci quam Latini docent. Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. IV. aquas baptismi propter hanc benedictionem *medicatas* appellat. S. Cyprianus Epist. LXX. ad Januarium: *Oportet mundari et sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere.* S. Ambrosius Lib. I. de Sacram. Cap. V. ait, usum baptismatis hoc habere, *ut ante fons consecretur, et tunc descendat qui baptizandus est.* S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXVII. ait: *Benedicimus aquam baptismatis, et oleum unctionis, adhuc etiam ipsum baptizatum; ex quibus Scripturis?* (id habemus) *Nonne a tacita et mystica traditione?* Hujus quoque consecrationis mentionem faciunt S. Cyrillus Jerosol. Catech. III. S. Gregorius Nyssenus in Orat. de Sancto

M 2

Baptismate. Victor Vitensis Lib. II. de Persecut. Vandalica, aliique. Idcirco aut baptismalis aqua benedicitur, ut majori cum decentia Sacramentum hoc administretur, eique major apud fideles concilietur reverentia. Apud Latinos bis tantum in anno solemni prece aqua illa benedicitur, pridie scilicet Paschatis et Pentecostes; apud Graecos vero, quia illi per immersionem baptizant, toties id fit, quoties unus aut plures sunt baptizandi, et perfecto baptismo aqua illa in locum honestum abiicitur.

CCXXXIII. *Quaeres III.* An Christus Baptismum instituerit ante Passionem suam, ut sentiunt *S. Augustinus* Epist. CCLXV. alias CVIII. ad Seleucianum, *Magister Sententiarum*, *S. Thomas*, et plerique ex Theologis, an vero post Resurrectionem suam, ut volunt *Tertullianus* Lib. de Bapt. Cap. XI. et XII. *S. Chrysostomus* Hom. XXVIII. in Caput. III. S. Joan. atque ex eo *Theophylactus* et *Euthymius*, itam *S. Leo M.* Epist XVI. alias IV. ad Episcopos Siciliae? Resp. Quamvis incertum sit, quonam praecise tempore Baptismum suum Christus instituerit; probabilius tamen dicendum videtur, institutum fuisse ante Passionem Christi. Probatur assertio authoritate praecipue Scripturarum. Nam I. Joan. Cap. III. dicitur: *Post haec venit Jesus et discipuli ejus in terram Judaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.* Et Cap. IV. *Quamquam Jesus non baptizaret*, (intellige passim et frequenter) *sed discipuli ejus.* Ergo Apostoli diu ante passionem Christi baptizarunt. Atqui non baptizarunt baptismo Joannis, qui de se nullius erat efficaciae, et tantum figura baptismi a Christo instituendi. Ergo baptizarunt baptismo a Christo instituto. II. Ipse Praecur-

sor Domini inter suum et Christi baptisma distinguit, inquiens Marci Cap. I. *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.* Et Joan. Cap. I. *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Ergo Baptismus Christi, quem Apostoli ante illius passionem administrabant, etiam tunc distinguebatur a baptismo Joannis. III. Occasione baptismi quem Apostoli conferebant, orta est inter discipulos Joannis et Judaeos contentio, qui, ut refertur Joan. Cap. III. *Venerunt ad Joannem, et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanum, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Jam vero si Apostoli, non Christi ipsius, sed Joannis baptisma administrassent, vel orta non esset illa contentio, vel eam certe Joannes sedare facile poterat, dicendo, nullam baptismatum esse differentiam, sibique Christi discipulos tamquam Vicarios inservire: quod sane futurum erat Joanni honorificentissimum, nedum ejus gloriam minuisset. Atqui Sanctus Praecursor longe aliam viam inivit; palam enim l. c. contestatus est, Christum longe se esse majorem, sibique in omnibus praeferendum. *Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.* IV. Baptismus a Discipulis Christi collatus mundos reddebat suscipientes, et semel rite collatus iterari non poterat. At isti characteres soli et vero Christi baptismo conveniunt, de quo haec verba Christi ad Petrum Joan. Cap. XIII. *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet*, interpretatur S. Augustinus Epist. CCLXV. alias CVIII. ad Seleucianam, et Tract. V. in Joan. ubi probat. baptizatos a Joanne iterum fuisse ab Apostolis baptismo Christi tinctos; baptizatos vero a Judá non fuisse ite-

rum baptizatos, quia Baptismus Judae erat Baptismus Christi, qui semel collatus iterari non potest. Accedit quod Apostoli ordinati sint Sacerdotes, et Eucharistiam sumpserint ante passionem Christi, nimirum in ultima Coena. Atqui non fuissent de lege ordinaria capaces horum Sacramentorum, nisi prius tincti fuissent baptismo Christi: neque ullum sive in Scripturis, sive in Traditione fundamentum ullave ratio assignari potest dicendi, quod Christus ab ordinaria lege Apostolos exemerit, volueritque ut alia Sacramenta possint recipere ante Baptismum.

CCXXXIV. Neque dicas I, Christum instituisse Baptismum tunc, quando Matth. Cap. XXVIII. dixit Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.* II. Ante Passionem Christi Mysterium SS. Trinitatis incognitum fuisse Apostolis: adeoque eos vel alia forma baptizandi usos esse, quod omnino incredibile est; vel non administrasse tunc Sacramentum Baptismi. III. Baptismum Christi totam vim suam habere a Passione Christi, ideoque ante illam non fuisse institutum. IV. Scripturam innuere Spiritum Sanctum datum non fuisse ante Resurrectionem Christi, cum Joan. Cap. VIII. dicatur: *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Jesus erat glorificatus.* Nam ad I. Resp. verbis illis non contineri institutionem baptismi, sed praeceptum baptizandi Judaeos et Gentiles, post sufficientem eorum in rebus fidei instructionem. Ad II. Resp. Apostolos non ignorasse Mysterium SS. Trinitatis; Christus enim, quem Deum esse Apostoli confitebantur, multa locutus fuerat de Patre; nec Spiritus Sancti personam reticuit, praecipue in sermone cum ipsis habito post ultimam Coe-

nam. Praeterea Baptismum Christi initio administrare potuerunt Apostoli cum expressa etiam Sanctissimae Trinitatis invocatione, quin Mysterium illud clare et distincte cognoscerent, quod nimirum tres Personae realiter distinctae in unitate naturae subsistant, antequam hac de re plenius a Christo instruerentur. Ad III. Resp. Baptismum a Passione Christi a Deo praevisa et acceptata, quamvis nondum consummata, vim sanctificandi tunc accepisse: sicut idem dicitur de gratiis, quas Deus intuitu meritorum Christi futurorum Fidelibus in veteri Testamento concessit. Ad IV. Resp. Spiritum Sanctum ante Resurrectionem Christi datum non fuisse sensibiliter, cum tanta effusione, illisque prodigiis, quae contigerunt die Pentecostes; datum tamen fuisse insensibiliter: neque enim Christus Eucharistiam Spiritu vacuam Apostolis in ultima Coena porrexit.

OBJECTIONES.

CCXXXV. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Praecursor Christi *Matth.* Cap. III. ait: *Qui post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni.* Ergo si Scriptura sumatur in sensu litterali, ignis aeque necessaria erit Baptismi materia, ac aqua: vel si ignis metaphorice intelligatur, idem pari ratione dici poterit de aqua. P. C. Non est potior ratio, cur ignis magis quam aqua metaphorice accipi debeat. Ergo. *Confirm.* Inter Baptismum Christi et Joannis debet dari essentiale discrimen etiam quantum ad ritum sensibilem. Atqui nullum foret discrimen,

siquidem aqua naturalis materia foret necessaria Baptismi Christi. Resp. C. A. N. C. Sanctus Christi Praecursor l. c. vel non loquitur de baptismo a Christo instituendo; sed aut de adventu Spiritu Sancti sub specie ignis mittendi in Discipulos die Pentecostes, vel de spirituali emundatione per Christum hominibus conferenda sive in Sacramentis sive extra illa: aut si loquitur de Baptismo Christi, per ignem non materiam, sed virtutem et efficaciam illius designat, qua sanctificat animas, et peccatorum sordes et maculas absumit, sicut ignis ferri rubiginem. Ad *probat.* N. A. Aquam in proprio naturalique sensu intelligendam esse luculenter ostendunt tum exemplum Christi et Apostolorum naturali aqua baptizantium, tum numquam interrupta praxis Ecclesiae. Impudenter itaque more suo egit Calvinus, quando evolutis post Evangelium promulgatum saeculis XV. Apostolos et Ecclesiam universam pravae divinorum mandatorum intelligentiae ausus est redarguere. Ad *confirm.* D. M. Debet esse essentiale discrimen quoad materiam, N. M. Quoad formam et effectum Baptismi, C. M. Et sic dist. min. N. C. Quamvis Baptismus Christi et Joannis in materia conveniant, discrepant tamen in forma et effectu: siquidem Baptismus Christi verbis Evangelicis consecratur, et propria virtute hominem a peccatis mundat, quod de baptismo Joannis dici nequit.

CCXXXVI. *Dices I.* Saltem locus ille *Joan.* Cap. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* etc. quod tamen praecipuum est Sententiae nostrae fundamentum, non evincit aquam naturalem esse necessariam materiam baptismi. Ergo. P. A. I. Eodem modo aqua est materia baptismi quo Spiritus; dicitur enim

loco cit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*. Atqui Spiritus Sanctus non est materia baptismi. Igitur nec aqua. II. Aqua ibi significat Spiritum Sanctum mundantem instar aquae. Ergo loco cit. non est sermo de materia. P. A. Particula *Et* vim habet expositivae *id est*, ita ut hunc sensum reddat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *id est*, *ex Spiritu Sancto mundante instar aquae*. Ergo ibi Christus non loquitur de materia baptismi. P. A. Scriptura divina saepius ad unum quid significandum duos terminos per copulativam *Et* conjungit, ut v. g. ad *Coloss*. Cap. II. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam*, id est, per inanes fallacias philosophiae. Ergo idem dicendum est de priori loco. *Confirm.* S. Chrysostomus Hom. XXXI. in Cap. IV. S. Joan. observat, a Scriptura gratiam Sancti Spiritus modo ignem modo aquam appellari. Ergo. Resp. N. A. Ad I. *probat*. N. M. Spiritus Sanctus esse non potest materia alicujus Sacramenti: hinc Spiritus ibi non sumitur pro materia Baptismi, sed pro causa efficiente primaria gratiae, vel pro ipsa gratia, quae est effectus baptismi. Ad II. *probat*. N. A. Duo illic distincta exprimuntur, quorum unum est elementum exterius, nempe aqua quae symbolum est Spiritus; et alterum interius, nempe gratia Spiritus Sancti. Ad hujus *probat*. N. A. Ad ultimam *probat*. C. A. N. C. quamvis particula *Et* quandoque in Scripturis vim habeat explicativae particulae; illam tamen vim semper non habet, nisi admittere velis per nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti significari tantum unam eamdemque Personam trinominem. Caeterum in illo loco *Joan*. Cap. III. particulam *Et* vim non habere expositivae, quasi idem significaretur

per aquam et Spiritum, satis ostendit universalis Ecclesiae praxis et traditio. Ad *confirm*. C. A. N. C. S. Chysostomus nullibi affirmat verba illa, *ex aqua et Spiritu Sancto*, esse synonima, idemque significari per aquam, quod per Spiritum Sanctum significatur.

CCXXXVII. *Dices II.* Si Christus *Joan.* Cap. III. locutus fuisset de vera aqua ad renascendum necessaria, immerito Nicodemum reprehendisset verbis illis: *Tu es Magister in Israel, et haec ignoras?* Neque enim Nicodemus suspicari aliquando potuit, fore tempus quo homines per aquam naturalem renascerentur. At vero si verba illa intelligantur in sensu metaphorico, id est, de gratia spirituali mundante sicut aqua, reprehensionem illam promeritus est Nicodemus. Cum enim in Lege versatus esset, inculpabiliter ignorare non poterat, fore aliquando tempus quo homines a peccatorum vetustate purgati in novam et spiritualem vitam reformarentur, ut Prophetae praedixerant. Ergo cum justa fuerit illa reprehensio, dicendum est Christum loco cit. loqui de aqua metaphorica, id est, de gratia Spiritus Sancti. Resp. N. A. Duo hic observanda sunt, nativitas ipsa secunda, et modus renascendi: utrumque Nicodemus ignorabat; non enim ad modum tantum, sed ad rem ipsam quam Christus annuntiabat, obstupuit. *Quomodo*, inquit, *Joan.* Cap. III. *potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci?* Quae verba sunt rem impossibilem esse judicantis. Itaque merito a Christo reprehensus est; quia si vere in Lege, ut appellari amabat, Doctor fuisset, nescire secundam in Spiritu nativitatem non poterat, cujus adeo

frequens in veteri Testamento occurrit mentio. Quantum vero spectat ad modum renascendi, etsi propterea quod illum ignoraret, non potuerit nequitiae et infidelitatis a Christo redargui, poterat tamen insipientiae et eruditatis accusari: quippe qui non satis attenderet ad figuras, quae in veteri Testamento sub symbolo aquae praecesserant. Vide *S. Thomam* in Catena aurea ad Cap. III. Joannis.

CCXXXVIII. *Objicitur II.* Authoritas Pontificum. *Siricius* Papa ad finem Saeculi IV. in eo responso quod extat in duobus Codicibus manuscriptis optimae notae, ita loquitur: *Presbyter qui in vino baptizat pro maxima necessitate, ut aeger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa adscribatur; infans vero ille, si in Sanctissima Trinitate baptizatus est, in eo baptisma permaneat.* II. *Stephanus II.* Papa Saeculo VIII. cum in Galliis versaretur Carisiaci, ad varia consulta respondens, quae *Jacobus Sirmondus* exhibet Tomo II. Conciliorum Galliae, de Baptismo in vino haec habet: *Si in vino quis propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei inde adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in baptismo. Nam si aqua adfuit praesens, ille Praesbyter excommunicetur, et poenitentiae submittatur, quia contra Canonum sententiam agere praesumpsit.* Ergo baptismus in vino collatus, fuit validus, siquidem infantes in eo baptismo permanere jubentur. Resp. I. Quamvis daretur ea Decreta esse genuina, nihil tamen ex iisdem confici; in eo enim rescripto Siricius et Stephanus errassent ut Doctores privati, salva inerrantia Romanorum Pontificum in quaestionibus fidei et morum, quando universam Ecclesiam alloquuntur. Respondent alii II.

cum *Natale Alexandro* in Hist. Eccles. Saec. VIII. Cap. I. Artic. VI. lectionem Sirmondi vitiatam esse, sicque restituendam: *Nulla ei exinde adscribitur culpa, si infantes sic permaneant in ipso Baptismo.* Verum longe verisimilius est, gemina illa Rescripta non modo vitiata, sed omnino supposititia esse, et ab imperito aliquo consarcinatore, nec satis provido assutam hanc infeliciter laciniam Siricii et Stephani responsis fuisse. Nam I. prorsus incredibile est Siricium et Stephanum, Traditionis fidelissimos custodes, rem ignorasse lippis et tonsoribus notam. II. Codices illi, in quibus haec responsa continentur, discrepant inter se in ipsa narratione historica. III. Nullus Pontificum post Siricium et Stephanum illius responsi mentionem facit: immo Innocentius III. Gregorius IX, aliique Pontifices unanimi suffragio rejecerunt baptismum in alio liquore quam in aqua elementari collatum. Vide hac de re plura apud *Joannem Harduinum* in Quaestione triplici de Baptismo.

CCXXXIX. *Objicitur III.* Factum historicum. *Joannes Moschus* in Prato Spirituali, Cap. CLXXVI. et *Nicephorus* Lib. III. Hist. Eccles. Cap. XXXVII. narrant, Judaeum quemdam lethali morbo correptum, dum per vastam solitudinem et loca arida iter faceret, deficiente aqua, in arena fuisse baptizatum, ac per hanc Sanctorum Mysteriorum initiationem sanitati subito restitutum esse. Ergo Deus hoc prodigio baptismum in arena collatum approbavit, ratumque habuit. R. C. A. N. C. Haec subita virium reparatio non adscribenda est baptismo in arena dato, sed peculiari fidei ac pietati Judaei illius, quam solam Deus prodigiosa illa et instantanea curatione gratam sibi esse ostendit. Et sa-

ne uterque Historicus, Moschus et Nicephorus diserte testantur, baptismum hunc judicio Ecclesiastico irritum fuisse declaratum, et Judaeum legitimo ritu salutaribus aquis fuisse tinctum a Dionysio Episcopo Alexandrino, aut potius illo Ascalonita.

CONTROVERSIA II.

DE MATERIA PROXIMA BAPTISMI.

AN VALEAT BAPTISMUS ASPERSIONE VEL INFUSIONE DATUS?

Contra Graecos Schismaticos.

CCXL.

Cum materia remota Baptismi sit aqua elementaris, certum omnino est, materiam ejusdem proximam nihil aliud esse quam aquae applicationem, sive externam corporis ablutionem, quae duo essentialiter complectitur, actionem scilicet baptizantis quam directe exprimit forma Latinorum, *Ego te baptizo*, et passivam receptionem baptizati, quam forma Graecorum, *Baptizatur servus Christi* directe significat. Unde materia proxima baptismi adaequate sumpta, est aqua a ministro applicata, et vi hujus applicationis corpus baptizati successive ac immediate contingens. Externa haec corporis ablutio cum tribus modis perfici possit, immersione trina vel unica, infusione, vel aspersione, quaeritur modo an unica vel trina immersio jure divino sit ita necessaria, ut illicitum atque etiam omnino invalidum

reddatur baptisma, quod per aspersionem vel infusionem trinam vel unicam confertur?

CCXLI. Graeci aliqui Schismatici, ut colligitur ex *Lateranensi IV.* Can. IV. ausi fuere baptizatos a Latinis iterum baptizare, sive quod existimarent, formam qua utuntur Latini, non esse legitimam: sive quod eosdem per infusionem baptizatos crederent: sive denique ex odio erga Latinos. Gregorius Hieromonachus, Alexandrini Patriarchae in Synodo Florentina Legatus, asserebat abrumpendum esse negotium unionis Graecae Ecclesiae cum Latina, eoquod apud Latinos illegitime Sacramentum Baptismi administraretur. Marcus Ephesinus, homo turbulentissimus in Epistola quam soluto Concilio Florentino ad omnes orbis Episcopos scripsit, et Jeremias Schismaticus Patriarcha CPolitanus in altera responsione ad Confessionem Augustanam, eamdem renovarunt accusationem. Displicuit nimirum vanissimis his Graeculis, in Florentina Synodo populares suos foedus iniisse cum Latinis ea conditione, ut unaquaeque Ecclesia baptizaret secundum morem suum, Graeca per trinam immersionem, Latina per trinam infusionem.

CCXLII. *Conclusio.* Ad valorem Baptismi sufficit exterior corporis ablutio facta a Ministro per aspersionem aut infusionem. Prob. I. argumento negativo. Quamvis in Evangelio omnibus praecipiatur baptismus; nullum tamen expressum extat mandatum baptizandi per immersionem potius quam infusionem vel aspersionem. Ergo immersio jure divino scripto non est necessaria. Ergo sufficit ablutio facta per aspersionem vel infusionem.

CCXLIII. Prob. II. positive. Veteres censuere aspersionem aut infusionem non obstare valori Baptismi. Ergo immersio jure divino tradito non est necessaria. P. A. I. exemplo Apostolorum. *Act.* Cap. II. dicitur, tria hominum millia die Pentecostes ab Apostolis fuisse baptizata. *Qui ergo receperunt sermonem ejus*, (Petri) *baptizati sunt: et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.* Atqui omnino incredibile videtur tantam hominum multitudinem unica die a XII. Apostolis baptizatam fuisse per immersionem, quae praevalidas saepe vires in baptizante, et sociorum opem exigebat. Ergo sola adhibita fuit aspersio vel infusio. *Act.* Cap. XVI. Paulus in carcere detentus una nocte custodem carceris cum omni sua domo baptizavit. Atqui hae circumstantiae longe verisimilius innuunt id factum non fuisse per immersionem. II. Ex Actis Martyrum. S. Laurentius Martyr, ut refertur in Actis ejus passionis, quorum meminit *Walafridus Strabo* Lib. de Rebus Ecclesiasticis, Cap. XXVI. militem nomine Romanum aqua ex urceo effusa baptizavit. Similia leguntur apud *Martene* de antiquis Ritibus, in Actis S. Gratiliani, S. Bacchi junioris, et S. Liudgeri Episcopi. III. Authoritate Patrum. S. Augustinus Tract. LXXX. in Joan. ait: *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem.* Ergo si sufficit tantillum aqua tingere infantem, sufficit ablutio per aspersionem, multoque magis per infusionem. *Magnus* Episcopus Africanus dubitans, an Clinici seu Grabatarii, qui in infirmitate baptizati fuerant per infusionem vel aspersionem, habendi sint tamquam legitimi Christiani, ita ut vi baptismatis il-

lius competant ipsis jura omnia, quibus legitimi Christiani gaudent, S. Cyprianum consuluit. Respondit ei S. Doctor Epist. LXXVI. *Quaesisti etiam, fili charissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eoquod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Qua in parte nemini verecundia et modestia nostra praejudicat, quo minus unusquisque quod putat, sentiat, et quod senserit, faciat. Nos quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide dantis et sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. --- Unde apparet aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere; et quando haec in Ecclesia fiunt, ubi sit et dantis et accipientis fides integra,* (immiscet hic Cyprianus errorem suum circa haereticorum baptisma) *stare omnia et consummari ac perfici posse majestate Domini et fidei veritate.* Ergo Baptismus, juxta Cyprianum, perinde valet, sive per immersionem sive per infusionem vel aspersionem conferatur. Neque ex eo evincitur S. Cyprianum de valore talis baptismi dubitasse, quod dixerit liberum esse cuilibet sentire quod vellet, permiseritque hujusmodi baptismum iterari. Hoc enim non dubitationem aliquam arguit; sed moderationem et prudentiam Cypriani commendat, qui ne videretur affectare dominatum, aut vinculum charitatis tantisper offendere, praescribere noluit quae nondum Ecclesiae totius judicio et praxi erant eliquata. IV. Ex praxi Ecclesiae, quae Clinicos in lectis suis urgente mortis periculo per infusionem vel aspersionem baptizatos, si quando sanitatem recuperassent, nunquam iterum ba-

ptizandos esse sancivit. Hoc unum de Clinicis statuit Synodus *Neocaesariensis* A. 314. Can. XII. sanitate recepta non esse ordinandos, nisi quos singularis pietas commendaret. Ratio id decernendi fuit, tum quod Clinici non proprio motu, sed metu mortis compulsi Baptismum suscepisse videbantur: tum quia illi tradendis fidei arcanis, aliisque Sacerdotii officiis exercendis parum idonei putabantur, quos afflicta valetudo prima fidei elementa non permisisset plenius addiscere, et Mysteriorum pene ignaros ac rudes baptizari coegisset.

CCXLIV. Prob. III. Authoritate Ecclesiae Latinae et Graecae. Latina Ecclesia jam ab aliquot saeculis, ritu immersionis ferme ubique abrogato, ejus loco infusionem usurpavit. At quis umquam, nisi impudentissimus Graeculus affirmaverit, Latinam Ecclesiam in collatione Sacramenti tam necessarii turpiter errasse, a quo reliquorum Sacramentorum omnium valor dependet? Profecto conclamatum foret de inerrantia, perpetuitate, ac visibilitate Ecclesiae; quippe quae ne legitimos quidem Ministros jam a pluribus saeculis haberet, incapeces omnino Ecclesiasticae jurisdictionis, et invalide baptizatos. Graecam Ecclesiam quod attinet, ratum illa habuit in Florentina Synodo Latinorum baptisma per infusionem, idemque sentiunt quam plurimi ex ipsis etiam Graecis, Schismaticis, non nisi paucis reclamantibus, qui inverecundia et furore reliquos superant.

CCXLV. *Quaeres I.* Utrum Ecclesiae ejusque Ministris liberum sit Baptismum conferre per immersionem, infusionem, vel aspersionem? Resp. Ecclesiae liberum esse de re ista ad meram disciplinam pertinente, justis de causis pro arbitrio id statuere quod magis

expedire judicaverit: at vero id nequaquam liberum esse Ministris, quibus fas non est ab Ecclesiae suae more recedere. Omnibus itaque servanda est regula, quam S. Augustinus tradit Epist. LIV. alias CXVIII. ad Januarium: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est.*

CCXLVI. *Quaeres II*. An ritus immersionis in solemni Baptismi administratione usurpatus fuerit a Graeca Ecclesia, atque etiam a Latina multis saeculis? Resp. affirmative. De Graeca Ecclesia id testantur *S. Justinus M.* Apologia II. *S. Cyrillus Jerosol.* Catech. II. *S. Basilius* Lib. de Spiritus Sancto, Cap. XXVII. *S. Chrysostomus* Hom. VI. in Epist. ad Coloss. omnesque Rituales libri Graecorum, qui etiamnum hoc ritu utuntur. Pro Ecclesia Latina testes sunt *Tertullianus* Lib. adv. Praxeam, Cap. XXVI. et Lib. de Corona militis, Cap. III. *S. Hieronymus* in Dial. adv. Luciferianos. *S. Ambrosius* Lib. II. de Sacram. Cap. VII. *Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti: Credo, et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, et in Crucem ejus? Dixisti: Credo, et mersisti. Tertio interrogatus es, Credis et in Spiritum Sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti.* Idem testantur *Ordo Romanus*, et quotquot ex antiquioribus de Officiis divinis scripsere apud Latinos, *Alcuinus*, *Rabanus Maurus*, *Amalarius*, *Walafridus Strabo etc.* Eumdem ritum posterioribus etiam temporibus ad finem usque Saeculi XIII. apud Latinos

viguisse facile ex illius aevi Scriptoribus colligitur, nempe ex *Fulberto Carnotensi* Epist. I. ad Adeodatum, ex *Petro Damiano* Lib. VI. Epist. XXXV. *S. Bernardo* in Serm. de Coena Domini, *Petro Lombardo*, *Hugone Victorino*, *S. Bonaventura*, et *S. Thoma*, qui III. Parte Quaest. LXVI. Artic. VII. ait: *Quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus, potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis.* Et Artic. VIII. *Communiter observatur in baptismo trina immersio. Et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiae non observans: nihilominus tamen esset baptismus.* Paulo tamen post tempora S. Thomae, sine solemni et universali decreto alicujus Concilii, sensim in desuetudinem abiit apud Lationes immersionis observantia, praeterquam in Mediolanensi paucisque aliis Ecclesiis, in quibus antiquus ritus etiamnum perseverat baptismum per trinam immersionem conferendi.

CCXLVII. *Quaeres III.* An trina vel unica immersio in usu fuerit apud Graecos Latinosque? Resp. Trinam apud Graecos Latinosque constanter in usu fuisse, Patres superius a nobis laudati luculenter ostendunt. Ad finem tamen Saeculi VI. unica tantum immersio caepit in Hispaniis usurpari. Cum enim Ariani in ea regione trina baptismali immersione abuterentur, ut significarent tres esse distinctas naturas in tribus Personis Trinitatis, Catholici aliqui in odium ac detestationem Arianorum unicam tantum usurpandam esse immersionem statuerunt, negantibus aliis, ob haereticorum abusum fas esse ab antiquis moribus recedere. Consultus ea de re a Leandro Hispalensi S. Gregorius M. respondit Lib. I. Epist. XLIII. alias XLI.

Quod siquis forte etiam pro summae Trinitatis veneratione aestimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere: quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus Personarum Trinitas, et in una potest Divinitatis singularitas designari. Judicium Gregorii suum fecit *Synodus Toletana IV.* A. 633. Cap. VI. et *Vormatiensis* A. 868. Can. V.

CCXLVIII. *Quaeres IV.* Quinam ritus apud Graecos Latinosque observati fuerint in trina illa immersione? Resp. Antequam sacro fonte immergerentur baptizandi, protensa manu Satanae renuntiabant, ut refert *S. Cyrillus Jerosol.* Catech. I. Tum omnibus depositis vestibus toto corpore nudabantur, quam nuditatem veteres comparabant cum ea in qua creatus est Adam, quacum quisque nascitur et resurget, quacum Christus est Cruci affixus. Lex autem illa perfectae nuditatis omnes obstringebat, secluso necessitatis casu, adultos et infantes, immo et mulieres, quarum tamen pudori multis modis consulebatur ab Ecclesia. Foeminae enim separatim a viris baptizabantur, ut plurimum de nocte, in amplissimis baptisteriis suos recessus habentibus, qui pluribus simul continendis capaces erant: non nullis in locis velum extendebatur circa baptisteria; unde ad mergendum accedebat Sacerdos, cum audiebat potius quam videbat esse aliquem in aqua. Multis in locis erant Diaconissae, piae mulieres, quae foeminas ad baptismum venientes honeste nudabant et exuebant, dabantque operam, ne quid baptizantis oculis inverecunde objiceretur. His peractis baptizandi toto corpore

apud Graecos oleo sancto inungebantur a Sacerdote, foeminae vero a Diaconissis: apud Latinos omnes baptizandi in vertice tantum inungebantur. Tum demum minister apposita supra caput, vel supra humeros depressa manu, vel infra scapulas tenendo, vel de pondere sublatos ter immergebat, ad unamquamque immersionem unius tantum SS. Trinitatis Personae nomen appellans. Sic baptizati e sacro fonte exibant, et suscipiebantur, mulier a Diaconissis; vir autem aliquando a susceptoribus seu patrinis, aliquando a Diaconis, qui e sacro fonte nudos egredientes grandiori quodam velamine, quod *Sabanum* dicebatur, obvolvebant: tum veste candida quisque donabatur, ut memores essent se veterem hominem exuisse, et novum induisse.

CCXLIX. *Quaeres V.* Quae causa Latinae Ecclesiae fuerit abrogato immergendi ritu, infusionem substituendi? Resp. has afferri posse. I. Baptizandorum, praesertim vero parvulorum commodum, quibus ob tenellae aetatis infirmitatem immersio nocere poterat. Cum igitur ab aliquot jam retro saeculis in nostris regionibus raro contingat adultos ad suscipiendum baptismum accedere, vixque alii praeter infantes ad sacrum fontem deducantur, merito censuit Latina Ecclesia in Parvulorum gratiam etiam paucis illis adultis baptisma per infusionem conferendum esse uniformiter. II. Periculum, ne infans e manibus ministri forte elapsus, atque in profundum baptisterii delatus aquis suffocaretur, quod vice non una contigisse legimus. III. Propter mulierum pudicitiam, cui parcere et consulere voluit Ecclesia sicut et Ministrorum oculis, quibus sine multorum periculo nudae mulieres obiici vix possent, praesertim postquam desit in Ecclesia Latina Diaconissiarum ministerium.

OBJECTIONES.

CCL. *Objicitur I.* Exemplum Christi et Discipulorum. Christus Dominus baptizatus fuit a Praecursore per immersionem. Matth. Cap. III. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua.* Simili ritu usi sunt discipuli, praecipue Philippus baptismum Eunucho Reginae Candacis administrans; dicitur enim Act. Cap. VIII. *Descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum. Cum autem ascendisset de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum.* Ergo immersio pertinet ad essentiam baptismi. Resp. I. Antecedens nequaquam evinci ex locis citatis; potuerunt enim et Christus, et Eunuchus ille in aquam descendere, ut commodius baptizarentur per infusionem. Et profecto Christum per infusionem fuisse baptizatum communis est sententia, quam picturae antiquissimae multis in locis exhibent. Resp. II. Tr. A. N. C. Exemplum Christi, nisi accesserit praeceptum, legem necessitatis non imponit, nisi velis aquam etiam Jordanis pertinere ad essentiam baptismi, quia Christus in Jordane fuit lotus. Multa certe Salvator noster in conficiendis et dispensandis Sacramentis usurpavit, quae tamen ad substantiam et naturam illorum non pertinent.

CCLI. *Objicitur II.* Authoritas Pontificum, Canonum, et Conciliorum. Saeculo III. *S. Cornelius* Papa in Epist. ad Fabium Antiochenum, quam exhibet Eusebius Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. XLIII. Editionis Valesianae, scribit de Novatiano Antipapa: *Huic causam atque initium credendi praebuit Satanas in ipsum*

ingressus, atque in ipso aliquamdiu commoratus: cumque ab Exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus, dum jam jamque moriturus creditur, in ipso in quo jacebat lectulo perfusus baptismum suscepit; si hujuscemodi baptismum suscepisse dicendus est. Ergo S. Cornelius dubitavit de valore baptismi per infusionem dati. II. *CPolitanum I.* Can. VII. Eunomianos ad Ecclesiam revertentes baptizari jubet, eoquod unicam tantum immersionem usurparent. Simili de causa *Pelagius* II. in suo ad Gaudentium Rescripto baptizari denuo jubet Bonosianos, quia contra Evangelicum praeceptum unica tantummodo immersione utebantur. Ergo multo magis invalidus erit baptismus per infusionem datus. III. Canon L. inter Apostolicos poena depositionis plectit Episcopos aut Presbyteros trinam immersionem non observantes. R. C. A. N. C. Cornelius non dubitavit de valore baptismi Novatiano collati, sed gemina de causa baptismum illius carpit: I., quod irregularis ex tali baptismo factus, ad Ordines tamen sacros contra Canones, qui Clinicis hanc dignitatem conferri prohibent, fuisset promotus. II., propter defectum Confirmationis et Eucharistiae; quae Sacramenta cum non percepisset, non plenum baptismum dicitur habuisse, ut patet ex laudata Epistola Cornelii ad Fabium; scribit enim ille: *Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit quae juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab Episcopo consignatus est.* Ad II. Resp. I. tres tantum esse genuinos CPolitani I. Canones. Vide quae hac re diximus, Num. CLXXV. Resp. II. Ecclesia baptismum Eunomianorum merito reprobavit, I., quod in odium SS. Trinitatis, ejus invocationem inter baptizandum vel

omitterent vel adulterarent, ut aperte tradunt Theodoretus Lib. IV. Haereticarum Fabularum, Cap. III. *Idem* (Eunomius) *Sancti etiam Baptismatis legem olim a Christo et Apostolis traditam evertit, et contrariam aperte sanxit, non oportere dicens ter illum immergere qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem.* Et *S. Epiphanius* Haer. LXXVI. referens Eunomianos baptizasse *in nomine Dei increati, in nomine Filii creati, et in nomine Spiritus sanctificantis, atque a Filio procreati.* II. Quia eodem perverso consilio semel tantum, non ter mergebant, ne trina mersione viderentur Trinitatem Personarum in Deo comprobare. Eadem de causa, non ob unicam immersionem, sed ob violatam a Bonosianis baptismi formam, eorum baptismum minime ratum habuit Pelagius II., ut manifestum est ex citato Rescripto; dicitur enim ibi: *Baptizabant enim solummodo in mortem Christi.* Unde loco citato monet Pontifex, ut si in nomine Trinitatis baptizati illi fuisse deprehendantur, Catholicae fidei sint reconciliandi, omisse baptismi de novo conferendi mentione. Ad III. Resp. Praeterquam quod Canones illi authores non habeant Apostolos, sermonem ibi esse de Episcopo vel Presbytero, qui baptismum confert per unicam immersionem, absque invocatione trium Personarum SS. Trinitatis. Sic enim habet Canon ille I. *Siquis Episcopus aut Presbyter in una initiatione non tres immersiones, sed unam dumtaxat, quae in mortem Domini detur, peregerit, deponitor. Non enim dixit Dominus: In mortem meam baptizate; sed profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

CCLII. *Objicitur III.* Traditio. Patres qui primis Ecclesiae saeculis floruerunt, concordi voce asserunt, legem triplicis immersionis ex Apostolica authoritate descendere. Ergo si hic ritus non observetur, invalidum erit baptisma. P. A. ex *Tertulliano* Lib. de Corona militis, Cap. III. *S. Basilio* Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXVII. *Pelagio* II. in Rescripto ad Gaudentium, et *S. Hieronymo* in Dial. adv. Luciferianos: *Multa alia quae per traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare.* Prob. etiam consequentia. Quod ex Traditione Apostolica descendit, jure divino necessarium esse censetur ad substantiam Sacramenti. Sed trina immersio descendit ex Apostolica traditione. Ergo Resp. C. A. N. C. ad *probat.* D. M. Quod descendit ex traditione Apostolica simulque divina necessarium esse censetur ad substantiam Sacramenti, C. M. Quod tantum descendit ex traditione Apostolica et non divina, N. M. Et sic dist. min. N. C. Quae ab Apostolis tradita sunt, alia spectant fidem et mores, ac substantiam Sacramentorum, dicunturque *Traditiones Apostolico-Divinae*, quas numquam licet immutare, cum fides, et ea quae ad fidem pertinent reformari nequeant. Alia spectant ad disciplinam, Ecclesiae regimen, et ritum Sacramenta administrandi, dicunturque *Traditiones mere Apostolicae*, ab Apostolis tamquam Ecclesiae pastoribus profectae, quae justis de causis mutationi sunt obnoxiae. Sic quamvis traditio sit mere Apostolica, ut bigami et neophyti a Sacris Ordinibus excludantur, ut Eucharistia non nisi a jejunis sumatur, atque ut fideles a sanguine et suffocato abstineant; Ecclesia tamen semper si-

bi integrum esse putavit ea vel retinere, vel justis gravibusque de causis dispensare, aut etiam leges illas abrogare. Has inter traditiones secundi generis, nempe mere Apostolicas merito numeratur ritus immersionis in baptismo, utpote extrinsecus, accidentarius, et ad Sacramenti solemnitatem tantummodo pertinens.

CCLIII. *Dices 1.* Patres ritum immersionis annumerant Traditionibus Apostolico-Divinis, ad fidem et valorem Sacramenti spectantibus. Ergo. P. A. S. Chrysostomus in Hom. de fide ait: *Omnibus Mysteriis veluti sigillum imponens Dominus, in tribus mersionibus aquae unum baptisma discipulis suis tradidit. Theodoretus* Lib. IV. Haeretic. Fabularum, Cap. III. paulo ante laudato ait, Eunomium trinam immersionem abrogando, evertisse legem a Domino et Apostolis traditam. *Pelagius* II. in Rescripto ad Gaudentium ait: *Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi una etiam mersione se asserunt baptizare; Evangelicum vero praeceptum ipso Deo et Domino Salvatore nostro Jesu Christo tradente nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione Sanctum Baptisma unicuique tribuere.* Ergo Patres affirmant, ritum immergendi fuisse ab ipso Christo praeceptum, adeoque ad ipsam Baptismi substantiam pertinere. R. N. A. Ad *probat.* C. A. D. C. Patres affirmant ritum immergendi fuisse a Christo praeceptum in se et ratione sui, N. C. Ratione rei significatae, C. Conseq. Patres citati contendunt solummodo, tres personas SS. Trinitatis necessario ex praecepto divino esse exprimendas, ad quas significandas trina illa immersio ordinatur; quamquam etiam sine ea sufficiat sola verborum Evangelicorum prolatio, quibus baptismus consecratur. Bonitas responsionis patet 1. ex eo,

quia nullus Patrum trinam immersionem ita ex praecepto Christi necessariam esse docuit, ut sine illa nullus sit baptismus. II. Quia Theodoretus loco citato baptismum Eunomii improbavit ex eo capite, quod neque per verba formae, neque per applicationem materiae SSñam Trinitatem exprimeret. Pelagius pariter nonnullos reprehendit, quia solius Christi nomine invocato baptizabant, unica idcirco adhibita immersione. III. Quia Saeculo VI. S. Gregorius M. et Saeculo VII. Toletana IV. Synodus ratam habuere Episcoporum Hispaniae consuetudinem baptizandi unica adhibita immersione. Ergo quemadmodum Ecclesia judicavit trinam immersionem non pertinere ad substantiam baptismi, aut jure divino praeceptam non fuisse: ita etiam minime censuit, aquae baptismalis infusionem aut aspersionem valori Sacramenti obesse.

CCLIV. *Dices II.* Tali modo omnes Traditiones divinae eludi possent, dicendo eas esse mere Apostolicas, legesque ab Apostolis latas tamquam Pastoribus Ecclesiae, ideoque mutationi obnoxias. Ergo. R. N. A. Regula infallibilis secernendi traditiones divinas a mere Apostolicis est judicium Ecclesiae, infallibilis verborum Christi et Apostolicarum traditionum interpretis, quae est firmamentum et columna veritatis, adversus quam portae inferi numquam praevalebunt. Atqui haec judicavit, atque etiamnum judicat, Baptismum sive immersione una vel triplici, sive infusione aut aspersione collatum, esse validum.

CONTROVERSIA III.

DE FORMA BAPTISMI.

AN CHRISTUS ALIQUAM, ET QUAMNAM ILLAM BAPTISMI FORMAM PRAESCRIPSERIT?

Contra Marcitas, Paulianistas, Lutherum, Zwinglium, Socinum.

CCLV.

Haeretici ut reliqua dogmata, ita etiam formam Baptismi jam a primis Ecclesiae saeculis vitiarunt, haud dubie rati certa ac determinata verba a Christo non fuisse praescripta. De Gnosticis Marcitis scribit S. Irenaeus Lib. I. adv. Haeres. Cap. XXI. alias XVIII. *Baptizantes ita dicunt: In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit, in unione et redemptione et communione virtutum.* Immutatam fuisse legitimam baptizandi formulam ab Elcesaeis et Menandrianis refert *Theodoretus* Haeret. Fabul. Lib. I. Cap. II. et Lib. II. Cap. VII. Eamdem fuisse Sabellianorum, Paulianistarum, Photinianorum, Montanistarum, Eunomianorum perfidiam satis innuunt Canones Nicaeni et Laodiceni, et qui de Haereticis scripserunt, Augustinus, Epiphanius, Philastrius, ac Theodoretus. Horum exemplum secutos fuisse Arianos aliquos testantur *Theodorus Lector* Collectaneorum Lib. II. et *Nicephorus* Hist. Eccles. Lib. XIII. Cap. XXXV. ubi referunt a Deuterio Ariano Episcopo aliquem nomine Barbam CPoli baptizatum sub

hae forma: *Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu*, ac statim baptismalem aquam evanuisse. Constat etiam ex antiquo *Gregorii Turonensis* supplemento, atque ex *Joanne Biclariensi* in Chronico, non nullos in Hispania Gothos Arianos formam Baptismi non servasse: qui idcirco a S. Leandro Hispalensi Episcopo rebaptizati fuerunt. Eadem de causa Brunichildis Athanagildi Regis Hispaniarum filia, dum in Franciam venit Sigeberto Austrasiae Regi desponsanda, iterum baptizata est, teste *Aimoino* Monacho Floriacensi Lib. III. Hist. Franc. Cap. IV.

CCLVI. Lutherus, etsi verba Evangelica secundum Ecclesiae Catholicae morem retinuerit, ea tamen non ita necessaria esse censuit, ut iis praetermissis invalidum fore Sacramentum affirmaret, errore suis principiis plane consentaneo. Cum enim sola fide justificari hominem contendat, et verba Sacramentorum neget esse consecratoria, consequens fuit ut diceret, ab expressa Sanctissimae Trinitatis invocatione veritatem Baptismi non pendere, ac perinde esse quibuscumque demum verbis fides excitetur. Affirmat itaque Lutherus Lib. de Captivit. Babylon. Cap. de Baptismo, ratum esse Baptismum quibuscumque verbis collatum, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini detur: immo addit, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, tamen esse ratum, si suscipiatur in nomine Domini. Zwinglius in Lib. de vera et falsa religione, Cap. de Baptismo, sub finem aperte docet, non esse necessariam ullam certam verborum formam in Baptismo: licet dicat se non vetare, quo minus utamur sacris verbis jam receptis. Socinus in Tract. de Bapt. Cap. II. docet, baptizari in nomine Patris et

Filii et Spiritus Sancti, non esse baptizari invocatis tribus Sanctissimae Trinitatis Personis, sed instrui in fide Patris et Filii et Spiritus Sancti: ex quo consequitur validum fore baptismum, quando quis omissis verbis Evangelicis, praemissa tamen instructione fidei mysteriorum tingitur. Socino hac in re adhaesit Simon Episcopus Batavus, Arminianae factionis Theologus, putans haec verba Christi, *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, connecti posse cum verbo *docete*, seu discipulos facite: ac verba illa, *baptizantes eos*, esse intra parenthesin collocanda, ita ut sensus sit: Baptizantes docete, qui sit Pater, quis Filius, quis Spiritus Sanctus: et in hac doctrina discipulos facite.

CCLVII. Theologi quidam Catholici antiquiores, quamvis faterentur formam baptismi a Christo praescriptam fuisse; putarunt tamen non tantum Apostolorum aetate valuisse, sed nostris etiam temporibus adhuc valere baptismum in solo Christi nomine collatum. Ita *Hugo Victorinus* Lib. II. de Sacram. Parte VI. Cap. II. *Magister Sententiarum* Lib. IV. Dist. III. *Hadrianus Florentius*, postea *Hadrianus VI.* et *Card. Cajetanus* in Commentariis; ex quibus tamen in editione altera Romana jussu S. Pii V. expuncta fuit haec sententia. Alii vero ex antiquis et numero plures et authoritate potiores docuerunt, Apostolos quidem ex legitima causa dispensationis, nempe ad majorem nominis Christi commendationem et celebritatem apud primos Christianos promovendam, baptizasse in solo Christi nomine: sed sublata hac dispensationis causa, non amplius ratum esse baptisma, nisi expresse invocatis tribus Divinis Personis. Ita *Guilielmus Altissio-*

dorensis, *Alexander De Ales*, *S. Bonaventura*, *Scotus*, atque etiam *S. Thomas*. Quamquam S. Thomas hypoteticam dumtaxat responsionem affert, nec ad dispensationem confugit, nix ex hypothesi, quod Apostoli in solius Christi nomine baptizarint: cujus facti noluit expendere veritatem, Scholasticae dumtaxat methodo intentus. Horum Theologorum antiquatam jam opinionem nostris temporibus renovare ac illustrare conatus est *Jos. Augustinus Orsi* Ord. Praedic. postea S. R. E. Cardinalis, dum Romae Theologum Casanatensem ageret. Nuper etiam sententiam hanc problematice pertractavit *Renatus Billuart*, Dissert. I. de Sacram. Baptismi, Artic. II. Paragr. III.

CCLVIII. Saeculo XII. alia inter Scholae Doctores quaestio excitata est, an nimirum praeter expressam ac distinctam Sanctissimae Trinitatis invocationem, forma baptismi necessario exprimere debeat actionem Ministri, *Ego te baptizo*; ita ut si minister aquam infundens, vel mergens, Evangelica tantum verba pronuntiet, *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, omissis verbis illis, *Ego te baptizo*, Sacramentum valide non conficiat? *Petrus Cantor* Parisiensis Ecclesiae Theologus in Summa de Sacramentis manuscripta, quae asservatur in Biblioteca Victorina, *Praepositivus* in IV. Parte Summae Theologicae, *Hugo Victorinus* Lib. II. de Sacram. Parte VI. Cap. XIII. et *Stephanus Tornacensis* Epist. V. ad Petrum Pontium Claromontanum, censebant verba illa, *Ego te baptizo*, pertinere tantum ad solemnitatem, ideoque baptismum sine illis collatum, esse validum. Contra aliorum sententia fuit, haec verba ex Christi praecepto ad Sacramenti substantiam pertinere.

CCLIX. *Conclusio I.* Christus certam verborum formam in baptismo usurpandam praescripsit, nimirum expressam invocationem trium Personarum Sanctissimae Trinitatis, quae Sacramento huic omnino est essentialis. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Christus *Matth.* Cap. XXVIII. post resurrectionem suam Apostolis diserte praecepit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Ergo Christus determinatam ac certam verborum formam praescripsit, sine qua baptismus valide non conficitur, ut satis innuere videtur Apostolus, qui cum Act. Cap. XIX. discipulos quosdam Joannis Baptistae interrogasset, *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? - - - - His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Nimirum quia baptismus Joannis, quo illi abluti erant, collatus fuerat absque forma a Christo praescripta, qua tres Personae Sanctissimae Trinitatis clare exprimuntur.

CLX. Prob. II. ex doctrina Patrum, qui maximo consensu docent, distinctam invocationem trium Personarum Sanctissimae Trinitatis baptismo essentialem esse, et sine ea numquam in Ecclesia fuisse collatum. *S. Justinus M.* in Apologia II. pro Christianis scribit: *In nomine rerum cunctarum Parentis, et Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, et Spiritus Sancti in aqua tunc lavantur.* Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. XIII. *Lex tingendi imposita est, et forma praescripta. Ite, inquit, docete Nationes, tingentes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Origenes in Cap. VI. Epist. ad Rom. *Cum utique non habeatur*

legitimum baptisma, nisi sub nomine Trinitatis. S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XII. *Fides perficitur per baptismum, baptismus vero fundamento fidei nititur, et utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* S. Ambrosius Lib. de Mysteriis, Cap. IV. *Credit Catechumenus in Crucem Domini Jesu, qua et ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire.* S. Augustinus Lib. VI. de Bapt. contra Donat. Cap. XXV. *Certa* (sunt) *illa Evangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari.* Quae autem sint illa verba, declaraverat jam S. Doctor Lib. III. de Bapt. Cap. XV. *Si Evangelicis verbis, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.* S. Leo M. Epist. XVI. alias IV. ad Episcopos Siciliae : *Formam et potestatem* (Christus) *tradidit baptizandi, dicens:; Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* S. Fulgentius Lib. de Incarnatione et Gratia, Cap. XI. *Doctor igitur et largitor aeternae salutis hanc ideo formam Sancti Baptismatis dedit.* S. Isidorus Lib. II. de Officiis Eccles. Cap. XXIV. *Si omissa qualibet Trinitatis Persona baptisma detur, manifeste in regenerationis aqua nil agitur, nisi tota Trinitas invocetur.* S. Gregorius M. Lib. IX. Epist. LXI. *Hi vero haeretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur ---- cum ad Sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia baptismus non fuit, quod in errore positi in Sanctae Trinitatis*

nomine minime perceperunt. Nec potest hoc ipsum baptisma dici literatum, quod in Trinitatis nomine non erat datum. S. Joan. Damascenus Lib. VI. de Fide Orthod. Cap. X. *Fieri non potest ut in Christum credamus, nisi Patris et Filii et Spiritus Sancti confessione imbuti simus. - - - Enimvero quaenam verborum forma adhibenda esset, Dominus discipulis suis exposuit: Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Zacharias Papa relatus Dist. IV. de Consecr. Cap. LXXXIII. *Si lotus in fonte baptismi quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti fuerit baptizatus.*

CCLXI. Prob. III. ex praxi Ecclesiae, quae ex Decretis Conciliorum elucet. Ecclesia in approbando vel rejiciendo haereticorum baptismo ad exactam praecipue observationem vel corruptionem formulae Evangelicae attendit. Ergo Ecclesia, quae iterationem baptismi semper execrata est, censuit formam hanc a Christo praescriptam, non ad solemnitatem, sed ad substantiam baptismi pertinere, ita ut sine illa invalidus omnino sit baptismus. P.A. *Arelatense I.* A. 314. Can.VIII. ait: *Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum; et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponantur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Nicaenum I. Can. XIX. Paulianistas jussit rebaptizari, non vero Novatianos: cujus rei rationem assignat *S. Innocentius* Epist. XXII. ad Episcopos Macedoniae, quia nimirum Novatiani baptismum Evangelicis verbis consecrabant, quibus

non utebantur Paulianistae. Caeterum cur expressa trium Personarum Sanctissimae Trinitatis invocatio ad valorem baptismi necessario requiratur, ratio adaequata alia non est quam institutio Christi, qui hoc convenienter omnino voluit; cum enim Baptismus sit Sacramentum fidei, ideo decuit illum non confici nisi expresse ac singillatim invocatis tribus Sanctissimae Trinitatis Personis, utpote quae est primarium objectum fidei, et fundamentum salutis.

CCLXII. *Conclusio II.* Baptismus in solius Christi nomine collatus, numquam valuit, aut valere potest. Prob. Ex una parte expressa trium Personarum Sanctissimae Trinitatis invocatio a Christo Domino praescripta fuit *Matth.* Cap. XXVIII, estque omnino necessaria ad valorem Baptismi, ut paulo ante ostendimus: ex altera parte nullum extat sufficiens fundamentum asserendi, per divinam dispensationem concessum fuisse Apostolis, ut in nomine solius Christi baptizarent. Ergo. P. A. quoad alteram partem. In Scripturis divinis altum ubique est de hac dispensatione silentium: neque ex eo quod Apostoli dicantur baptizasse in nomine Jesu, evincitur omissam ab eis fuisse Patrem et Spiritum Sanctum, ut patebit ex solutione objectionum, et invicte ostenditur authoritate Patrum, qui praeterquam quod nulla facta exceptione generaliter doceant, expressam invocationem trium Personarum SS. Trinitatis omnino necessariam esse ad valorem baptismi, ea ipsa Scripturarum loca exponentes, in quibus aliqui baptizati dicuntur in nomine Christi, asserunt reipsa eos fuisse baptizatos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sic S. Cyprianus Epist. LXXIII. ad Jubajanum ait: *Jesu Christi mentionem facit Petrus,*

N 6

non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adiungeretur. S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XII. *Neminem in fraudem inducat illud Apostoli, quod nomen Patris, et Spiritus Sancti mentionem in Baptismatis commemoratione frequenter omittit; neque ideo patet usum harum vocum esse indifferentem. - - - Siquidem Christi appellatio totius Deitatis est professio; quippe quae simul declarat et Deum qui unxit, et Filium qui unctus est, et Spiritum Sanctum qui est unctio. - - - Videtur et Spiritus tantum fecisse in baptismate mentionem Apostolus: Omnes enim, inquit, in uno corpore et in uno Spiritu baptizati sumus - - at non ideo quis dixerit, perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem.* Similia habent Didymus Lib. II. de Spiritu Sancto. Origenes in Cap. VI. Epist. ad Rom. S. Augustinus Lib. II. contra Maximinum, Cap. XVII. Facundus Hermianensis Lib. I. pro defensione Capitulorum, Cap. III. Ven. Beda Lib. variarum Quaestionum, Quaest. XIV. S. Joan. Damascen. Lib. IV. de Fide Orthod. Cap. X. Theophilactus in Cap. ult. Lucae, aliique. Ergo cum neque Scriptura, neque Patres hujus factae dispensationis meminerint, fatendum est, non aliter umquam, nec ipsis exceptis Apostolis, quam adhibita trium Personarum Sanctissimae Trinitatis invocatione, baptismum fuisse administratum.

CCLXIII. *Conclusio III.* Praeter expressam trium Personarum Sanctissimae Trinitatis invocationem, etiam haec verba, *Ego te baptizo*, aut alia aequivalentia, sunt de essentia baptismi. Dixi, *aut alia aequivalentia*; si enim voci *baptizo* substitueret quis vocem *tin-*

go, *abluo*, *mergo*, etc. valide baptizaret, quia unus idemque est harum vocum sensus. Neque etiam pronomen *Ego* absolute necessarium est; satis enim actio et persona ministri per verbum *baptizo* exprimitur, persona vero quae baptizatur, per pronomen *te*, quin proprio nomine compelletur. Probatur Conclusio I. Authoritate Scripturarum. Christus Matth. Cap. XXVIII. verbis illis, *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, aeque adstruit necessitatem invocandi Sanctissimam Trinitatem, ac exprimendi actionem baptizantis, ut constat ex traditione, et perpetua praxi Ecclesiae, quae fidelis est et infallibilis verborum Christi sponsi sui interpres. Prob. II. Authoritate Pontificum. Alexander III. Extra, de Bapt. et ejus effectu Cap. *Si quis*, ait: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen: non est puer baptizatus.* Eugenius IV. in Decreto pro Armenis? *Cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum; si exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctae Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Alexander VIII. A. 1690. propositionem hanc inter damnatas ordine XXVII. proscripsit: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, praetermissis illis, Ego te baptizo.* Ergo vera est hujus contradictoria. *Numquam valuit baptismus sub hac forma collatus* etc. Prob. III. Ratione Theologica, quam affert *S. Thomas* III. Parte, Quaest. LXVI. Artic. V. ad II. *Dicendum, quod quia ablutio*

hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formae ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur ad Coloss. Cap. III. et ideo si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrum, vel per modum Graecorum, non perficitur Sacramentum.

CCLXIV. *Quaeres I.* Quaenam sit forma baptizandi apud Graecos? Resp. hanc: *baptizatur servus*, vel si sit foemina, *Serva Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Multorum equidem apud Latinos Theologos aetate, praeterita opinio fuit, Graecos non absolutam, sed deprecativam in Baptismo conferendo adhibere formam, dicendo, *Baptizetur servus Dei* etc. Unde Eugenius IV. in Decreto pro Armenis utrumque modum refert, et approbat: at vero ex sola Graeci textus lectione in Euchologio apud Goarium et Arcadium perspicuum est, Graecos modo indicativo dicere, *Baptizatur servus Dei.*

CCLXV. *Quaeres II.* An forma Graecorum sit valida? Resp. affirmative, quia eumdem habet sensum cum forma Latinorum, cum apud Graecos id ipsum passivo verbo exprimatur, quod apud Latinos activo. Neque umquam Latini a Graecis postularunt, quando de unione utriusque Ecclesiae actum est, ut antiquam suam baptizandi formulam immutarent: quin immo Eugenius IV. in Decreto pro Armenis eam ratam habuit, dicens: *Nec tamen negamus, quin et per illa verba, baptizetur, vel baptizatur manibus meis talis servus, vel serva Dei, in nomine Patris etc. verum perficiatur baptisma.* Quod si etiam daretur, Graecos

forma deprecativa uti dicendo, *Baptizetur servus Dei*; nihilominus validum foret baptismus. Nam ad formae substantiam nihil interest, sive verbis absolutis sive deprecativis enuntietur; alioqui Poenitentia et Extrema Unctio, quae verbis deprecativis a Graecis consecrantur, vera desinerent esse Sacramenta. Neque obest authoritas *Innocentii IV*. negantis legitimum fore baptismum, quem Graecus in Latina Ecclesia conferret adhibita forma apud Graecos consueta. Haec enim opinio fuit Sinibaldi Flisci, (ita ante Pontificatum vocabatur) privati Doctoris, non vero Innocentii IV. Catholicae Ecclesiae Pastoris.

CCLXVI. *Quaeres III.* Cur modum loquendi passivum Graeci in ministrando baptismo adhibeant? Resp. duabus potissimum de causis. I. est, quia haec loquendi formula modestiam baptizantis indicat, qui ne videatur sibi primarium baptismi ministerium arrogare, non audet in prima persona dicere, *Ego te baptizo.* Unde S. Chrysostomus Hom. I. in Acta Apostolorum expendens ea verba, *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*, scribit: *Neque dixit, Ego vos baptizo Spiritu Sancto, sed baptizabimini, nos docens, ut modeste de nobis sentiamus.* II. assignat Arcudius Lib. I. Concordiae, Cap. VIII, ut eorum nempe occurreretur errori, qui cum Corinthiis dicebant: *Ego sum Pauli. Ego sum Cephae etc.* quasi significare vellent, baptismum vel a Paulo, vel a Cepha, aut ab alio quocumque ministro suam trahere virtutem: qui error non in Graecia tantum irrepserat, sed etiam in Africa ad Donatistas dimanaverat.

OBJECTIONES.

CCLXVII. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Infirmitas argumenti ex Scripturis petiti. Ex illis verbis Christi Matth. Cap. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, evinci non potest necessitas haec verba pronuntiandi in ipsa collatione baptismi. Ergo ruit primarium conclusionis nostrae fundamentum. P. A. I. Ex illis verbis evinci non potest necessitas dicendi, *Ego vos doceo*, dum nempe infideles notitia Mysteriorum fidei imbuuntur. Ergo neque evinci potest necessitas dicendi in ipsa collatione baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris etc.* Prob. idem Anteced. II. Illud *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* non significat in expressione et invocatione, sed in virtute ac fide Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ergo non probatur necessitas haec verba pronuntiandi in ipsa administratione baptismi. P. A. Quando in Actibus Apostolorum legimus, Apostolos baptizasse in nomine Christi, *Nomen* idem ibi significat, ac virtutem et vim, non vero appellationem nominis Christi, ut ipsi dicimus Conclusione II. Ergo etiam verba illa, *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, ita intelligenda sunt. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Actio qua quis docet, per semetipsam satis determinata est ad hoc, quin addantur haec verba, *Ego vos doceo*: At vero actio baptizantis de se est indifferens, ideoque per aliquid speciale determinari debet ad actionem sacram et Sacramentalem, nimirum per expressam trium Personarum Sanctissimae Trinitatis invocationem, et intentionem

baptizantis: qua vult facere quod facit Ecclesia. Caeterum missa etiam ratione disparitatis a priori, omnium efficacissima est ea, quae ex voluntate Christi petitur. Christus noluit, ut in collatione baptismi haec verba, *Ego vos doceo*, necessario addantur; voluit autem ut expresso nomine invocentur tres Personae Sanctissimae Trinitatis, hancque Christi voluntatem Ecclesia ac Traditio nobis declararunt. Ad *probat.* II. N. A. Ad hujus *probat.* C. A. N. C. Ecclesia verba illa Christi, *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, intellexit semper de virtute et expressa invocatione Patris et Filii et Spiritus Sancti; illud vero *in nomine Christi*, quod in Actibus Apostolorum saepius occurrit, de sola virtute et fide Christi. Praeterea *Matth.* Cap. XXVIII. agitur de forma baptismi, in Actibus vero Apostolorum de sola ejus necessitate.

CCLXVIII. *Dices.* Saltem sufficit generatim dicere: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.* Ergo non requiritur necessario expressa et distincta invocatio trium Personarum. P. A. Qui confuse Trinitatem appellat, tantum dicit, quantum qui singillatim Patrem nominat, Filium, et Spiritum Sanctum. Ergo. Resp. N. A. Ad *probat.* D. A. Tantum dicit in se atque a parte rei, C. A. Tantum dicit habita ratione Sacramenti, et quantum ad formam Baptismi requiritur, N. A. Christus, ut Scriptura et Traditio aperte testantur, voluit ut in Baptismo plena et explicita fieret fidei professio, invocando singillatim tres Divinas Personas.

CCLXIX. *Objicitur II.* contra II. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Act. Cap. II. ait Petrus: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* Act. Cap. VIII. *Cum vero*

credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Act. Cap. X. *Jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Ergo valet Baptismus in solo Christi nomine collatus, aut saltem temporibus Apostolorum valuit ob speciale privilegium ipsis concessum. Resp. C. A. N. C. Nam. I. juxta Cyprianum, Augustinum, Basilium, aliosque Patres quos paulo ante Num. CCLXII. laudavimus, quamvis ibi Scriptura unam tantum personam nominet, caeteras tamen non excludit. II. Nullum hujus dispensationis vestigium extat in Scriptura aut Patribus; immo contrarium satis manifeste innuere videtur Apostolus *Act.* Cap. XIX. interrogans illos qui de Spiritu Sancto nihil audiverunt: *In quo ergo baptizati estis?* III. Baptizari *in nomine Christi* idem est, ac baptizari in fide Christi, in ejus virtute et authoritate, ut nempe baptismus Christi discriminetur a baptismo Joannis. Et profecto *nomen* saepius usurpari pro virtute seu authoritate, is ipse Actuum Apostolicorum liber manifeste ostendit; dicitur enim Cap. III. *In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula.* Et Cap. IV. Sacerdotes et Scribae interrogant Petrum et Joannem: *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?*

CCLXX. *Dices I.* Scriptura caeteras personas positive excludit. Ergo. P. A. Act. Cap. VIII. dicitur de Samaritanis: *Baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Ergo. Resp. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Haec vox *tantum* non excludit hic caeteras personas, sed receptionem Spiritus Sancti per impositionem manuum, id est, per Sacramentum Confirmationis, ita ut sensus sit: Samaritani solum Christi Baptisma su-

sceperant; nondum vero Spiritus Sanctus illis datus erat eo modo sensibili, quo tunc temporis dabatur in Sacramento Confirmationis. Patet id manifeste ex integro contextu; dicitur enim Act. Cap. VIII. *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.*

CCLXXI. *Dices II.* Quamvis Scriptura expressis verbis mensionem non faciat hujus dispensationis, congrue tamen dici potest, Apostolos in solo Christi nomine baptizasse ad majorem nominis Christi commendationem et celebritatem. Ergo. Resp. N. A. Nam I. cum certo constet, *Matth.* Cap. XXVIII. Christum Apostolis eorumque Successoribus praecepisse ritum baptizandi cum expressa et distincta invocatione trium Personarum, tacente Scriptura fingendae non sunt ejusmodi dispensationes, nisi evidens ratio, authoritas Patrum, aut praxis Ecclesiae evincant in lege generali dispensatum fuisse. II. Nulla major gloria Christi excogitari potest, quam quod ille sit cum Patre et Spiritu Sancto indivisa atque ineffabili naturae communione conjunctus, Patri et Spiritui Sancto aequalis. Ergo expressa invocatio aliarum duarum Personarum, Patris nempe et Spiritus Sancti, non obscuravit, sed maximis incrementis auxit gloriam Christi. III. Nulla hujus dispensationis urgebat necessitas; poterat enim nomen Christi in forma baptismi enuntiari, quin supprimeretur nomen Patris et Spiritus Sancti: neque ulla

id suadebat utilitas, ut nomina illa tacerentur; quia etiam ab exordiis praedicationis Evangelicae nullus adultus sine fide explicita Trinitatis licite baptizari potuit. Ergo haec dispensatio omnino commentitia est.

CCLXXII. *Objicitur III.* Authoritas Pontificum. I. *S. Stephanus* Papa videtur admisisse Baptismum in solius Christi nomine collatum, ut colligitur ex S. Cypriano, qui Epist. LXXIII. ad Jubajanum scribit: *Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, immo et contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque et quomodocunque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate?* II. Idem *S. Stephanus*, ut refertur in Actis passionis, quae *Baronius*, vocat fide dignissima, in crypta Nepotiana CVIII. tam viros quam mulieres baptizavit in nomine Domini Jesu Christi. III. *S. Nicolaus* I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. CIV. scribit: *Hi profecto* (Judaei vel Pagani) *si in nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt; (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius,) constat eos non esse denuo baptizandos.* R. ad I., incertum plane esse an S. Cyprianus l. c. de Stephano loquatur; ait enim tantum, *Quidam dicunt*: qui vero illi sint, non explicat. Profecto si Epistola illa, quam citat S. Cyprianus, esset genuina Stephani, scripsisset eam Stephanus ad Cyprianum, ad quem Decretum suum contra Rebaptizantes prius direxerat, non vero ad Jubajanum in remotioribus Africae partibus Episcopum. Epistola vero quae baptismum in nomine Christi collatum probabat, non im-

mediate missa est ad Cyprianum, sed in Jubajani manus cum incidisset, illius exemplar ad S. Cyprianum ille transmisit: nec Cyprianus tribuit ipsam Stephano, sed Authoris tacito nomine illam refellit. Quod si praefracte contendas Cyprianum de Stephano loqui, ajo Cyprianum non assecutum fuisse mentem Stephani; quia per baptismum in nomine Christi Stephanus non intelligebat baptismum in sola nominis Christi invocatione, sed virtute et authoritate Christi institutum et datum; et quidem apposite ad statum controversiae quam cum Cypriano habebat, ut nempe ostenderet parum referre a quo Baptismus conferatur, modo sit Baptismus Christi, id est, virtute authoritate Christi institutus. Ad II. R. ut prius, intelligi ibi per ea verba Baptismum Christi, sive in virtute et authoritate Christi collatum. In illis enim ipsis Actis passionis S. Stephani Papae refertur, Nemesium Tribunum militum his verbis a Stephano baptizatum fuisse: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizo te.* Ad III. jam respondimus Tomo III. Num. CDLIV.

CCLXXIII. *Objicitur IV.* Authoritas Patrum *S. Cyprianus* Epist. LXXIII. ad Jubajanum docet, quod Apostoli baptizarint Judaeos in nomine Jesu, Gentiles vero in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. II. S. Hilarius Lib. de Synodis scribit: *Ne postremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti jussi, tantum in Jesu nomine baptizaverunt.* III. *S. Ambrosius* Lib. I. de Spiritu Sancto, Cap. III. Baptismum in solius Christi nomine collatum, legitimum esse censet, quia in Christi nomine caetereae Sanctissimae Trinitatis Personae intelliguntur. *Quemadmodum*, inquit, *si unum in ser-*

mone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum: ita etiam quamvis et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. — — Si Christum dicas, et Patrem a quo unctus est, et ipsum qui unctus est Filius, et Spiritum Sanctum quo unctus est, designasti. IV. *S. Bernardus* Epist. CDIII. alias CCCXL. interrogatus quid esset sentiendum de baptismo in extremis collato sub ista verborum formula: *Baptizo te in nomine Dei, et Sanctae ac verae Crucis*, sic respondet: *Ego vere hunc baptizatum puto, nec sonum vocis veritati fidei, et pietati intentionis praejudicare potuisse. — — Legimus sane in Actibus Apostolorum non modo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, verum et in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos.* Resp. ad I. S. Cyprianum non loqui de forma baptismi, sed de professione publica illius qui baptizandus erat; aitque a Judaeis postulatam fidem in Christum, quem antea aversabantur: a Gentilibus autem expressam professionem fidei in Trinitatem, quia unum in tribus Personis non agnoscebant Deum. Ad II. Resp. S. Hilarius id unum evincere conatur, Actuum loca, in quibus Apostoli dicuntur baptizasse *in nomine Domini Jesu*, non esse contraria Evangelio, in quo dixit Christus Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*: At vero minime contendit Apostolos in nomine solius Christi revera baptizasse. Igitur juxta S. Hilarium baptizare in nomine Christi idem est ac baptismum conferre virtute et authoritate

Christi; alioquin Actus Apostolici manifeste contradicerent Evangelio, et Apostoli mandatum Christi violassent. Ad. III. Resp. S. Ambrosium non agere ibi de forma Baptismi, sed vel de illius effectu, qui quamvis in Scripturis uni tantum personae tribuatur, toti Trinitati, adeoque etiam Spiritui Sancto convenit: vel loqui ibi de fide baptizandi, non de fide quam minister baptismi conceptis verbis exprimit. Ait nimirum S. Doctor, quod baptizandus, ut consequatur effectum Sacramenti, debeat credere Mysterium Sanctissimae Trinitatis, hancque fidem suam satis exprimat, si unam personam nominet, et fidem in reliquas habeat; quia exprimendo unam personam, intelliguntur aliae, cum una non possit esse sine aliis, et omnes eamdem naturam habeant. Certe necessariam esse ex parte baptizantis distinctam et explicitam invocationem trium Personarum in administratione Baptismi, et quidem ex Christi institutione, asserit S. Ambrosius Lib. II. de Sacramentis, Cap. V. *Venit Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, praesentiam Filii et Spiritus Sancti. Utitur verbis coelestibus. Coelestia verba quae sunt? Quod baptizemur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Et Lib. II. Cap. VII. *In uno autem nomine baptizari nos jussit, hoc est, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Noli mirari, quia dixi unum nomen, ubi est una substantia, una Divinitas, una majestas. Hoc est nomen de quo dictum est: In quo oportet omnes salvos fieri.* Ad IV. Resp. singularem hanc et privatam S. Bernardi opinionem (siquidem Epistola illa genuinus sit S. Doctoris foetus, qua de re complures ex Eruditis dubitant) omnino deserendam esse, tamquam Scripturae et Traditioni contrariam, im-

probarique etiam ab iis qui asserunt, Apostolos olim ex privilegio in solius Christi nomine baptismum administrasse. Vide hac de re plura apud *Natalem Alexandrum* Dissert. XIII. Hist. Eccles. Saec. III. *Le Drouven* de Re Sacramentaria Lib. II. Quaest. III. *Harduinum* in Quaest. Triplici de Baptismo.

CCLXXIV. *Objicitur V.* contra III. Conclusionem, Silentium Veterum. Haec verba, *Ego te baptizo*, non fuerunt in usu primis Ecclesiae saeculis. Ergo non pertinent ad substantiam Baptismi. P. A. Patres qui multa scripserunt de Baptismo, horum verborum nullibi meminerunt ante saeculum VI. Ergo verba illa non fuerunt in usu primis Ecclesiae saeculis. R. N. A. Ad *probat*. C. A N. C. quamvis Patres multa scripserint de Baptismo, numquam tamen exponere omnia aggressi sunt, quae ad Baptismi confectionem pertinent. Magis itaque solliciti erant atque attenti in demonstranda necessitate invocationis SS. Trinitatis, ob haereticos eam vitiantes, quam in commemorandis verbis quibus actio baptizantis exprimitur, utpote a nemine haereticorum in controversiam adductis. Saeculo VI. S. Gregorius M. in suo Sacramentario hanc formulam, *Ego te baptizo*, diserte refert ut ritum jam diu in Ecclesia receptum, non ut recens a se institutum. Ergo nisi adversarii ostendant, a quo Pontifice vel Concilio haec forma praescripta fuerit, legitime a nobis infertur, hanc formulam semper in Ecclesia Dei fuisse usurpatam.

CCLXXV. *Objicitur VI.* Authoritas *S. Augustini*, qui Hom. XXIII. inter L. formulam hanc videtur rejicere; ait enim: *Medicus bonus* (Christus) *aegros non solum praesentes sanabat, sed et futuros etiam praevidebat. Futuri erant homines qui dicerent, Ego*

peccata dimitto, *ego justifico, ego sanctifico*, *ego sano quemcunque baptizo.* Resp. S. Augustinus l. c. non damnat illa verba, *Ego te absolvo. Ego te baptizo etc*; sed Donatistas perstringit, qui alios velut peccatores sceleribus oneratos aspernabantur, et insolenter gloriabantur, a se propriis meritis et authoritate propria, non vero authoritate Christi, vel ex vi et efficacia Sacramentorum, peccata dimitti.

CCLXXVI. *Objicitur VII.* Inutilitas. Actio baptizantis est manifesta. Ergo verba illa, *Ego te baptizo*, sunt inutilia. R. D. A. Est manifesta, sed tamen adhuc de se indifferens ad actionem Sacramentalem, C. A. Jam de se determinata, ut sit actio Sacramentalis, N. A. et Conseq. Constans ac perpetua Ecclesiae traditio et praxis satis ostendit, Christum voluisse, ut actio baptizantis exprimeretur: in iis autem quae a beneplacito et voluntate Christi pendent, alia ratio exigi nequit quam voluntas praecipientis. Neque dicas, in Sacramento Confirmationis actionem ministri apud Graecos non exprimi, qui hac formula utuntur, *Signaculum donationis Spiritus Sancti*, ac nihilominus ut validum agnosci ab Ecclesia Sacramentum hoc ritu collatum. Praeterquam enim quod a Graecis chrismatio per illa verba ad esse Sacramenti determinetur, actio ministri in ea formula implicite continetur, quia subintelligitur *tibi do*, vel *tibi datur signaculum etc.* At vero si nihil aliud in forma baptismi diceretur quam *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, actio baptizandi ne implicite quidem exprimeretur.

CCLXXVII. *Objicitur VIII.* Infirmitas probationis. Quamvis post Decretum Alexandri III. relatum in Jus Canonicum a Gregorio IX. Baptismus valide am-

plius perfici nequeat sine his verbis, *Ego te baptizo*, nondum tamen evincitur, baptismum sine illis verbis collatum numquam valuisse. Ergo. P. A. Verba illa nunc ad baptismum se habent per modum conditionis sine qua non; ante Constitutionem vero Alexandri III. non ita se habebant. Ergo Baptismus sine verbis illis nunc equidem validus non est: at vero validus olim fuit ante Constitutionem Alexandrinam. *Confirm.* Ecclesia potuit ad valorem Matrimonii exigere, ut contrahatur in facie Ecclesiae. Ergo etiam ad valorem Baptismi potuit exigere, ut actio baptizantis exprimatur his verbis, *Ego te baptizo*. Ita *Morinus*, Lib. VIII. de Sacram. Poenitentiae, Cap. XVI. Resp. N. A. Ad *probat.* N. A. Si ante Constitutionem Alexandri III. Baptismus absque verbis actionem ministri exprimentibus valuisset, subsequentibus vero temporibus haud amplius valeret, facta fuisset mutatio formae substantialis; accidentalis enim mutatio non obest valori Sacramentorum. Atqui hoc dici nequit, cum Ecclesia in Sacramentorum substantiam non habeat potestatem. Ergo Baptismus sine verbis illis, *Ego te baptizo*, collatus numquam fuit valide. Praeterea si illa verba essent tantum conditio sine qua non, et nullo modo pars formae, posset sine illis haberi tota forma, tota materia et intentio. Ergo etiam totum Sacramentum. Ad *confirmat.* C. A. N. C. Matrimonii et Poenitentiae materia consistit in aliquo morali: cum autem rei moralis bonitas non semper sit absoluta in se, sed relativa ad varias temporum, locorum, et personarum circumstantias, a quibus plerumque dependet, Christus Ecclesiae suae prudentiae ac sapientiae subjecit moralem illorum Sacramentorum materiam, in quibus administrandis potest, prout expedire judicave-

rit, certas apponere leges et conditiones, non quidem ut mutetur illorum Sacramentorum materia; sed ut inhabiles declarentur vel ministri ad conficienda, vel suscipientes ad percipienda Sacramenta. Sicque inhabiles ad contrahendum matrimonium declarati sunt a Tridentino, qui illud non contrahunt coram proprio Parocho et testibus: et inabilis declaratur Sacerdos, quamquam valide et legitime ordinatus, ad absolvendum a peccatis, nisi jurisdictionem habeat et Episcopi Ordinarii approbationem. At vero materia Baptismi in aliquo physico consistit, forma vero in certis verbis a Christo determinatis posita est. Ergo si observetur materia et forma a Christo praescripta, semper ratum erit Baptisma; nec potest Ecclesia aut addere aut detrahere quidquam ex iis quae Christus instituit tamquam absolute necessaria ad valorem baptismi. Ergo si olim valuit baptismus absque his verbis, *Ego te baptizo*, etiam post Constitutionem Alexandrinam valeat necesse est.

CONTROVERSIA IV.

AN BAPTISMUS JOANNIS DIVERSUS FUERIT NATURA ET EFFICACIA A BAPTISMO CHRISTI ?

Contra Protestantes.

CCLXXVIII.

Antiquus fuit Petiliani Donatistarum in Africa Episcopi error, unum esse Baptismum Christi et Joannis Praecursoris, tribus tamen gradibus consecratum; ita ut aquam Joanni, Spiritum Sanctum Christo, ignem denique Paraclito tribueret. Errorem hunc refellit *S. Augustinus* Lib. II. contra Litteras Petiliani, Cap. XXXIV. *Ubi est ergo quod supra dixeras, non alium baptismum fuisse Joannis, alium Christi, sed unum baptismum tribus gradibus consecratum, quorum trium graduum aquam Joannes, Spiritum Christus, ignem Paraclitus dedit? Cur ergo aquam repetiverunt Apostoli in eis quibus jam Joannes aquam dederat pertinentem ad unum baptismum tribus gradibus consecratum? Cernis certe quam sit necessarium, ut sciat quisque quod loquitur.* Saeculi XII. initio Bogomili, ex Paulicianorum deliriis conflati haeretici, docuerunt baptisma nostrum, quia in aqua fit, esse baptisma Joannis; baptisma vero suum esse baptisma Christi, quod fit per Spiritum: unde quotquot e Catholicis ad sectam suam transibant, suo iterum baptismo tingebant, ut refert *Euthimius Zigabenus* in Panoplia, Parte II. Tit. XXIII. Cap. XVI.

CCLXXIX. Quamvis Lutherus initio praedicationis suae inter utrumque baptismum discrimen statueret, ut patet ex ejus disputatione de Baptismo Legis, Joannis, et Christi, edita A. 1520. in qua asserit, Baptismum Joannis nec Sacramentum fuisse, nec peccata remisisse, atque eo tinctos ab Apostolis iterum fuisse baptizatos: Protestantes tamen hanc Magistri sui sententiam rejecerunt, quod parum cohaereat cum alio doctrinae Lutheranae capite circa efficaciam Sacramentorum mere obiectivam, quae tota consistit in eo, quod fidem excitet. Quare Philippus Melanchton in Locis A. 1558. Tit. de Bapt. totum discrimen utriusque Baptismi in eo reponit, *quod Joannes*, inquit, *de passuro Christo, Apostoli de passo et resuscitato praedicabant; ministerium tamen fuit idem, et effectus eosdem habuit in credentibus.* Melanchtoni suffragantur Alesius, Lossius, Bucerus, Chytraeus, Brentius, Centuriatores Magdeburgici, Selneccerus, Zwinglius, Calvinus, Kemnitius, aliique: cum baptismus Joannis aeque fidem excitare potuerit, per quam solam juxta ipsos homo justificatur, ac Baptismus Christi.

CCLXXX. Neque defuerunt inter ipsos etiam Catholicos Doctores absonae quaedam de baptismo Joannis opiniones. Prima fuit *Petri Lombardi* Magistri Sententiarum, qui Lib. IV. Dist. II. distinguit duo genera baptizatorum a Joanne: unum eorum, qui sic a Joanne baptizabantur, ut spem ponerent in eo baptismo, absque notitia Spiritus Sancti, et hos fatetur baptizandos fuisse baptismo Christi: alterum eorum, qui spem suam in baptismo Joannis non collocabant, et Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum credebant, atque his baptismum Christi ajebat necessarium non fuis-

se. Altera opinio fuit eorum, qui baptismum Joannis verum fuisse Sacramentum putabant, vel ad veterem legem pertinens, ut volunt *Lombardus* et *Durandus*; vel mediam occupans locum inter veterem novamque Legem, ut olim senserunt *S. Bonaventura* in IV. Sentent. Dist. II., et *S. Thomas* in IV. Dist. II. Quaest. II. Artic. I. verum cum nulla Lex media fuerit inter veterem novamque, dari etiam non potuit Sacramentum medium inter Sacramenta duarum Legum. Hinc merito a priori sua sententia recessit S. Thomas III. Parte, Quaest. XXXVIII. Artic. I. ad I. ubi expresse ait, baptismum Joannis non fuisse per se Sacramentum, sed quasi quoddam Sacramentale, disponens ad baptismum Christi.

CCLXXXI. *Conclusio I.* Baptismus Joannis natura et substantia diversus fuit a Baptismo Christi. Prob. Ille ritus natura ac substantia diversus fuit a Baptismo Christi, qui nec Sacramentum fuit, nec Christum habuit authorem, nec ejusdem formae fuit ac necessitatis. Atqui talis fuit baptismus Joannis. Ergo. Prob. min. quoad singula membra. Ac I. quidem baptismus Joannis non fuit Sacramentum, tum quia signum non fuit stabile ac permanens, sed brevissimo duravit tempore; tum quia nec veteris nec novae Legis Sacramentis adnumerari potest: non veteris; quia *Lex et Prophetae usque ad Joannem*, ut dicitur Lucae Cap. XVI. non novae; quia nec a Christo institutus fuit, nec vim habuit delendi ex se peccata, nec Ecclesia umquam illum inter Sacramenta Evangelica numeravit. Medium itaque veluti locum tenuit inter ritus et caeremonias veteris novaeque Legis. Unde *Tertullianus* Lib. IV. contra Marcionem, Cap. XXXIII. scribit:

Nos limitem quemdam agnoscimus Joannem constitutum inter vetera et nova, ad quem desineret Judaismus, et a quo inciperet Christianismus. II. Christum non habuit authorem. Hinc in Scripturis vocatur tantum *Baptismus Joannis.* Haec autem denominatio non potest significare, Joannem ministrum dumtaxat fuisse illius baptismi, sed etiam authorem: alioqui Baptismus Christi potuisset etiam vocari baptismus Petri, Pauli, aut Andreae, qui fuere tantum illius causae ministeriales. Neque obstat, quod baptismus Joannis in Scripturis dicatur esse *e coelo* et *Consilium Dei* vocetur: non enim negamus eum a Deo fuisse institutum, sed mediante ipso Joanne. Deus in genere solum inspiravit, et inspiratione illa mandavit Joanni, ut baptizaret; sed ritum in particulari, quo baptizandum esset, ipse Joannes instituit, non a Deo praescriptum accepit. *Nos*, ait Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. X. *possumus aestimare divinum quidem eum baptismum fuisse mandato, non potestate.* III. eamdem cum Baptismo Christi formam non habuit. Colligitur id manifeste ex Cap. XIX. *Actuum* Apostolicorum, ubi baptizati a Joanne interroganti Paulo an Spiritum Sanctum accepissent, responderunt: *Sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus.* Caeterum an Joannes in suo baptismo aliqua verborum forma usus fuerit, id omnino incertum est. Conjiciunt aliqui ex verbis illis Act. Cap. XIX. *Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens: In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum*, Praecursorem Domini hac formula baptismum suum administrasse: *Baptizo vos in eum qui venturus est.* Verum illa Apostoli verba Act. Cap. XIX. videntur tantum significare, Joannem, antequam

baptismum suum conferret, serio admonuisse populum, ut in venturum Messiam crederet. Ea forma profecto uti non potuit S. Praecursor, quando Christum, et alios post incoeptum Christi ministerium baptizavit; tunc enim vera non fuisset formae hujus significatio, siquidem Christus a Patre suo jam tum declaratus fuerat Messias et Dux populi, quando a Joanne baptizatum delapsa de coelo voce Filium suum dilectum Pater coelestis amantissime compellavit. IV. Baptismus Joannis non ejusdem necessitatis fuit ac Baptismus Christi: hic enim omnes obstringit tam parvulos quam adultos; ille vero, cum esset baptismus poenitentiae, a solis adultis suscipi poterat, nullusque post susceptum Christi baptismum, Joannis baptismo initiari debuit.

CCLXXXII. *Conclusio II.* Baptismus Joannis efficacia diversus fuit a Baptismo Christi. Prob. I. argumento duplici ex Scripturis petito. Ipse Praecursor Domini, ut Pharisaeis ostenderet Christum esse se fortiorem, in probationem assumit differentiam Baptismi Christi a suo. Ergo non fuit utriusque baptismi par virtus et efficacia. P. A. *Matth.* Cap. III. ait ipse Joannes: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni.* Marci Cap. I. *Ego baptizavi vos aqua: ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.* Joan. Cap. I. *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. XV. reponit, Joannem noluisse citatis verbis baptismum suum a baptismo Christi distinguere; sed personam suam cum Christi persona contulisse, declarasseque se ministrum

dumtaxat aquae, illum vero Spiritus Sancti datorem esse. At falso haec et imperite dicuntur: siquidem Joannes et personam suam et baptismum suum distinguit a persona et baptismo Christi; ait enim se baptizare dumtaxat in aqua, Christum vero in Spiritu Sancto. Profecto si totum discrimen in eo reposuisset Joannes, quod ipse minister esset aquae, Christus vero sit author gratiae, nihil habuisset singulare; in baptismo enim Christi Apostoli non erant authores gratiae, sed ministri dumtaxat aquae: habuit tamen Baptismus Joannis istud singulare, ut semper Joannis baptismus appellatus fuerit; Baptismus autem Christi unsquam dictus sit baptismus aut Petri, aut Pauli, aut alterius ministri. Alterum argumentum ducitur ex Cap. XIX. *Actuum* Apostolicorum. Paulus baptizatos a Joanne baptizavit de novo Ephesi. *His auditis, baptizati sunt in Nomine Domini Jesu.* Atqui si idem foret baptismus Joannis quoad vim et efficaciam cum baptismo Christi, inutiliter et contra legem egisset Apostolus, quia nefas est semel rite baptizatum iterum tingere.

CCLXXXIII. Prob. II. Authoritate Patrum Graecorum et Latinorum. *S. Cyrillus Jerosol.* Catech. III. ait, tantum differre baptismum Joannis a baptismo Christo, quantum ipse Joannes Christo fuit inferior. *S. Basilius* Exhortat. ad Baptismum: *Baptisma illud* (Joannis) *vim habeat introducendi*: *hoc* (Christi) *perficiendi. Illud erat secessus a peccato : hoc conjunctio est cum Deo.* S. Chrysostomus Hom. XI. in Cap. III. Matthaei. *Spiritus Sancti gratia in Christi baptismate est : Joannis vero baptisma hac donatione privatur. S. Cyrillus Alexandr.* Lib. II. in Joan. Cap. LVII. eos qui contra sentiunt hac in re, temerarios

esse dicit. *Tertullianus* Lib. de Bapt. Cap. X. ait de Baptismo Joannis: *Nihil enim coeleste praestabat, sed coelestibus praeministrabat, poenitentiae scilicet praepositus.* – – – *Agebatur itaque baptismus poenitentiae, quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturae. S. Ambrosius* in Cap. III. Lucae: *Aliud fuit baptisma poenitentiae, aliud gratiae est. S. Optatus Milevitanus* Lib. V. contra Parmenianum, probat alterum fuisse Christi baptismum, et alterum Joannis, quia rebaptizatum est post Joannem, non vero post Christum. *S. Jeronymus* in Dial. adv. Luciferianos scribit: *Joannes Spiritum Sanctum non dedit, quem Cornelius Centurio, antequam baptizaretur, accepit? Responde, quaeso, cur non dederit? Ignoras? Audi quid Scripturae doceant: Joannis baptisma non tam peccata dimisit, quam baptisma poenitentiae fuit in remissionem peccatorum, id est, futuram remissionem, quae esset postea per sanctificationem Christi subsecutura.* S. Augustinus in Enchiridio, Cap. XLIX. *Non renascebantur, qui baptismate Joannis baptizabantur, a quo et ipse baptizatus est: sed quodam praecursorio illius ministerio qui dicebat, Parate viam Domino, huic uni in quo solo renasci poterant parabantur.* Et Lib. V. de Bapt. contra Donastistas, Cap. X. *Quaero itaque, si baptismo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius praestare potuit baptismus Christi iis quos Apostolus Paulus post baptismum Joannis Christi baptismo voluit baptizari?* Calvinus tanto Patrum numero pressus exclamat, Lucae magis quam Chrysostomo aliisque Patribus credendum esse. At respondeo quaestionem non esse, cui magis credendum sit, Lucae, an Patribus; sed an Lucam melius intellexerit Calvinus, quam tot

Patres Graeci Latinique? Igitur expensa hac constanti Ecclesiae Traditione, Concilium *Tridentinum* Sess. VII. Can. I. de Baptismo merito definivit: *Siquis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.*

CCLXXXIV. *Quaeres.* An fide divina credendum sit, Baptismo Joannis ex opere operato remissa non fuisse peccata? Resp. certum equidem id videri ob communissimam Patrum authoritatem; ab Ecclesia tamen id aperte definitum non fuisse. Ex Canone enim primo Concilii Tridentini de Bapt. id unum evincitur, certa fide tenendum esse, quod major fuerit vis et efficacia Baptismi Christi quam Baptismi Joannis. Quare haeresis accusari nequit, qui existimat Baptismum Joannis vim et efficaciam aliquam ex opere operato habuisse ad tollenda peccata; modo teneat Baptismum Joannis tantum fuisse inferiorem Baptismo Christi, quantum Praecursore Messias praecellit.

OBJECTIONES.

CCLXXXV. *Objicitur I.* contra II. Conclusionem, Infirmitas primi argumenti ex Scripturis petiti. Matth. Cap. III. Joannes non comparat baptismum suum cum vero Christi baptismo, sed cum illa copiosa et abundanti donorum effusione, quae sub specie linguarum ignearum facta est die Pentecostes; ait enim: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni.* Ergo ex eo loco nihil evincitur. P. A. Ipse Christus Act. Cap. I. dixit Apostolis: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Ubi vides, per Baptismum in Spiritu Sancto

O 6

indicari effusionem donorum die Pentecostes faciendam. R. N. A. Joannes baptismum suum comparat et cum vero baptismo Christi, et cum abundantiore coelestium donorum effusione, quae non ad baptismum praecise, sed ad Confirmationis Sacramentum magis referenda est, et primis Ecclesiae temporibus visibilis erat sub specie ignis. Patet id I. ex eo, quia Joannes non tantum verbo de futuro *baptizabit, baptizabimini*, sed etiam de praesenti utitur. *Joan.* Cap. I. *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Baptismus vero Christi ante Ascensionem collatus, certe conjunctus non erat cum illa abundanti et visibili donorum effusione. II., quia Baptismus in Spiritu Sancto vere, proprie, ac principaliter denotat Baptismum Christi, cujus necessitas potissimum ostenditur ex illis verbis Christi *Joan.* Cap. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Id est, nisi quis baptizatus fuerit baptismo Christi. Ad *probat.* C. A. N. C. Verba Christi ad Apostolos jam baptizatos exponi aliter non possunt quam de missione Spiritus Sancti: Joannis autem verba de Sacramento Baptismi Christi exponenda esse asserunt Patres, et ipse contextus clare indicat.

CCLXXXVI. *Objicitur II.* Infirmitas alterius argumenti et Scripturis petiti. Verba illa Act. Cap. XIX. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu*, non sunt S. Lucae Historici, sed Pauli Apostoli narrantis, qua ratione post praemissam instructionem fuerint illi ab ipsomet Praecursore in nomine Jesu baptizati: vel si verba sint ipsius Sacri Historici, nempe S. Lucae, refertur ibi tantum eos a Paulo in Mysteriis fidei plenius instructos fuisse, ita ut baptismus metaphorice ibi sumatur pro abundantiori donorum Spiritus Sancti

largitione : aut denique si vere fuerunt baptizati, ideo factum est, quia tantum a discipulis Joannis baptizati fuerant, violato legitimo ac praescripto Joannis ritu. Ergo ex eo loco nihil evincitur. Resp. N. A. quoad omnia tria membra. I. dici nequit, quia haec expositio nova est, antiquis omnibus incognita, absque ullo prorsus fundamento conficta; non enim Joannes, sed Apostoli baptizabant in nomine Christi, id est, vi et authoritate Christi: et ex S. Luca aperte colligitur, Ephesios illos ab eo fuisse baptizatos, a quo fuerunt illis manus impositae. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant.* Alterum pariter omni verisimilitudine destituitur; Scriptura enim loco cit. aperte distinguit baptismum et impositionem manuum, per quam collata fuit abundatior gratia Spiritus Sancti: et vox *Baptismus* sine ullo addito, significat in Scripturis aquae lotionem, seu verum baptismum; numquam vero in Baptismus solitarie sumptus usurpatur pro instructione vel doctrina. Quod tertio loco dicitur, tacente Scriptura totaque antiquitate, gratis confictum est; nullibi enim in Scripturis legitur, discipulos Joannis ejusdem baptismum ministrasse, ac multo minus substantialem quemdam ejusdem baptismi ritum omisisse. I. Act. Cap. XIX. Apostolus loqui videtur de baptismo ab ipso Joanne ministrato. *Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum.* Ergo Ephesii illi, quos iterum baptizari jussit Apostolus, vero Joannis baptismo tincti fuerant, quamvis contrarium asserere videantur *S. Ambrosius* Lib. I. de Spiritu Sancto, Cap. III. et *Eulogius* Alexandrinus Lib. II. adversus Novatianos, apud

Photium in Biblioth. Codice CCLXXX., qui hac in re merito a nobis deferuntur, quod communissimam aliorum Patrum sequamur.

CCLXXXVII. *Objicitur III.* Authoritas Scripturarum. Baptismus Joannis gratiam contulit sanctificantem. Ergo eamdem habuit cum Baptismo Christi efficaciam. P. A. Institutus fuit in remissionem peccatorum. Ergo cum juxta Catholicos peccata sine infusione gratiae sanctificantis remitti nequeant, contulisse dicendum est gratiam sanctificantem. P. A. *Marci* Cap. I. dicitur: *Fuit Joannes in deserto baptizans, et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Et *Lucae* Cap. I. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.* Resp. I. N. C. Quamvis daretur Protestantibus, ea virtute praeditum fuisse baptismum Joannis ut peccata deleret ex opere operato, ex eo tamen nondum conficitur, eum aequalis fuisse cum baptismo Christi efficaciae; quia per illum uberior dari potuit gratia, quam per baptismum Joannis. Resp. II. D. A. Baptismus Joannis gratiam contulit sanctificantem ex se, et ex opere operato, sicut eamdem confert baptismus Christi, N. A. Ex opere operantis, et intuitu poenitentiae, cujus Joannes erat praeco, et ad quam disponebantur ab eo baptizati, C. A. N. C. Joannes baptismum poenitentiae praedicabat, ut per poenitentiam Judaeos disponeret ad remissionem peccatorum virtute baptismi Christi obtinendam: atque id circo a *S. Luca* dicitur Cap. I. *Ad dandam scientiam salutis*, non vero *ad dandam salutem*; quia Joannes peccatum non sustulit, sed digito Agnum Dei monstravit, qui tollit peccata mundi: alias opus non fuisset parare viam Messiae venturo, si salutem dedisset ipse Joannes.

CCLXXXVIII. *Objicitur IV.* Authoritas Patrum. Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. IV. scribit: *Nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur: neque quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tyberi tinxit.* Ergo juxta Tertullianum baptismus Joannis eamdem habuit efficaciam, quam baptismus Christi a Petro collatus. II. S. Basilius Hom. I. de Bapt. ait: *Baptismus Joannis nullam prorsus efficiebat perveniendi ad gratiam Dei dilationem: simul atque accesserat quis, et peccata sua quantacunque et qualiacunque fuisset confessus in Jordanis flumine baptizabatur, et confestim peccatorum remissionem accipiebat.* Idem asserere videntur S. Cyrillus Jerosol. Catech. III. *Joannis Baptismus remissionem peccatorum praestabat.* Et S. Petrus Chrysologus Serm. CXXXVII. *Erat penes Joannem venia, sed non sine poenitentia.* Resp. C. A. N. C. De mente Tertulliani nullus prudenti dubio locus esse potest, ut patet expendenti textus ex eodem a nobis in probatione Conclusionis laudatos. Itaque loco cit. non comparat ille Baptismum Joannis et Christi ratione efficacie seu effectus, sed tantum ratione materiae, quae eadem fuit in utroque baptismo. Contendit nimirum ibi omnem aquam veram et naturalem, undecunque advecta sit, esse sufficientem baptismi Christi materiam, quia omnis naturalis aqua praeveniente Spiritus Sancti virtute sanctificatur. Ad II. Resp. Basilium, aliosque Patres hoc unum affirmare, quod baptismus Joannis peccata remiserit, non ex se et virtute sibi propria, id est, ex opere operato; sed ex opere operantis; et virtute adjunctae poenitentiae quam praedicabat Joannes: et quia proxime Judaeos ad Chri-

sti gratiam praeparabat, quem S. Praecursor et canebat adfuturum, et adesse monstrabat, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

CCLXXXIX. *Objicitur V.* Ratio Theologica. Tempore praedicationis Joannis Baptistae una fides dabatur, unus Deus, unus Pater, una spes vocationis, unus Spiritus, unum corpus. Ergo etiam unum baptisma. Ergo baptismus Joannis non differebat a baptismo Christi. Resp. I. Ergo temporibus etiam Moysis et Davidis dabatur Christi baptismus, quia tunc etiam idem erat Deus, idem Dominus, idem Pater, eadem fides, eadem spes? Ergo ab haereticis valide non administratur baptismus Christi, quia apud eos nec unum corpus est, nec unus Spiritus, nec eadem fides? Resp. II. C. A. N. C. Apostolus ad *Ephes.* Cap. IV. non probat idem esse baptisma, ubi est idem Deus eademque fides; secus baptismus Christi non differret a baptismatibus Judaeorum, qui eumdem Deum eamdemque fidem quoad substantiam nobiscum habebant: sed probat servandam esse a nobis Christianis sollicite unitatem spiritus in vinculo pacis; quia unum Deum, unam fidem, spem unam, unamque baptismum habemus.

CCXC. *Dices I.* Christiani unum eumdemque baptismum habent cum suo Capite. Atqui Christiani habent baptismum Christi, Christus vero baptismum Joannis. Ergo baptismus Christi et Joannis idem sunt baptismus. P. M. Juxta Apostolum I. ad *Cor.* Cap. XII. omnes per baptismum efficimur unum corpus. At unum corpus efficimur non solum inter nos, sed etiam cum Christo. Ergo idem baptisma habemus cum Christo. Resp. N. M. Baptismus Christi est lavacrum regenerationis et adoptionis filiorum; Christus autem Fons

et origo omnis sanctitatis, etiam ut homo Filius Dei naturalis, nec regeneratione nec adoptione indiguit, et characterem suum in aliis imprimere maluit, quam baptismum suum accipere, ut sic nimirum Imperatorem se ac Principem hujus novae militiae ostenderet. Voluit tamen nihilominus a Joanne baptizari, Dominus a servo, tum ut luculentum demissionis suae exemplum nobis relinqueret, tum ut contactu sacratissimae carnis suae aquas sanctificaret: tum denique ut Spiritus Sancti illapsu tamquam columbae, et voce Patris e coelis emissa Divinitatem suam comprobaret, seque Ducem sanctioris populi a Daniele praedictum exhiberet. Ad *probat.* D. M. Si sermo sit de ipso Capite, N. M. Si sermo sit de membris, C. M. Fideles efficiuntur unum corpus Christi per baptismum, quia per hoc Sacramentum regenerantur, et Christo inseruntur. At Christus factus est Caput nostrum, non per baptismum, sed per gratiam unionis hypostaticae.

CCXCI. *Dices II.* Si Baptismus Joannis idem non fuisset cum Baptismo Christi, nec ipse Praecursor Christi, utpote neque a Christo neque ab Apostolis baptizatus, immo neque ipsi Apostoli fuissent unum corpus Christi, quia nullibi in Scripturis legitur eos fuisse baptizatos baptismo Christi. Atqui sequela non potest admitti. Ergo. Resp. N. M. Praecursorem Domini quod attinet, certum est, si non aqua, ut quidam contendunt, saltem Spiritu a Christo Domino baptizatum fuisse, non eo solum tempore quo ad ripas Jordanis baptismum poenitentiae praedicabat, sed jam in utero matris existentem: ideoque Ecclesia Sanctam Baptistae nativitatem solemni ritu celebrat. Caeterum non tenebatur Joannes, secundo praedicationis Christi anno

jussu Herodis Antipae interemptus, Evangelica Baptismi Lege, quae die Pentecostes post Ascensionem Dominicam ab Apostolis Jerosolymis promulgata eos primum obligare coepit, in quorum notitiam devenerat. Fuit itaque Joannes etiam sine baptismo aquae membrum Christi, eo modo quo Moyses et Prophetae. Quamvis enim una semper fuerit Ecclesia, unumque corpus mysticum; fideles tamen non eodem semper Sacramento adiungebantur huic corpori, ut patet in Lege naturae, Mosaica, et Christiana. Apostolos Baptismo Christi baptizatos fuisse quamvis Scripturae non asserant, asserunt tamen Patres, praecipue S. Augustinus Epist. CCLXV. alias CVIII. ad Seleucianam scribens: *Non omnia quae facta sunt, etiam scripta inveniuntur, verumtamen facta esse ex caeteris documentis probantur. Scriptum est quando baptizatus sit Apostolus Paulus, et scriptum non est quando baptizati sint alii Apostoli; verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus: quemadmodum scriptum est quando baptizatae sint plebes Ecclesiarum in Jerusalem et Samaria; quando autem baptizatae sint aliae plebes Gentium, quibus Apostoli epistolas miserunt, non est utique scriptum, et tamen etiam ipsas baptizatas utique minime dubitamus propter illam Domini sententiam. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum coelorum.*

CONTROVERSIA V.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Contra Calvinum.

CCXCII.

Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XV. Paragr. XX. quamvis fateatur multis abhinc saeculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiae exordio usu receptum fuisse, ut extrema urgente necessitate laici baptizent; negat tamen id ulla ratione posse defendi, ideoque satius esse in extremo etiam vitae periculo ad Deum et preces confugere, quam a laico nullam habente authoritatem baptismum percipere. Error hic ex alio consequitur, de quo plura dicemus Controversia VII., contendit enim Calvinus baptismum non esse adeo necessarium, ut sine eo aeterna salus obtineri nequeat, sed adultis ad obtinendam gratiam sanctificantem sufficere fidem, parvulos vero ex fidelibus parentibus progenitos, etiam antequam nascantur, a Deo adoptari, eoquod ad novum foedus pertineant. Caeterum an Calvinus baptismum a foemina vel a laico in casu necessitatis collatum, nullum omnino atque irritum habuerit, an illicitum dumtaxat, non satis exploratum est: unde Calvini discipuli inter se non consentiunt. *Arcudius* Lib. I. de Concordia, Cap. XI. refert, multos in Graecia et Moscovia aliisque regionibus, quae Graeco ritu utuntur, ex imperitia in eo versari errore, ut absente Presbytero malint permittere ut infantes sine baptismo ex hac vita decedant, quam eos salutari lavacro abluere;

quod existiment sibi laicis ne in extrema quidem necessitate licere hoc munere fungi. Verum imperitorum quorumdam error toti Ecclesiae Graecae non est adscribendus. Saeculo III. et IV. Episcopi rebaptizantes a conferendo in casu necessitatis baptismo laicos Catholicos non videntur exclusisse; reprobabant tamen baptismum ab haereticis Episcopis vel Presbyteris aeque ac laicis nondum baptizatis collatum, eoquod neminem, quamtumvis veram fidem habeat, dare posse sentirent quod non habet. Quare Cypriani, Firmiliani, Basilii, aliorumque rebaptizantium Episcoporum authoritas Calvino paucisque Graecis illis non suffragatur, cum hi et omnes omnino laicos, quamtumvis baptizatos, excludant, et baptismum ab haereticorum ministris collatum ratum habeant.

CCXCIII. *Conclusio I.* Primarius Baptismi minister ordinarius et ex officio est Episcopus; Presbyter vero secundarius et ex licentia Episcopi, ac cum subordinatione ad illum. Prob. Authoritate Scripturarum. Christus solis Apostolis et discipulis, eorumque successoribus Episcopis ac Presbyteris mandavit; ut ex officio baptizarent. Matth. Cap. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Ergo soli Episcopi et Presbyteri sunt Baptismi ministri ordinarii et ex officio.

CCXCIV. Porro ministerium hoc a Presbyteris non obeundum esse sine dependentia ac subordinatione ad Episcopum, prob. I. Authoritate Patrum. *Tertullianus* Lib. de Bapt. Cap. XVII. ait: *Dandi quidem* (Baptismum) *habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate, propter Ecclesiae honorem, quo*

salvo, *salva pax est*. S. Hieronymus in Dial. contra Luciferianos: *inde venit*, *ut sine chrismate et Episcopi jussione*, *neque Presbyter*, *neque Diaconus jus habeat baptizandi*. *S*. Ambrosius Lib. III. de Sacram. Cap. I. *Audistis lectionem*. *Succinctus est Sacerdos*; *licet enim Presbyteri fecerint*, *tamen exordium ministerii a Summo est Sacerdote*. Et omnibus his antiquior S. Ignatius Martyr in Epist. ad Smyrnaeos ait, *non esse licitum sine Episcopo nec baptizare*, *nec agapen celebrare*. Prob. II. ex praxi antiquae Ecclesiae. Constat primis Ecclesiae saeculis certis diebus solemnioribus, Paschatis nimirum et Pentecostes, baptismum a solo Episcopo fuisse administratum, tum ad majorem Ordinis Episcopalis commendationem, tum denique quia tunc temporis Baptisteria in Cathedralibus tantum ac praecipuis Ecclesiis constituta erant. Posteaquam autem Baptisteria in Ecclesiis Parochialibus erecta fuere, indiscriminatim facta est Presbyteris Parochiae illius curam gerentibus potestas, non postulata etiam illa singulari ab Episcopis facultate, baptismum solemniter administrandi aut per se, aut etiam per alios Presbyteros. Immo lapsu temporis Episcopi aliis negotiis pro Ecclesiae bono distenti, baptizandi onus Presbyteris reliquerunt, quod hodierna Ecclesiae praxis demonstrat. Prob. III. Ratione. Baptizatus fit membrum Ecclesiae, et in ejus privilegiorum communionem admittitur. Atqui aliquem alicujus communitatis membrum constituere, eique illius privilegia communicare, pertinet primo et per se ad principem illius communitatis; et Episcopus quilibet est Princeps Ecclesiae in sua dioecesi. Ergo primo et per se administratio baptismi pertinet ad Episcopum.

CCXCV. *Conclusio II.* Diaconi sunt Ministri Baptismi etiam solemnis, sed extraordinarii tantum et ex delegatione, non ex officio. Prob. prior pars Conclusionis tum exemplo Philippi Diaconi, qui *Act.* Cap. VIII. baptizavit Simonem Magum, et Eunuchum Reginae Candacis, tum testimonio Tertulliani et S. Hieronymi, quos paulo ante laudavimus. Altera pars Conclusionis prob. I. Authoritate Patrum. *S. Epiphanius* Haer. LXXIX ait: *Neque Diaconis ullum in Ecclesiastico ordine Sacramentum perficere conceditur.* Intellige ex potestate ordinaria. *S. Gelasius I.* Epist. IX. ad Episcopos Lucaniae: *Diaconos constituimus propriam servare mensuram, nec ultra tenorem a paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus. --- Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis Ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat.* S. Isidorus Hispalensis Lib. II. de Offic. Cap. XXIV. *Constat, baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum; ejusque ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat.* Prob. II. Ratione *S. Thomae* III. Parte, Quaest. LXVII. Artic. I. *Dicuntur Diaconi quasi ministri; quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, et quasi ex proprio officio praebere; sed adhibere ministerium aliis majoribus in Sacramentorum exhibitione. Et sic ad Diaconum non pertinet quasi ex proprio officio tradere Sacramentum baptismi: sed in collatione hujus Sacramenti et aliorum assistere et ministrare majoribus.* Atque hinc communis est Theologorum sententia, Diaconum fieri irregularem, si absque facultate Episcopi vel Presby-

teri solemniter baptizet, ut habetur Cap. *Siquis* Lib. V. Decretal. Tit. XXVIII. *Siquis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia, et numquam ordinetur.*

CCXCVI. Caeterum quamvis Diaconi extraordinarii tantum sint ministri baptismi, multis tamen modis a Clericis inferioribus et laicis differunt. Nam. I. Diaconi ad conferendum Episcopi aut Presbyteri jussu baptismum ipsa sua ordinatione delegantur. II. Diaconis potest justa et legitima de causa committi munus extraordinarium baptizandi publice et solemniter, qui honor inferioribus Clericis, multoque minus laicis numquam deferri potest, utpote qui, urgente etiam quacumque necessitate, secreto tantum baptismum ministrare possunt, omissis Ecclesiae caeremoniis, non ab alio quam a Presbytero, vel ejus jussu a Diacono perficiendis.

CCXCVII. *Conclusio III.* Urgente extrema necessitate, valide et licite administrare potest baptismum quilibet homo, etiam laicus, sive vir sive foemina, sive fidelis, sive infidelis. Prob. I. Authoritate Patrum. *Tertullianus* Lib. de Bapt. Cap. XVII. laicum fidelem alloquens ait: *Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris* (jure baptizandi) *sicubi aut loci aut personae conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum viget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit praestare, quod libere potuit.* Ac paulo ante dixerat: *Alioquin etiam laicis jus est*; (dandi baptismum) *quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest. --- Proinde et baptismus aeque Dei census ab omnibus exerceri po-*

test. S. Hieronymus in Dial. adv. Luciferianos : *Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis* (baptizare) *ut enim accipit quis, et dare potest.* S. Augustinus Lib. II. contra Epist. Parmeniani, Cap. XIII. *Quamquam etsi laicus aliquis pereunti* (Baptismum) *dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addidicit, nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum.* Quod de laicis fidelibus dixerat, extendit etiam ad infideles Lib. VII. de Bapt. contra Donatistas, Cap. LIII. *Nequaquam dubitarem habere eos baptismum, qui ubicumque, et a quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, et cum aliqua fide accepissent : quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, qua Catholicae insererentur Ecclesiae.*

CCXCVIII. Prob. II. Authoritate Pontificum. *S. Nicolaus I.* in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. CIV. ait: *A quodam Judaeo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Sanctae Trinitatis - - - baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos.* Urbanus II. Epist. ad Vitalem, apud *Gratianum* Cap. *Super quibus*, Causa XXX. Quaest. III. *Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut et baptismus sit, si instante necessitate foemina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.* Eugenius IV. in Decr. pro Armenis : *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui competit ex officio baptizare. In casu autem necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel*

mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.

CCXCIX. Prob. III. Authoritate Conciliorum. Concilium *Compendiense* A. 756. Can. IX. ait: *Siquis baptizatus est a Presbytero non baptizato, et Sancta Trinitas in ipso baptismo invocata fuerit, baptizatus est.* Lateranense IV. Cap. *Firmiter*, ait: *Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, consecratur in aqua, tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiae a quocunque rite collatum, proficit ad salutem.* Ratio a priori, cur baptismus in casu necessitatis licite a quocunque conferatur, est voluntas et institutio Christi. Ut enim observat *S. Thomas III.* Parte, Quaest. LXVII. Artic. III. *Inter omnia Sacramenta maximae necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem: quia pueris aliter omnino subveniri non potest, et adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi, et quantum ad culpam et quantum ad poenam. Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est, ut et materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quae a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit quicunque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur.*

CCC. *Quaeres I.* An Baptismus a ministro non ordinato collatus nulla urgente necessitate, validus sit? Resp. validum esse, sed illicitum. Prob. assertio I. Authoritate *S. Augustini*, qui de homine laico baptizante scribit Lib. II. contra Epist. Parmeniani, Cap.

XIII. *Sed etsi nulla necessitate usurpetur* (baptizandi munus) *et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum.* Prob. II. Ratione manifesta. Ad valorem neque pauciora ex parte Sacramenti, neque ex parte ministri requiruntur in necessitate, quam extra necessitatem: nam Sacramentorum essentia una est et invariabilis, et si in ministro extra casum necessitatis requireretur ordinatio aut specialis jurisdictio, eadem etiam requireretur urgente qualibet necessitate. Ergo cum baptismus in casu necessitatis valide a quocumque, etiam a laico quam tumvis infideli conferatur, valide pariter quamvis illicite, etiam extra casum necessitatis a ministro non ordinato confertur.

CCCI. *Quaeres II.* An quando plures adsunt qui baptizare possunt et volunt, servandus sit inter illos aliquis ordo etiam in casu necessitatis? Resp. affirmative; praeferendus est enim Sacerdos Diacono, Diaconus Subdiacono, Subdiaconus Clericis aliis inferioribus, Clericus laico, vir foeminae, baptizatus non baptizato, Catholicus haeretico; quia reverentia Sacramento debita postulat, ut digniores minus dignis per se loquendo praeferantur. Dixi, *per se loquendo*: nam per accidens fieri potest, ut ordo sit invertendus ratione honestatis, v. g. Si infans propter imminens mortis periculum sit baptizandus antequam penitus prodierit ex utero materno; tunc enim mulier etiam proprio Parocho est praeferenda.

CCCII. *Quaeres III.* An possit aliquis, extrema urgente necessitate, se ipsum baptizare? Resp. negative. Ita *Innocentius III.* Lib. III. Decretal. Tit. XLII. Cap. IV. interrogatus a Metensi Episcopo de Judaeo qui

morti proximus se ipsum baptizaverat, jussit illum denuo baptizari. *Quia* inquit, *Christus a Joanne baptizatus est, et nemo generat se ipsum.* Accedit, quod Christus verbis illis Matth. Cap. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, ministrum et subjectum baptismi aperte distinguat, et forma baptismi a Christo praecepta vitiaretur dicendo: *Ego me baptizo.*

OBJECTIONES.

CCCIII. *Objicitur I.* contra III. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Christus solis Apostolis qui Episcopos et Presbyteros repraesentabant, dedit *Matth.* Cap. XXVIII. potestatem baptizandi. Ergo laici et infideles non sunt idonei ministri baptismi. II. Ministerium baptizandi ex Christi institutione conjunctum est cum officio docendi: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ergo foeminae numquam possunt baptismum administrare. P. C. Apostolus I. ad Cor. Cap. XIV. ait: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui.* Ergo cum mulieres docere nequeant, etiam fas illis non est baptizare, et Ecclesiastico ministerio fungi. III. Nullum in Scripturis extat exemplum baptismi a laicis administrati. Ergo haec potestas illis non est tribuenda. R. ad I, D. A. Solis Apostolis tamquam ministris ordinariis dedit Christus hanc potestatem, C. A. Excludendo reliquos etiam in casu necessitatis, N. A. et Conseq. Laici et infideles non ex officio baptizant, sed ut ministri extraordinarii urgente necessitate, atque ita ut baptismum solemniter administrare non permittantur, quo sic discrimen serve-

tur inter ministrum ex officio et ministrum in sola necessitate. Ad II. D. A. Ministerium baptizandi conjunctum est cum officio docendi, ita ut officium illud sit aliquid baptismo praevium, atque ad essentiam baptismi non pertineat, C. A. Ita ut officium docendi sit pars essentialis ministerii baptizandi, N. A. et Conseq. Ad *probat.* C. A. N. C. vel D. C. Ergo fas illis non est publice et solemniter baptizare, et ex potestate ordinaria fungi ministerio Ecclesiastico, C. Conseq. Potestate extraordinaria, extrema urgente necessitate, et ritu non solemni, N. C. Ad III. Resp. Constat ex Cap. III. *S. Joannis* Apostolos, qui tunc erant laici, Baptismum a Christo institutum administrasse. Praeterea quamvis Scriptura taceret, clamat tamen traditio, et antiquissima Ecclesia praxis. Certe Calviniani cum Anabaptistis decertantes, contendunt parvulos utiliter et valide baptizari, quamvis ex Scripturis nullum indubitatum paedobaptismi exemplum proferre valeant.

CCCIV. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. Tertullianus Lib. de velandis Virginibus, Cap. IX. scribit: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.* S. Epiphanius Haer. LXXIX. scribit: *Verum longe aliter Deo visum, ac ne baptizandi quidem potestas est illi* (Deiparae) *facta: cum alioqui ab illa Christus potius tingi, quam a Joanne potuisset.* Ergo foeminis fas non est baptismum administrare. II. *Tertullianus* Lib. de Bapt. Cap. XVII. et *S. Hieronymus* in Dial. adversus Luciferianos, ut probent laicos in necessitate posse baptizare, utuntur hac ratione: *Quod ex aequo accipitur, ex aequo dari potuit.* Ergo supponunt lai-

cum non baptizatum non posse baptizare. III. *S. Hieronymus* loco citato Hilarium Diaconum alloquens, qui Arianorum baptisma ratum habebat, licet eos Christianos non esse contenderet, scribit: *Novam rem asseris, ut Christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit Christianus.* Ergo S. Doctor judicat neminem posse baptizari ab infideli. IV. *S. Augustinus* dubitavit an validus sit baptismus a non baptizato collatus. Nam Lib. II. contra Epist. Parmeniani, Cap. XIII. scribit: *Et haec quidem alia quaestio est, utrum et ab iis qui numquam fuerunt Christiani, possis baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine authoritate tanti Concilii, quantum tantae rei sufficit.* V. Patres, qui contra Cyprianum, Firmilianum, et Donatistas scripsere, ajunt authores haeresum idcirco posse baptizare quos decipiunt, quia recedentes ab Ecclesia receptam in ipsius sinu consecrationem non amiserunt, qua jus baptizandi aquiritur. Ergo juxta Patres illos ii tantum etiam in casu necessitatis baptizare possunt, qui sunt baptizati. Resp. ad I. C. A. D. C. Ergo fas illis non est baptismum administrare necessitate non urgente, ac ritu solemni, C. Conseq. Ritu non solemni, et extrema necessitate urgente, N. C. Tertullianus saepius petulantiam haereticarum mulierum, Epiphanius vero insaniam perstringit Pepuzianorum, et Collyridianorum, apud quos foeminae Sacerdotalibus muniis fungebantur. Ad II. N. C. Sensus verborum illorum est hic: Quod indiscriminatim ab omnibus accipitur, ab omnibus pariter necessitate urgente indiscriminatim dari potest. Ad III. Resp. S. Hieronymus per *Christianum*, ut manifeste colligitur ex contextu, non intelligit baptizatum baptismo Christi; sed eum qui rectam habet et sanam fi-

dem Christi, qualem profecto non habet, qui sciens et volens ab Arianis quibus adhaeret baptizatus est. Impugnat nimirum ibi Luciferianos, qui Ordinationis Arianorum ut invalidas rejiciebant, baptismum vero eorum ratum habebant, adducentes rationem, quod laicus ab Ariano Episcopo baptizatus veram habeat Christianam fidem. Hieronymus ostendit illis hanc rationem falsam esse; quia fides in qua laicus ille ab Arianis baptizatur, et quam in baptismo profitetur, fides est Ariana, non Christiana sive Catholica. Ergo, inquit, si per poenitentiam emendari potest laicus ille, emendari per poenitentiam poterit etiam Episcopus Arianus, quem vos ad Ecclesiam redeuntem recipere non vultis, nisi in ordine laico, amisso Episcopatus honore. Ad IV. Resp. Quamvis S. Augustinus hanc in re nihil statuere voluerit ut certa fide tenendum, nihilominus Lib. VII. de Bapt. contra Donat. Cap. LIII. aperte scribit, de valore Baptismi verbis Evangelicis a quocumque demum consecrati nequaquam se dubitare. Caeterum quod Augustinus sua aetate desiderabat, sententia nostra confirmata est authoritate Concilii Lateranensis IV. ac Florentini, et Nicolai I., cujus responsum ad Bulgaros quoad praesentem controversiam ab universa Ecclesia receptum est, et definitioni Concilii Oecumenici aequivalet. Ad V. N. C. Patres illi de valore baptismi ab haereticis collati disputantes, ex concessis argumentantur; utque praecipuum Rebaptizantium fundamentum subruerent, neminem nempe dare posse quod non habet, ajunt, quod sicut ii baptismum non amittunt, qui ab Ecclesia recedunt in qua sunt baptizati: ita nec jus baptismum conferendi amittat, qui se ab unitate Ecclesiae separat. Male igitur infertur, Patres illos censuisse, baptismum administrari tantum posse a baptizatis.

CCCV. *Objicitur III.* Authoritas Conciliorum et Pontificum. Concilium Eliberitanum Can. XXXVIII, statuit: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum; ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem proficere possit.* Ergo Patres Eliberitani non putarunt, posse quemlibet laicum etiam infidelem in casu necessitatis baptizare. II. Carthaginense IV. Cap. C. ait: *Mulier baptizare non praesumat.* III. S. Gregorius III. Epist. ad Bonifacium scribit: *Quos a Paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Sanctae Trinitatis mandamus.* Resp. ad I. C. A. N. C. Canon Eliberitanus praescribit quid fieri deceat, quando plures in casu necessitatis adsunt qui baptismum administrare possunt; vultque illum praeferri, qui nec infidelis, nec bigamus, nec poenitentiae publicae subjectus est; non quod hoc necessarium sit ad baptismi valorem, sed ut magis consulatur Sacramentorum dignitati. Ad II. Resp. Carthaginense dumtaxat prohibere, ne id a mulieribus fiat absque necessitate, aut in conventu, sive Ecclesia, ut colligitur ex Cap. XCIX. *Mulier, quamvis sancta et docta, viros in conventu docere non praesumat.* Sicut igitur Capitulum XCIX. mulieribus prohibet tantum, ne publice et praesentibus viris doceant; ita Capitulum C. prohibet illis tantum, ne baptizent publice et adhibitis Ecclesiae caeremoniis, aut etiam privatim in casu necessitatis, praesente viro qui possit et velit baptizare. Ad III. Resp. Gregorium III. loqui de iis, qui in nomine Sanctissimae Trinitatis baptizati non fuerant.

CONTROVERSIA VI.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

Contra Protestantes.

CCCVI.

Admirabilem et stupendam esse Sacramentorum, ac praecipue Baptismi vim et efficaciam inconcussa Scripturarum et Traditionis authoritas manifeste testatur. Hinc *S. Cyrillus Jerosol. S. Gregor. Nazianz. S. Gregor. Nyssen. S. Ambrosius, S. Augustinus*, aliique priscae Ecclesiae Patres, omnes eloquentiae suae vires exeruerunt, ut quam magnificentissime describerent quanta Deus per baptismum aliaque Sacramenta Fidelibus largiatur, quo animo ad ea accedendum sit, quidve pro tot beneficiis acceptis sit rependendum. Juxta illorum itaque doctrinam Baptismus mundat animam ab omni macula tum originalis tum personalis peccati. II. Delet omnem poenam etiam temporalem. III. Confert ex opere operato gratiam sanctificantem. IV. Dat jus ad auxilia specialia ut Christiane vivatur. V. Imprimit characterem indelebilem, ideoque iterari non potest. VI. Christo nos conjungit, compingitque tamquam membra Capiti. VII. Subjicit potestati et jurisdictioni Ecclesiae. VIII. Tribuit jus ad alia Sacramenta, et caetera bona communia Ecclesiae.

CCCVII. Longe alia, Scripturae ac Traditioni dissentanea de Baptismi effectibus sentire Novatoribus placuit, solita contradicendi libidine in transversum actis. Manichaei negabant peccata baptismo expiari, suorum-

que tingebant neminem, tum quia aquam tamquam a malo principio ortam execrabantur: tum quia non aliter arbitrabantur reparari posse naturam, quam per separationem substantiae malae a bona, in aeterna felicitate perfecte faciendam. Saeculo IV. Messaliani, ut refert *Theodoretus* Lib. IV. Haeret. Fabularum, ajebant, per baptismum posse quidem abscindi palmites ex mala peccati radice succrescentes; peccatum vero ipsum, et malignum daemonem, quem statim a nativitate cuilibet hominum immitti volebant ut ad peccatum mortales continuo impelleret, pelli non posse nisi sola oratione. Messalianorum errorem ex parte adoptavit Lutherus Articulo II. inter eos, quos Leo X. proscripsit: *In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.* Et in Assertione ejusdem Articuli. *Aliud est omnia peccata remitti, aliud omnino tolli: Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit.* Luthero suffragatur Calvinus in Antidoto Conc. Trident. ad Sess. V. *Manet vere peccatum in nobis, neque per baptismum statim uno die extinguitur: sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.* At vero uterque Novator alios baptismo effectus tribuit commentitios ac per quam absurdos. I. Quod baptizatus damnari non possit, etiamsi velit, nisi nolit credere. II. Quod baptismus liberet ab obedientia divinae legis. III. Quod liberet ab observandis legibus humanis. IV. Quod liberet ab omnibus votis. V. Quod sola memoria baptismi purget peccata quae committuntur post baptismum.

CCCVIII. *Conclusio I.* Baptismus confert gratiam sanctificantem, per quam baptizatus renascitur, regeneratur, fit Dei filius adoptivus, vitae aeternae compos.

Prob. I. Authoritate Scripturarum. Apostolus ad Titum Cap. III. ait : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* Ad Galat. Cap. III. *Omnes filii Dei estis. – – Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ad Rom. Cap. VIII. *Si autem filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* Caeterum hanc gratiam sanctificantem qua in baptismo donamur, interiorem esse atque inhaerentem, ostendimus Tom V. Artic. II. Controversia II. Prob. II. Authoritate Patrum quos laudavimus Num. XLIII.

CCCIX. *Conclusio II.* Baptismus perfecte tollit omnia peccata, tam originale quam personalia, omnesque poenas peccatis debitas. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Act. Cap. II. ait Petrus: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum.* Act. Cap. XXII. ait Ananias ad Saulum: *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.* Ad Rom. Cap. VIII. *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* I. ad Cor. Cap. VI. postquam Apostolus enumeravit varia gravissimorum peccatorum genera, subjungit: *Et haec quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Ad Ephes. Cap. V. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* I. Joan. Cap. I. *Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.*

CCCX. Prob. II. Authoritate Patrum. Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. I. scribit: *Felix Sacramentum aquae nostrae, qua ablutis delictis pristinae caecitatis, in vitam aeternam liberamur.* Et Cap. VII. *Baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur: spiritualis effectus, quod delictis liberamur.* S. Cyprianus Epist. II. ad Donatum affirmat, *undae genitalis auxilio universam superioris aevi labem detergi, expiari pectus hominis Christiani, et purum fieri: Baptismum esse mortem criminum, ac vitam virtutum.* Clemens Alexandrinus Lib. I. Paedagogi, Cap. VI. *Vocatur hoc opus* (Baptismus) *lavacrum, gratia, illuminatio, et perfectum. Lavacrum quidem, per id quod peccata abstergimus: Gratia autem qua remittuntur poenae quae peccatis debentur: Illuminatio autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur; hoc est, per quam id quod est divinum perspicimus: Perfectum autem dicimus, cui nihil deest.* S. Gregor. Nazianzenus Orat. XL. *Haec baptismi gratia et facultas est, non orbem terrarum, ut olim, aquis obruens, sed uniuscujusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones vel maculas, quae vitio contrahuntur, prorsus abstergens.* S. Cyrillus Jerosol. Catech. III. *Descendit in aquam ferens peccata; sed gratiae invocatio signans animam, non permittit deinceps ab horrendo illo submergi dracone. Mortuus in peccatis descendisti, et ascendis vivificatus in justitia.* S. Ambrosius Lib. de Initiandis, Cap. II. *Vides aquam, vides lignum? Columbam aspicis, et adhuc dubitas de mysterio? Aqua est ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum, sepelitur illic omne vitium.* S Hieron. Epist. LXXXII. ad Oceanum: *Omnia nobis Baptismate*

condonata sunt crimina; *nec post indulgentiam Judicis metuenda est severitas*, *dicente Apostolo*, *Et haec quidem fuistis*, *sed abluti estis etc.* S. Augustinus Serm. III. de Symbolo ad Catechum. Cap. X. *Omnia prorsus delicta delet sanctum baptisma*, *originalia et propria*: *dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur.* Et in Enchiridio, Cap. LXIV. *Baptismatis munus contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est*, *regeneratione detrahatur*; *et tamen activa quoque peccata*, *quecunque corde*, *ore*, *opere commissa invenerit*, *tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia*, *unde incipit hominis renovatio*, *in qua solvitur omnis reatus etc.* S. Gregorius M. Lib. IX. Epist. XXXIX. ad Theotistam Patriciam: *Qui dicit peccata in Baptismate funditus non dimitti*, *dicit in mari rubro AEgyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur AEgyptios veraciter mortuos*, *fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori*; *quia nimirum plus valet in ablutione nostra veritas*, *quam umbra veritatis.*

CCCXI. *Prob. III.* Authoritate Conciliorum. Constantinopolitanum I. in Symbolo ait: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Florentinum in Decreto pro Armenis: *Hujus Sacramenti* (Baptismi) *effectus*. *est remissio omnis culpae originalis et actualis*; *omnis quoque poenae*, *quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio*: *sed morientes antequam culpam aliquam committant*, *statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt.* Tridentinum Sess. V. in Decreto de peccato originali, Can. V. ait: *Siquis per Jesu Christi Domini nostri gratiam*, *quae in-*

Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit: in renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant; sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec Sancta Synodus fatetur et sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quin immo, qui legitime certaverit, coronabitur.

CCCXII. Caeterum quamvis stupenda sit Baptismi efficacia; adulti tamen non solvuntur per baptismum ab omni reatu poenae temporalis, nisi fuerint sufficienter dispositi. Qui enim abluitur cum affectu ad aliquod peccatum etiam levissimum, manet ligatus reatu illius culpae, adeoque etiam reatu poenae huic pravo affectui proportionatae, donec eum poenituerit. Quapropter Ecclesia Catechumenos non statim regenerabat, sed diuturnis poenitentiae aliarumque virtutum exercitationibus ad gratiam illos praeparabat. Nec Apostoles, qui statim credentes baptizabant, in exemplum trahere licet; stupenda enim credentium mutatio, quam Actus Apostolici describunt, numeranda est inter miracula quibus formabatur Ecclesia. Sed postquam

desierunt illa signa, utpote Religioni jam stabilitae minus necessaria, oportuit sequi consuetum gratiae operandi modum, quae non nisi paulatim opus suum perficit. Objectiones, quae a Novatoribus fiunt contra utramque Conclusionem, alibi solvimus, nimirum Tomo IV. Artic. I. Controversia II., et Tomo V. Art. II. Controv. I.

CCCXIII. *Quaeres I.* Utrum effectus Baptismi in omnibus rite dispositis sint aequales? Resp. Characterem, remissionem peccatorum, et condonationem poenae in omnibus rite dispositis esse aequalem; infusionem vero gratiae esse in adultis disparem, propter dispositionum quas afferunt inaequalitatem. Prob. I. pars Character in Baptismo impressus est aequaliter in omnibus signum Christi Imperatoris: et in baptismo plene remittuntur omnia peccata, omnesque poenae condonantur illis, qui scelera detestantur, omnemque affectum erga illa deposuerunt. Ergo hi effectus in omnibus rite dispositis sunt aequales. Prob. II. pars ex S. Thoma qui III. Parte, Quaest. LXIX. Artic. VIII. hanc rationem affert: *Adulti, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt, et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei appropinquat: licet ignis quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat.* Atque hac de causa infantes in susceptione baptismi aequalem gratiam percipiunt. Cum enim fidem propriam actualem non habeant, sed haec per fidem Ecclesiae suppleatur, omnes infantes aequaliter se habent ad baptismum.

CCCXIV. *Quaeres II.* Utrum parvulis in Baptismo infundatur gratia sanctificans cum virtutibus? Resp. affirmative. Prob. assertio I. Authoritate Conciliorum. *Viennense* Concilium OEcumenicum, ut habetur in *Clementina I.* de Summa Trinitate, ait: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem, et dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Tridentinum Sess. VII. Can. VI. de Sacram. in genere videtur controversiam hanc definivisse, ubi ait: *Siquis dixerit, Sacramenta novae Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre -- anathema sit.* Atqui parvuli gratiae sanctificanti obicem ponere nequeunt, cum peccati personalis non sint capaces. Prob. II. Ratione Theologica. Parvuli per baptismum renascuntur spiritualiter, consequuntur remissionem peccati originalis, ac justificantur. Atqui sine infusione gratiae sanctificantis et donorum nemo potest justificari, renasci, ac peccatorum remissionem consequi. Ergo. Vide dicta Tomo V. Artic. II. Controv. II.

CCCXV. *Quaeres III.* An ad percipiendum cum fructu baptismum praeviae requirantur in adultis dispositiones? Resp. affirmative. Ac I. quidem requiritur fides supernaturalis, ut Apostolus ait ad Rom. Cap. III. *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Et ad Hebr. Cap. XI. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

II. Poenitentia, seu dolor de peccatis. Act. Cap. II. ait B. Petrus: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu, in remissionem peccatorum vestrorum.* Tridentinus Sess. VI. Cap. VI. de modo praeparationis ad justificationem loquens, ait: *Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Et Sess. XIV. Cap. IV. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Caeterum hic dolor de peccatis extendit se tantum ad omnia personalia peccata, non ad originale, voluntate physice aliena, quamvis moraliter nostra, commissum; quia dolere non possumus nisi de peccatis physice propria voluntate commissis. Neque etiam dolor hic debet esse perfectus, seu actus perfectae contritionis, cum illa primam gratiam conferat, et peccata omnia infallibiliter remittat etiam extra quodlibet Sacramentum: ideoque praerequiri nequeat tamquam dispositio necessaria ad baptismum, qui ex institutione sua et fine intrinseco ordinatur ad conferendam primam gratiam sanctificantem, et ad remittenda peccata. III. Spes veniae et salutis consequendae; requiritur enim ut adultus in spem erigatur, fidens Deum sibi propter Christum propitium fore, juxta illud Christi Matth. Cap. IX. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* IV. Propositum servandi et profitendi Legem Christianam; non enim admitti potest adultus ad divinam amicitiam, nisi in illam consentiat: nec in illam sincere consentit, nisi efficaciter velit omnia ad eam servandam necessaria praestare. V. requiritur inchoata saltem Dei dilectio, qua adultus Deum tamquam omnis justitiae

fontem diligere incipit, juxta illud I. Joan. Cap. III. *Qui non diligit, manet in morte.* AEquum est enim, ut ille justificationis gratiam non consequatur, qui Deum ne incipit quidem diligere ut tanti beneficii collatorem: neque ad divinam amicitiam admittatur, qui ad eam ne per initialem quidem amorem se comparat. Porro omnes hi actus ad justificationem adultorum requisiti, debent esse supernaturales; nam Tridentinum Sess. VI. Cap. V. ait: *Declarat praeterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse: hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Et Can. III. de Justificatione: *Siquis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.*

CCCXVI. *Quaeres IV.* An adulti sine praevia et necessaria dispositione ad Baptismum accedentes, aliquem ejus effectum obtineant? Resp. Characterem eos quidem recipere, quia ejus impressio a solo actu Sacramentali, non vero a subjecti dispositionibus pendet; cum de earum gratiarum numero sit, quas gratis datas vocamus, quaeque possunt etiam cum summata improbitate consistere: at non recipere eosdem gratiam et salutem consequi potest. Atqui adulti qui renuunt corda sua per motum fidei, spei et charitatis Deo praeparare, hoc ipso gratiam et salutem nolle consequi convincuntur. Ergo.

CCCXVII. *Quaeres V.* Quid efficiat Baptismus in homine jam par charitatem perfectam justificato? Resp. praeterquam quod justificatio adscribenda non sit ipsi

contritioni sine voto Sacramenti, plures alii effectus enumerari possunt, qui ex reali Baptismi perceptione consequuntur. I. est character baptismalis, qui nemini ante baptismum actu perceptum infigitur. II. Gratiae augmentum. III. remissio peccatorum, quae post justificationem, atque ante baptismum commissa fuerunt. IV. plena remissio poenae temporalis Deo alias persolvendae. V., bona confidentia de propria justitia cum tranquillitate conscientiae. VI., externa seu visibilis incorporatio hominis cum Ecclesia Christi.

CCCXVIII. *Quaeres VI.* Utrum Baptismus ficte susceptus, sublata fictione postea reviviscat? Antequam respondeam, noto nomine fictionis non intelligi simulationem, qua quis exterius simulat susceptionem Sacramenti, re ipsa tamen nolens illud suscipere; haec enim fictio prorsus invalidum et nullum redderet Sacramentum ob defectum intentionis in suscipiente: sed hic intelligitur tantum fictio, qua quis simulat, aut certe non habet dispositiones ad percipiendos Baptismi fructus requisitas. Respondeo itaque, recedente fictione, omnia peccata quae Baptismum praecesserant, penitus tolli; peccata vero baptismum subsecuta deleri per poenitentiam. I. pars assertionis probatur I. Authoritate Patrum. S. Augustinus Lib. III. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XIII. scribit: *Quamvis apud Haereticos vel Schismaticos idem sit baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum propter eamdem discordiae foeditatem et dissensionis iniquitatem: tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiae pacem venerint; non ut jam vere dimissa non retineantur; neque ut ille baptismus quasi alienus aut alius improbetur, ut alter*

tradatur : *sed ut idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem*. S. Gregorius M. Lib. IX. Epist. LXVII alias LXI. ait, *ab antiqua Patrum institutione manasse, ut qui in haeresi baptizati fuerint, aut unctione chrismatis, aut impositione manuum, aut sola professione fidei ad sinum Matris Ecclesiae revocentur*. Et mox subjungit: *Quia sanctum Baptisma, quod apud haereticos sunt consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum illi vel per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter confessionem verae fidei, Sanctae et universalis Ecclesiae visceribus fuerint uniti*. Prob. II. Ratione Theologica. Peccatum originale, aliaque personalia ante perceptum Baptismum commissa, non subjacent Ecclesiae clavibus; Sacramentum enim Poenitentiae pro illis non est institutum. Ergo cum de facto ea remittantur sublata fictione, per virtutem baptismi remitti necesse est, qui velut flumen, remotis repagulis exundat, ac omni obice sublato, sopitam antea et quasi suspensam efficaciam suam exerit.

CCCXIX. Neque obest I., quod *S. Augustinus* Lib. I. de Bapt. contra Donat. Cap. XII. remissionem peccatorum tribuat poenitentiae, seu piae correctioni, et veraci confessioni. II. Quod baptismus non amplius existat, quando fictio per conversionem tollitur. Nam ad I. Resp. distinguendo. S. Augustinus l. c. remissionem peccatorum tribuit poenitentiae tamquam removenti obicem, C. A. Poenitentiae tamquam causae effectrici, N. A. Ad II. Resp. Baptismum quidem non existere physice et in se, cum consistat in actione transeunte; existere tamen moraliter in aliquo suo ef-

fectu, nimirum charactere, et esse causam dumtaxat moralem efficientem justificationis: sicut v. g. Mors et Passio Christi semel peracta causa est moralis meritoria sanctificationis nostrae.

CCCXX. Probatur etiam altera pars assertionis. Solum Sacramentum Poenitentiae, aut contrictio perfecta cum voto Sacramenti, a Deo instituta sunt ut remedium peccatorum quae post baptismum committuntur. Ergo peccata baptismum subsecuta deleri non possunt nisi per poenitentiam. Idem omnino dicendum est de ipso peccato fictionis, in quo quis Baptismum percipit; quia hoc peccatum natura posterius est ipso baptismo, adeoque verum est sacrilegium ex indigna Baptismi perceptione.

CONTROVERSIA VII.

DE NECESSITATE BAPTISMI RESPECTU ADULTORUM ET PARVULORUM.

Contra Protestantes et Socinianos.

CCCXXI.

Catholica Ecclesia necessitatem Baptismi adversus quascunque Novatorum molitiones constanter propugnavit, docuitque, extra casum Martyrii, baptismum aquae vel in re vel saltem in voto omnibus indiscriminatim ad salutem esse necessarium necessitate medii,

adultis vero etiam necessitate praecepti. Illud porro dicitur ad salutem esse necessarium *necessitate medii*, quo inculpabiliter etiam omisso salus aeterna obtineri nequit, eoquod Deus voluerit hominem sine hoc medio aeternam beatitudinem non adipisci: id vero *necessitate praecepti* dicitur necessarium, quod quidem serio praecipitur, ita tamen ut etiam sine illo salus aeterna absolute obtineri possit, quando nimirum res praecepta per inculpabilem ignorantiam aut inadvertentiam omittitur. Jam vero juxta unanimem Catholicae Ecclesiae doctrinam baptismus aquae, extra casum martyrii, parvulis est tantum necessarius necessitate medii, quia neque desiderii, seu baptismi flaminis, neque praecepti alicujus capaces sunt; ita ut ad originalium indulgentiam delictorum, et vitam aeternam pervenire nequeant, nisi actu collatus ipsis fuerit baptismus aquae: at vero adultis baptismus aquae vel in re, vel saltem in voto ac desiderio necessarius est non tantum necessitate medii, sed etiam necessitate praecepti divini, quia ex divino praecepto quilibet homo rationis capax adhibere tenetur omnia media ad salutem consequendam necessaria. Siquis itaque adultus Baptismi legem aut invincibiliter ignoraret, aut ipsi obsequi non posset ob defectum v. g. aquae, aut ministri, haud equidem reus foret violati praecepti; gratiam tamen sanctificantem non perciperet, nisi in casu martyrii, aut contritionis perfectae, qua implicite saltem includitur desiderium et voluntas servandi omnia Dei praecepta; foretque, si mori tunc illum contingeret, aeterna felicitate excludendus, tum propter defectum gratia sanctificantis quae sola filios Dei adoptivos et haeredes regni constituit, tum propter peccatum sive

originale sive personale nondum remissum. Dixi, *nisi in casu martyrii, aut contritionis perfectae.* Quamvis enim baptismus sit omnibus necessarius necessitate medii; suppleri tamen potest per martyrium aut contritionem perfectam, quia baptismus aquae seu fluminis non est medium salutis internum, quale est gratia sanctificans, sed dumtaxat externum, a Christo ordinatum ad obtinenda media interna salutis, nimirum gratiam sanctificantem. Cum igitur Dei virtus non sit exterioribus signis necessario alligata, et gratia sanctificans per contritionem perfectam obtineri queat, baptismus aquae suppleri potest per contritionem perfectam, quae explicitum, vel implicitum saltem baptismi votum ac desiderium continet, ac multo magis per martyrium.

CCCXXII. Necessitatem Baptismi, praeter Archonticos et Ascodrupitas qui omnia Sacramenta corporea et visibilia rejiciebant, primorum temporum haeretici haud adeo pauci inficiati sunt, quamquam diversis de causis. Cajani et Quintilliani, quod solam fidem ad salutem sufficere autumarent: Manichaei, quia aquam et caeteras res corporeas a malo principio creatas esse contendebant. Messaliani seu Euchitae, quod radices peccati per solam orationem tolli docerent: Pelagiani denique, quod existentiam peccati originalis inficiarentur, ob doctrinae consecutionem coacti sunt negare baptismum necessarium esse ad delendam noxam originis, asserereque parvulos non ideo baptizari ut vitam aeternam consequantur, utpote naturae innocenti naturaliter debitam, sed ut in regnum coelorum admittantur. Antiquioribus his haereticis accesserunt nostrorum temporum Novatores. Ulricus Zwinglius Lib. de vera et fal-

sa religione, ostendere conatur, baptisma esse merum externum symbolum nullius ad salutem praesidii. Martinus Bucerus in Caput III. Matthaei docet, pueros praedestinatos etiam sine baptismo salvari, et non praedestinatos etiamsi baptismum perceperint, damnari: at perquam fatue haec dicuntur; impossibile est enim in hac providentia ac de lege ordinaria, parvulos praedestinatos absque baptismo aquae vel sanguinis ex hac vita decedere, multoque magis implicat, eosdem suscepto jam legitime baptismo decedentes in statu illo innocentiae non esse praedestinatos. Calvinus Lib. IV. Institutionis, Cap. XVI. necessarium quidem esse baptismum ex praecepto non inficiatur; sed ad delendum originale peccatum omnibus sive adultis sive parvulis necessarium non esse contendit: non adultis; quia illi sola fide justificantur: non parvulis; quia si a parentibus Christianis progeniti, aut de numero sunt praedestinatorum, virtute foederis quod Deus cum Christianis pepigit, sancti sunt etiam sine baptismo, nec originaria labes eis imputatur. Idem cum Calvino sentiunt Lutherani, ut ex eorum Catechismis aperte colligitur. Sociniani pro more suo etiam hac in re longius progressi sunt Calvino; docent enim I. Baptismum esse merum ritum externum, ac publicum dumtaxat professionis Christianae symbolum, omni interiori gratia vacuum. II. Christum illis verbis Matth. Cap. XXVIII. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, non dedisse Apostolis praeceptum baptizandi, sed tantum instruendi Gentiles in lege Christi; aut si illa verba praeceptum continent, id non fuisse universale ab omnibus in perpetuum observandum, sed pro certo dumtaxat tempore

ac pro certis tantum personis, nempe pro illis qui in primordiis Ecclesiae a Paganismo vel Judaismo ad Christum convertebantur: nunc vero in Christiana lege educatis, aut ex Christianis parentibus progenitis minime necessarium esse, cum baptismus res sit libera et indifferens, quae sine salutis dispendio observari potest aut negligi.

CCCXXIII. Neque defuerunt doctrinae Jolia apud quosdam Catholicos Doctores. *Card. Cajetanus* Comment. in III. Partem S. Thomae ad Articulum II. et XI. Quaestionis LXVIII. putat, parvulos Fidelium, quibus per baptismum subveniri non potest, ex lege Dei communi et ordinaria salvari posse votis et orationibus parentum, maxime si illi exterius aliquod adhibeant signum, quo generale votum parvulis suis applicare se testentur. Equidem Tridentini Patres, ut refert *Sfortia Card. Pallavicinus* Lib. IX. Hist. Conc. Trident. Cap. VIII. audire noluerunt Theologos aliquos, qui opinioni huic Cajetani stigma inurendum esse contendebant, eoquod materia haec non pertineret ad controversias, propter quas sopiendas convocata fuerat Tridentina Synodus: *Pius V.* tamen in editione altera Romana expungi jussit ex libris Cajetani commentarium Articuli II. et XI. Mitius erraruut *Gersonius* in Serm. de Nativ. B. V. Consideratione II. *Altissiodorensis* in Summa Lib. III. Tract. III. Quaest. II. Art. IV. *S. Bonaventura* in IV. Sent. Dist. III. *Durandus* in IV. Dist. VI. Quaest. II. *Gabriel Biel* in IV. Dist. IV. Quaest. II. Art. III. aliique pauci, qui fatentur quidem de lege ordinaria parvulos Fidelium sine baptismo ex hac vita decedentes non salvari; putant tamen probabiliter asseri, Deum pro summa sua clementia vel exaudire parentum vota

pro salute parvulorum, idque de lege extraordinaria, adeoque hortandos esse parentes ut pro parvulis suis orent; vel Deum supplere defectus essentiales baptismi, si qui sint ex parte materiae, vel formae, vel intentionis ministri. Verum, seclusa speciali revelatione, improbabiliter omnino ac temere asseritur speciale hoc privilegium ac dispensatio a lege communi; neque nostrae de divina misericordia existimationi evagandum est extra eos fines, quos Deus per Sacras Litteras et Traditionem commonstravit. Etenim quemadmodum Deo liberum erat homines non condere, vel ita procreare, ut ad intuitivam Dei visionem jus nullum illis tribueret, atque etiam ut hoc jure jam semel liberaliter concesso ob noxam Adami eos privaret: ita quoque potuit misericordiam impertiri ea prorsus mensura qua ipsi libuit. Et profecto sententiam suam Ecclesiae non probari expertus est ante annos admodum paucos Bavarus quidam Theologus author libelli: *Justificatio parvuli sine martyrio, et Sacramento Baptismi in re suscepto*; confixus enim fuit libellus ille a Romana Inquisitione, et in librorum prohibitorum numerum relatus.

CCCXXIV. *Conclusio*. Baptismus in re vel in voto, necessarius est adultis necessitate medii et praecepti; parvulis vero extra casum Martyrii est in re necessarius necessitate medii ad salutem. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Christus Joan. Cap. III. ait Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ergo baptismus aquae quolibet tempore post promulgatum Evangelium necessarius fuit ad salutem tam parvulis quam adultis, ut semper agnovit Ecclesia. Confirmatur id ex verbis Christi immediate subsequentibus: *Quod natum*

est ex carne, caro est; *et quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Quae verba huic ratiocinio aequivalent: nemo nisi spiritualis potest in regnum Dei admitti. Atqui omnes homines carnali nativitate carnales sunt. Ergo regno Dei, nisi spirituales efficiantur, potiri non poterunt. Atqui sic est divinitus constitutum, ut nemo nisi per aquam in Spiritu renascatur. Ergo omnes tenentur lege baptismi, ut admittantur in regnum Dei.

CCCXXV. Prob. II. Authoritate Patrum S. Irenaeus Lib. III. adv. Haeres. Cap. XVII. alias XIX. ait: *Sicut de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aqua, quae de coelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic et nos lignum aridum existentes primum, numquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quae est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animae autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro.* Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. XIII. Cajanos et Quintillianos perstringens scribit: *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem; at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio Sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda, nec potest jam sine sua lege. Lex enim tingendi imposita est et forma praescripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Huic legi collata definitio illa, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coelo-*

rum. Obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tingebantur. S. Cyrillus Jerosol. Catech. III. *Et siquis non baptizatur, salutem non habet praeter solos Martyres, qui sine aqua regno coelesti potiuntur.* S. Ambros. Lib. de Initiandis, Cap. IV. *Credit Catechumenus --- sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire.* Et Lib. II. de Abraham, Cap. XI. exponens illa Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit etc. Utique*, inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliqua praeventum necessitate.* S. Augustinus Lib. III. de Anima et ejus origine, Cap. IX. *Noli*, inquit, *credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur, morte praeventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et Epist. CLXVI. alias XXVIII. ad Hieronymum, Cap. VII. *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, profecto et contra Apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvolis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omnino vivificari non posse.* S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, Cap. XXVII. *Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, sive jam de matribus nati sine Sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos.* Author Librorum de Vocatione Gentium.

Lib. II. Cap. XX. *Neque enim credi fas est, eos qui regenerationis non adepti sunt Sacramentum, ad ullum Beatorum pertinere consortium.*

CCCXXVI. Prob. III. Authoritate Conciliorum. *Carthaginense* in causa Pelagii A. 416 celebratum, in Epist. Synodica ad Innocentium I., quae inter Augustinianas est ordine CLXXV. alias XC. ait: *Parvulos etiam propter salutem, quae per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant,* (Pelagiani) *ac sic eos mortifera ista doctrina in aeternum negant.* Milevitanum II. in eadem causa habitum A. 416. in Epist. Synodica ad Innocentium I., quae inter Augustinianas est ordine CLXXVI. alias XCII. scribit: *Pueros quoque parvulos, etsi nullis innoventur Christianae gratiae Sacramentis, habituros vitam aeternam, nequam praesumptione contendunt* (Pelagiani) *evacuantes quod dicit Apostolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Bracarense II. A. 572. Can. VII. *Quod si forte dum differunt,* (parentes) *sine gratia baptismi de hac vita* (infantes) *recesserint; necesse est, ut ab illis* (Clericis avaris qui pro administratione baptismi pecunias etiam a pauperibus parentibus exigebant) *eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes, a baptismi gratia* (parvulis suis procuranda) *se retraxerunt.* Tridentinum Sess. VII. Can. V. da Bapt. *Siquis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.* Et Sess. V. in Decreto de peccato originali, Can. IV. *Siquis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, - - - anathema sit.*

CCCXXVII. Prob. IV. ex antiquissima Ecclesiae praxi. Nam I. Ecclesia primis statim saeculis haereticos Baptismi necessitatem inficiantes publica proscriptione damnavit. II. Parvulos, ex parentibus etiam Catholicis procreatos semper baptizari jussit. Atqui si illi antequam tingantur, sancti sunt, debuisset illis baptismum differre usque ad adultam aetatem, qua praecepti capaces reddebantur, magisque dispositi ad percipiendum majori cum fructu baptisma. Ergo Ecclesia sensit eos absque lavacro regenerationis aeternam salutem consequi non posse. III. Etsi statuta quaedam forent tempora ad solemnem baptismi administrationem; semper tamen provisum est ab Ecclesia, ut in periculo mortis, et urgente necessitate quae legem nescit, sive infantibus sive adultis in lecto aegrotantibus quolibet tempore per Sacramentum Baptismi subveniretur. Atque hujus sollicitudinis rationem assignat S. Siricius Papa in Epist. ad Himerium Tarraconensem, Cap. II. *Ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de saeculo, et regnum perdat et vitam.* IV. Non alia de causa Ecclesia ipsis etiam laicis et mulieribus permisit in mortis periculo baptismum administrare, quam quod eum absolute necessarium esse ad salutem judicaret.

CCCXXVIII. *Quaeres I.* An baptismus sanguinis, seu Martyrium suppleat in adultis virtutem baptismi aquae? Resp. affirmative quoad effectum gratiae, remissionem peccatorum, omnisque poenae peccato debitae tam temporalis quam aeternae: quoad alios autem effectus baptismus aquae suppleri nequit, videlicet quoad impressionem characteris, capacitatem proximam

suscipiendi alia Sacramenta, jus participandi bona Ecclesiae, incorporationem cum Ecclesia, ac subjectionem potestati et jurisdictioni Ecclesiae. Neque martyrium liberat hominem ab obligatione suscipiendi baptismum; ita ut si Martyr per miraculum ad vitam revocaretur, baptizari deberet. Prob. assertio I. Authoritate Scripturarum. Matth. Cap. X. ait Christus: *Omnis qui cofitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.* Et Marci Cap. VIII. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam.* At qui occiduntur propter Christum, quamvis non sint baptizati, confitentur Christum coram hominibus, et propter illum amittunt vitam temporalem. Ergo.

CCCXXIX. Probat. II. Authoritate Patrum. Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. XVI. scribit: *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat, et perditum reddit.* Idem in Scorpiaco adversus Gnosticos, Cap. VI. ait: *Posuit* (Deus) *secunda solatia, et extrema praesidia, dimicationem martyrii, et lavacrum sanguinis exinde secutum --- proprie enim Martyribus nihil jam reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur.* S. Cyprianus Epist. LXXIII. ad Jubajanum: *Numquid potest vis baptismi esse major aut potior, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, et sanguine suo baptizetur? -- Sciant Catechumenos* (pro fide occisos) *nec privari baptismi Sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat, se habere aliud*

baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos, et passione sanctificatos consummari, et divinae pollicitationis gratiam consequi declarat in Evangelio idem Dominus. S. Cyrillus Jerosol. Catech. III. *Siquis non baptizatur, salutem non habet, praeter solos Martyres, qui vel sine aqua regno coelesti potiuntur. Redimens enim terram Salvator per Crucem, et in latere vulneratus, sanguinem et aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur; alii vero vero tempore persecutionis, in propriis sanguinibus baptizentur.* S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XV. *Jam vero sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate revera, non imitatione, Christi mortem perpessi, nihil hujusmodi Sacramentis, quae sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine.* S. Augustinus Lib. XIII. de Civit. Dei, Cap. VII. *Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* His Patrum testimoniis accedit authoritas Ecclesiae, quae Catechumenos pro fide occisos, ut constat ex Martyrologio Romano, tamquam veros Martyres et Dei amicos colit, horumque precibus apud Deum sese commendat.

CCCXXX. *Quaeres II.* An ad valorem Martyrii ejusque effectum requirantur in adultis quaedam dispositiones? Resp. affirmative. Ac I. quidem requiritur acceptatio mortis ob fidei, aut alterius virtutis Christianae defensionem seu exercitium illatae, ex motivo honesto et supernaturali, absque voluntate se defendendi. Ratio horum est, tum quia martyrium in adultis est actus fortitudinis, ideoque voluntarius esse de-

bet: tum quia adultus gratiam sanctificantem ejusque augmentum recipere nequit sine libero aliquo consensu, et absque motivo supernaturali. Si vero acceptatio mortis non excluderet voluntatem se defendendi, Martyr non perfecte conformaretur Christo, qui instar agni coram tondente se obmutuit. *II.* Ad effectum martyrii obtinendum nec essariae sunt omnes illae dispositiones, quae ad baptismum aquae requiruntur, praecipue detestatio saltem virtualis peccatorum, propositum servandi omnia mandata Dei, adeoque implicitum etiam votum baptismi aquae, et charitas Dei saltem inchoata et initialis, seu contritio supernaturalis imperfecta. Patet id tum ex Apostolo I. ad Cor. Cap. XIII. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: tum ex praxi Ecclesiae, quae instante persecutione curabat Martyres nondum baptizatos baptizari, et lapsos per Sacramentum Poenitentiae reconciliari. Accedit *Tridentinum* Sess. XIV. Cap. IV. docens, contritionem quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum.

CCCXXXI. *Quaeres III.* An Martyrium tollat in adultis omnem reatum culpae et poenae, ex opere operato, vel tantum ex opere operantis? Sive, an adulti obtineant remissionem peccatorum et gratiam justificantem, secluso etiam actu charitatis perfectae, quo acceptetur mors in odium fidei illata? Resp. probabilius videri, quod Martyrium, ex privilegio ipsi a Christo concesso, suppleat virtutem baptismi aquae ex opere operato. Prob. assertio I. Patres dicunt, Martyrium esse excellentius baptismo aquae. Ergo si ille agit ex opere operato, multo magis ita agit Marty-

rium. II. In infantibus baptismus sanguinis agit virtute propria. Ergo etiam in adultis. III. Ecclesia indifferenter colit eos omnes, quos constat in confessione verae fidei et unitate Ecclesiae pro Christo occisos esse; quin examinet, an illi mortem acceptarint ex affectu perfectae charitatis. Neque dicas, Martyrium fore verum Sacramentum, si agit ex opere operato: nego enim illatum, tum quia Martyrium non est ordinarium remedium a Christo institutum ad remissionem peccatorum; tum quia certam non habet verborum formam, sicut caetera Sacramenta: tum denique quia non a ministris Christi, sed per ministros diaboli confertur. Caeterum lis haec inter Theologos exorta vix non inutilis mihi videtur. Vix enim aliquando contigisse autumo, ut quis mortem in odium Christi illatam acceptaverit ex solo desiderio gloriae coelestis, aut alio quovis motivo honesto et supernaturali, sine perfecta dilectione Dei; praecipue cum instante morte omnes urgeat obligatio eliciendi actum charitatis perfectae, ad quam certe excitavit illos Spiritus Sanctus, qui tantum eis amorem infudit pro Christo moriendi.

CCCXXXII. *Quaeres IV.* Utrum Martyrium etiam in infantibus suppleat baptismum aquae? Resp. affirmative, et quidem sine aliis dispositionibus; harum enim per aetatem capaces non sunt parvuli. Prob. assertio I. Authoritate Scripturarum. Christus *Matth.* Cap. X. et *Marci* Cap. VIII. aeternam vitam indiscriminatim illis pollicitus est, qui illum confitebuntur coram hominibus, aut qui ejus amore vitam temporalem amiserint. Atqui parvuli in odium fidei interfecti, Christum confitentur, non quidem loquendo, sed mo-

riendo, vitamque temporalem propter Christum perdunt. Ergo Prob. II. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Epist. LVI. ad Thibaritanos scribit: *Christi nativitas a martyriis infantum statim coepit, ut ob nomen ejus a bimatu et infra qui fuerant, necarentur. Aetas necdum habilis ad pugnam idonea extitit ad coronam.* S. Leo M. Serm. I. de Epiphania, Cap. III. *Quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit coelo: et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem.* S. Augustinus Serm. III. de Symbolo, Cap. IV. *Necdum loquuntur, et Christum confitentur. Necdum motibus membrorum valent suscipere pugnam, et victoriae jam efferunt palmam. ---- Praestitit eis Christus ut pro Christo morerentur, praestitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuo eos mors reddidit vitae.* S. Fulgentius Serm. de Epiphania, Herodem alloquens ait: *Per saevitiam tuam facti sunt Martyres qui per infantiam suam fuerant innocentes, quando per gratiam hujus pueri pro eo meruerunt mori, priusquam eum possent coram hominibus confiteri.* Prob. III. Authoritate Ecclesiae, quae primis statim Religionis Christianae temporibus Innocentes ab Herode occisos cultu religioso prosecuta est.

CCCXXXIII. Neque dicas I. Infantes ab Herode occisos jam prius per circumcisionem fuisse justificatos. II. Eos ab Ecclesia coli titulo sanctitatis per circumcisionem acceptae. III. Sanctificatos quidem illos fuisse per mortem pro Christo obitam, sed ex speciali privilegio quod ad alios extendi nequeat. IV. Infantes non esse capaces martyrii, tum quia mors non est

ipsis voluntaria; tum quia in illis non est actus virtutis et fortitudinis. V. Martyrium nihil prodesse sine charitate actuali, vel saltem habituali, qua infantes non baptizati destituuntur. Nam ad I. Resp. id certum non esse de omnibus; videtur enim Scriptura indicare aliquot fuisse interfectos ante octavum diem a nativitate, adeoque ante circumcisionem, cum Herodes omnes pueros a bimatu et infra in Bethlehem ejusque vicinia mactari jusserit. Praeterea valde probabile est, eo tempore quo Judaea Romano Imperio erat obnoxia, in ea trepidatione atque Herodianorum militum aestu, multos parvulos ex parentibus ethnicis natos, qui cum Judaeis permixti vivebant, fuisse interemptos: hi autem non nisi per martyrium justificati sunt. Ad II. Resp. id sine umbra verisimilitudinis dici. Ecclesia enim publicum cultum non defert nisi eximie Sanctis, quales certe non fuerunt Innocentes illi titulo sanctitatis per circumcisionem acceptae; alias longe majori ac fortiori titulo Ecclesia publice veneraretur parvulos fidelium, post acceptum baptismum ex hac vita decedentes. Ergo Ecclesia colit Innocentes tamquam primitias Martyrum, et titulo sanctitatis per martyrium adeptae. Ad III. Resp. speciale hoc privilegium frustra obtendi, silentibus Scripturis et Patribus, qui eximiam hanc sanctitatem et gloriam morti pro Christo obitae adscribunt. Ad IV. Resp. respectu adultorum quidem, qui internae acceptationis capaces sunt, mortem pro Christo illatam non esse martyrium, nisi sit voluntaria: at non respectu parvulorum, qui cum non sint internae acceptationis capaces, veri sunt Martyres si in odium Christi occidantur. Sic Ecclesia universa tamquam Martyrem veneratur S. Simonem XXIX.

mensium puerulum, in odium Christi ab impiis Judaeis in Civitate Tridentina interfectum A. 1475, ejusque nomen Romano Martyrologio inseruit ad diem XXIV. Martii. Ad V. Resp. id dici posse ac debere de adultis, at non de infantibus, quibus charitas Christi per martyrium applicatur, sicut per baptismum aquae applicatur ipsis fides Ecclesiae.

CCCXXXIV. *Quaeres V.* An Baptismus flaminis, seu perfecta charitas et cordis contritio includens votum baptismi aquae, illius vices suppleat in adultis? Antequam ad propositam quaestionem respondeam, noto I. sermonem hic esse de adultis; parvuli enim et contritionis, et voti seu desiderii per aetatem illam sunt incapaces. II. Quaestionem procedere de charitate sive extensive qua Deus super omnia diligitur, sive intensive perfecta, qua voluntas summo affectu et intentione in Dei amorem rapitur: certum est enim quod attritio seu contritio imperfecta absque baptismo aquae aut sanguinis ad consequendam salutem minime sufficiat. III. Quaeri hic potissimum de remissione peccatorum, et consecutione aeternae gloriae: nisi enim charitas sit valde intensa, non delet omnem poenam temporalem peccatis debitam. IV. Sermonem hic esse de perfecta charitate tum in casu necessitatis, urgente nimirum mortis periculo, tum etiam extra talem necessitatem, modo per Catechumenum non stet quo minus baptismus ei conferatur. Si enim hic baptismum contemneret, aut suscipere illum nollet morte appropinquante, praeceptum divinum obligans sub gravi transgrederetur, ideoque charitate excideret. V. Sensum praesentis quaestionis non esse, an perfecta contritio baptismi vices suppleat ex opere operato, et per

modum Sacramenti; nihil quippe hic occurrit, quod non sit ex parte ipsius operantis.

CCCXXXV. His praemissis, ad propositam quaestionem Resp. affirmative Prob. assertio I. Authoritate Scripturarum, quae vim delendi peccata charitati et poenitentiae saepissime tribuunt. Ezechielis Cap. XVIII. dicitur: *Cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit. – – – Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus inquinamentis vestris et non erit vobis in rüinam iniquitas.* Psal. L. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Lucae Cap. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Joan. Cap. XIV. *Siquis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ad Rom. Cap. X. *Omnis qui credit in illum, non confundetur. – – Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

CCCXXXVI. Prob. II. Authoritate Patrum *S. Ambrosius* in Orat. funebri de obitu Valentiniani II. Imp. scribit: *Audio vos dolere quod non acceperit Sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam venisset initiaretur, et proxime baptizari se a me velle significavit, et ideo prae caeteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam quam desideravit? non habet quam poposcit? certe quia poposcit, accepit. – – – Quod si Martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas. – – – Non quicunque te, sed Christus illuminavit gratia sua spi-*

rituali : ille te baptizavit, quia humana tibi officia defuerant. S. Augustinus Lib. IV. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XXII. *Invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Tum adducto Latronis boni exemplo sic pergit: *Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento baptismi, quod ait Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem : in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* S. Bernardus Epist. LXXVII. seu Tract. ad Hugon. Victor. *Ab his columnis, Augustinum loquor et Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me errare aut sapere fateor, credens et ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi Sacramenti; si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quaecunque vis invincibilis obviarit.* Equidem *S. Gregor. Nazianz.* Orat. XL. in Sanctum Baptisma, *S. Fulgentius* Epist. XII. ad Ferrandum Diaconum de Baptismo Aethiopis, et *Gennadius Massiliensis* Lib. de Eccles. Dogmatibus Cap. XLI. alias LXXIV. videntur fuisse tam rigidi et severi defensores necessitatis baptismi, ut existimaverint, ne quidem in necessitate desiderium baptismi ex charitate profectum sufficere ad salutem : at merito illis authoritatem Ecclesiae, aliorumque Patrum anteponimus.

CCCXXXVII. Prob. III. Authoritate Pontificum. *Innocentius III.* interrogatus, quid sentiendum esset de quodam Judaeo, qui morti proximus se ipsum baptizaverat, respondit, ut habetur Lib. III. Decretal. Tit. XLII. Cap. IV., quod cum inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, Judaeus hic denuo sit baptizandus ab alio. Tum addit: *Quamvis si talis continuo necessisset, ad coelestem patriam protinus evolasset propter Sacramenti fidem, et non propter fidei Sacramentum.* Idem Lib. III. Decretal Tit. XLIII. Cap. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato sic loquitur: *Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in Sanctae Matris Ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, et coelestis patriae gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter.* S. Pius V. et *Gregorius XIII.* has damnarunt Baji propositiones. XXXI. *Charitas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, tam in Catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* XXXII. *Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissionem peccatorum.* XXXIII. *Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur.* Ergo censuram Theologicam meretur ea doctrina, quae asserit per contritionem perfectam cum voto baptismi hominem non justificari.

CCCXXXVIII. Prob. IV. Authoritate Conciliorum. *Tridentinum* quamvis sententiam hanc non definiverit,

eam tamen supponit tamquam certam. Nam Sess. VI. Cap. IV. ait: *Quae quidem translatio* (statu veteris Adae ad statum gratiae) *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.* Sess. VII. Can. IV. de Sacramentis in genere, damnat eos qui dicunt, *sine eis* (Sacramentis) *aut eorum voto per solum fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci.* Denique Sess. XIV. Cap. IV. docet, per contritionem perfectam justificari peccatorem jam baptizatum ante realem Sacramenti Poenitentiae susceptionem. Ergo etiam peccator non baptizatus per contritionem perfectam justificatur ante realem susceptionem baptismi, cum eadem sit pro utroque Sacramento ratio; de Sacramento enim Poenitentiae ait *Tridentinum* Sess. XIV. Cap. II. *Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Accedit quod reconciliatio hominis non baptizati cum Deo facilior esse debeat, quam reconciliatio hominis post baptismum peccantis, ut docet *Tridentinum* Sess. XIV. Cap. VIII.

CCCXXXIX. Quod si objiciatur praxis Ecclesiarum, Romanae, de qua *S. Leo M.* Epist. LXXXII. alias XCI. ad Thedorum Forojuliensem, et *S. Gelasius I.* in Concilio Romano: et Hispanicae, de qua Concilium *Bracarense I.* A. 561. Capitulo XVII. quae nec preces fundebant, nec Sacrificium offerebant pro Catechumenis sine baptismo, et pro poenitentibus sine reconciliatione decedentibus, Respondeo I. id non idcirco factum fuisse, quod Ecclesiae illae existimaverint votum poenitentiae aut baptismi urgente necessitate non sufficere ad salutem; sed ut fideles majori studio,

ardore ac vigilantia poenitentiae et Catechumenatus laboribus incumbentes, ad gratiam reconciliationis aut regenerationis cito percipiendam timore illius poenae mature adducerentur. Resp. II. Ecclesiarum disciplinam hac in parte variam fuisse. Ecclesia Mediolanensis pro Valentiniano II. Imp. sine baptismo Arbogasti Comitis opera Viennae Allobrogum e vivis sublato, solemne obtulit Sacrificium. Ecclesia Africana in Carthaginensi IV. A. 398. Cap. LXXIX. idem statuit: *Poenitentes qui attente leges poenitentiae exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.* Gallicana in *Arelatensi II.* A. 452. Can. XII. *De his qui in poenitentia positi vita excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo quod honoravit poenitentiam, oblatio illius suscipiatur.* Hispanica in Toletano XI. A. 675. Capitulo XII. *De his autem qui accepta poenitentia, antequam reconciliarentur, ab hac vita recesserint, quamquam diversitas praeceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nos sententias placuit sequi, qui multiplices numero de hujusmodi humanius decreverunt, ut et memoria talium in Ecclesiis commendetur, et oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur.* Quin etiam Romana Ecclesia Saeculo VI. mutavit hac in re disciplinam a SS. Leone et Gelasio inductam.

OBJECTIONES.

CCCXL. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Genesis Cap. XVII. ait Deus Abrahamo: *Statuam pactum*

meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus tuis, foedere sempiterno: ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. Ergo Deus filios fidelium adoptat in suos, eisque peccatum originale remittit, antequam baptizentur. II. Apostolus I. ad Cor. Cap. VII. ait: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem dicti sunt.* Ergo filii fidelium sunt sancti et Deo grati etiam ante baptismum; adeoque nihil obstat quo minus etiam sine baptismo salventur. Resp. C. A. N. C. Verba haec Geneseos in sensu litterali sumpta pertinent ad solos Judaeos, et continent tantum promissionem specialis protectionis, gubernationis et felicitatis temporalis, non vero remissionis peccatorum et vitae aeternae: secus qui Dominum crucifixerunt Judaei, atque ipse proditor Judas, sancti et salvi forent, utpote ex Abrahamo originem suam ducentes. Si vero verba illa in sensu mystico intelligantur, pertinent ad omnes illos, qui parentis Abrahae fidem imitantes, participes fiunt promissionum per Spiritualem regenerationem in Christo, sicut olim parvuli Judaeorum per fidem parentum, signumque fidei exterius. Ergo sive in litterali sive in mystico sensu haec verba spectentur, parvuli fidelium sine baptismo decedentes non comprehenduntur hoc foedere. Et profecto si foedus illud gratiae, in quo nascuntur infantes fidelium, eos sanctificaret, nullum posset assignari instans in quo peccatum originale contraherent, cum aeque in illo foedere generentur ac nascantur. Ergo vicissent Pelagiani, negantes existentiam peccati originalis. Ad II. iterum N. Conseq. Apostolus verbis illis non intelligit

sanctitatem proprie dictam, quae consistit in immunitate a peccato gravi et gratiae sanctificantis adeptione; sed loquitur de sanctitate quadam civili et externa, posita in eo quod matrimonium sit legitimum, et filii non spurii. *Non opinor*, ait S. Augustinus Lib. II. de peccat. merit. et remiss. Cap. XXVI. *quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit uxor ejus, neque jam baptizari oportere, et ad remissionem peccatorum jam pervenisse, et in regnum coelorum esse intraturum, quia sanctificatus victus est in uxore.* Dicitur etiam sanctificatus vir per uxorem fidelem, quatenus uxor fidelis sensim virum suum ad conversionem disponit, illi pietatis ac timoris divini sensus inspirat, eidem viam salutis ostendit, hunc exemplo suo a multis flagitiis avertit, ac precibus Deum fatigat, ut viro gratiam conversionis obtineat. Similiter filii sancti sunt, quatenus uxor fidelis eos docet Idola aversari, eisque veri Dei cognitionem, et Christianae Religionis amorem infundit. Monet ergo Apostolus loco citato ne ab altero quamvis non Christiano, consentiente tamen habitare sine injuria Creatoris, conjux fidelis discedat, ut simul cohabitando unius sanctitas et cohortatio alium reducat ad frugem, et filii a fideli marito vel uxore ad Christi religionem praeparentur, vel si suscepto jam baptismo in ea sunt, in eadem perseverent.

CCCXLI. *Dices.* Saltem ex illis verbis Joan. Cap. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc.* efficaciter probari nequit necessitas baptismi. Ergo fuit praecipuum nostrum fundamentum. P. A. Ex illis verbis non magis probari potest absoluta ne-

cessitas baptismi, quam ex illis Joan. Cap. VI. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, evincatur absoluta necessitas Eucharistiae. Atqui absoluta necessitas Eucharistiae ex illis verbis non evincitur. Ergo. Resp. N. A. Ad *probat*. N. M. Disparitas non aliunde repetenda est quam ex sola Christi voluntate nobis in Verbo scripto et tradito declarata, quo constat Baptismum semper ab Ecclesia judicatum fuisse necessarium ad salutem, non vero Eucharistiam, quae instituta fuit ad nutritionem spiritualem adultorum tantum. Sicut enim iis tantum necessaria est nutritio corporalis, qui de vita corporali aliquid deperdunt per calorem naturalem: ita iis tantum necessaria esse potest nutritio spiritualis, qui de vita spirituali aliquid deperdere possunt per peccata personalia, quorum non infantes, sed soli adulti capaces sunt. Verum uberius hac de re disseremus Tomo VII. Controversia II.

CCCXLII. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. *S. Cyprianus* quamvis existimaret invalidum esse baptismum ab haereticis collatum, permisit tamen ut baptizati ab haereticis non rebaptizarentur, ne contrarium sentientes pacem et unitatem Ecclesiae idcirco turbarent. Epistola enim LXXIII. ad Jubajanum solvens hanc objectionem: *Quid ergo fiet de his, qui in praeteritum de haeresi ad Ecclesiam venientes, sine baptismo admissi sunt?* Respondet: *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, et eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiae suae muneribus non separare.* Ergo persuasum fuit Cypriano baptismum non esse absolute necessarium ad salutem, secus rebaptizari jussisset ba-

ptizatos ab haereticis. II. S. Augustinus ait, parentum fidem prodesse infantibus ad salutem obtinendam; Epistola enim XCVIII. alias XXIII. ad Bonifacium scribit: *Ut possit regenerari* (parvulus) *per officium voluntatis alienae, cum offertur consecrandus, facit hoc unus spiritus, ex quo regeneratur oblatus.* Resp. C. A. N. C. Id tantummodo legitime inferri potest, Cyprianum recte censuisse, quod ad aeternam salutem sufficiat baptismi desiderium, ac perfecta cordis conversio, donec controversia illa de baptismo haereticorum ab Ecclesia decisa fuerit; loquitur enim loco citato S. Doctor de adultis tantum, qui ab haereticis baptizati sunt. Ad II. D. A. Parentum fidem prodesse infantibus cum Sacramento baptismi, quando a parentibus offeruntur consecrandi, ut ait Augustinus, C. A. Sine Sacramento, N. A. Hoc solum vult S. Doctor loco citato fidem actualem in parvulis non esse necessariam, sed illam ex Dei benignitate suppleri per fidem Ecclesiae et parentum. Profecto in defectu baptismi solam fidem parentum parvulis non sufficere ad salutem centies asserit Augustinus, praecipue in Lib. de Dono perseverantiae, Cap. XII. scribens, referendum esse ad occulta eademque justissima Dei judicia, quod parvulorum alius ad baptisma perveniat et salvetur; alter non perveniat et damnetur, festinantibus licet parentibus, et paratis ministris, ut baptismus parvulo detur.

CCCXLIII. *Objicitur III.* Ratio. Misericordiae Dei consentaneum non est, ut parvuli sine baptismo ex hac vita decedentes aeterna excidant salute. Ergo baptismus non est necessarius necessitate medii ad salutem. P. A. Infantes plurimi absque sua culpa coelo exclu-

rentur. Atqui hoc repugnare videtur misericordia Dei, qui vult omnes homines salvos fieri. Resp. N. A. Misericordiae, caeterisque Dei perfectionibus quid consentaneum sit, absque erroris periculo ex Scripturis ac Traditione cognoscimus. Atque hac de causa scribit *S. Augustinus* Lib. I. de peccat. merit. et remiss. Cap. XXIII. *Nulla igitur ex nostro arbitrio, praeter Baptismum Christi, salus aeterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis praeferenda.* Ad *probat.* N. M. Parvuli non excluduntur a coelesti haereditate propter baptismi defectum, sed propter culpam originalem quam nascendo contraxerunt, et quae per baptismum non fuit deleta. Neque hoc seriae voluntati repugnat, quam Deus habet ut omnes homines salvi fiant: Deus enim praeparavit parvulis media salutis, in quantum nimirum illorum salutem pendere voluit a parentum vel aliorum voluntate, qui si fuissent immissis inspirationibus obsecuti, parvuli ad baptismum, adeoque ad aeternam salutem pervenissent.

CCCXLIV. *Dices I.* Aequum est, ut infantibus prosit ad salutem aliena fides, v. g. parentum, quibus nocet alienum peccatum Adami. Ergo. *Confirm.* Sufficit adultis voluntas propria, ac desiderium suscipiendi baptismum. Ergo sufficiet infanti, qui hujuscemodi desiderii non est capax, fides parentum. Resp. N. I. A. In rebus quae a sola Dei voluntate pendent, non alia debet inquiri ratio quam ejus voluntas: porro noluit Christus infantes per solam parentum aut Ecclesiae fidem salvos fieri absque baptismo. Resp. II. Originale peccatum non est alienum, sed cuilibet ex Adae posteris proprium. Et quemadmodum aliena malitia nemini

imputatur; ita etiam aequum est ut sola parentum vel Ecclesiae fides sine Sacramento parvulis non prosit. Ad *confirm.* N. C. Praeterquam enim, quod ut saepius monuimus, sola Dei voluntas hic consulenda sit, adulti non per solum desiderium, sed praecipue per charitatem perfectam justificantur, quae neque quoad actum, ut per se patet, neque quoad habitum locum habet in parvulis non baptizatis.

CCCXLV. *Dices II.* Si parvuli fidelium non salvantur per solam fidem parentum, fides in Lege gratiae longe minorem vim et efficaciam haberet, quam in Lege naturae aut Mosaica. Atqui hoc dici nequit. Ergo. P. M. Filii fidelium in lege naturae mundabantur per fidem parentum, signo aliquo externo manifestatam: in Lege vero Mosaica, quamvis circumcisio praescripta esset, in casu tamen necessitatis etiam ante octavum diem, quam in circumcisione praevertere fas non erat, aliud supererat remedium, nempe oblatio parvulorum a parentibus Deo facta. Ergo fides in lege naturae et scripta majorem habuisset efficaciam quam in Lege Gratiae. Resp. N. M. Ad *probat.* C. A. N. C. In Lege Gratiae sola fides parentum non sufficit ad salutem parvulorum; idque non ex defectu virtutis et efficaciae, sed quia adnexum illi fuit Baptismi mandatum: quemadmodum lex moralis, licet non sit minoris efficaciae in viro religioso quam saeculari, illi tamen non sufficit ad salutem, nisi et observet consilia ad quae se obstrinxit. Praeterea illud observo, certi nihil et explorati in Scripturis aut Traditione haberi, quodnam fuerit in lege naturae et Mosaica remedium illud adversus peccatum originale et qua ratione aut tempore fuerit parvulis suis a parentibus applicatum.

CCCXLVI. *Dices III.* Saltem parvuli fidelium in Lege Gratiae deterioris essent conditionis quam fuerint in Lege Mosaica aut naturae. Atqui hoc repugnat excellentiae Legis novae. Ergo. Resp. N. M. Parvulorum conditio multis titulis melior et optabilior est in Lege nova quam veteri. Ac I. quidem, quia fides longe facilior nunc est ac communior, longeque abundatior gratia, quam fuerit in Lege naturae aut Mosaica. II. Quia Sacramenta vetera, quantum ad effectum, a fide conferentium pendebant; baptismus vero ab ipsa Sacramenti applicatione, seclusa ministrantis fide et probitate. III. Quia baptismi consecratio facillima est, sive ratione materiae quae omnibus praesto est, sive ratione ministri qui in casu necessitatis quilibet esse potest. IV. Judaei multis et infinitis propemodum legalibus praeceptis ac caeremoniis gravati erant, quibus nos per Christum liberi facti sumus. V. Parvulis in Lege Gratiae coelum patet, quod in Lege Mosaica et naturae clausum erat.

CONTROVERSIA VIII.

AN INFANTES SINT BAPTISMI CAPACES, ET AN EXPEDIAT EOS BAPTIZARE?

Contra Anabaptistas.

CCCXLVII.

Saeculo III. *Tertullianus*, ut ex Lib. de Bapt. Cap. XVIII. manifeste eruitur, censuit validum quidem, et in casu necessitatis licitum etiam esse paedobaptismum; at magis expedire, si parvulorum baptisma differatur, donec per aetatem sint rationis compotes: tum quia sponsores se exponunt periculo, ne infantes factas eorum promissiones cum tempore irritas faciant: tum ob graves obligationes vitam Christiano homine dignam agendi, quae contrahuntur per baptismum. Singularis etiam fuit Fidi Africani Episcopi opinio, qui exemplo a Judaica circumcisione petito, infantes ante octavum a nativitate diem baptizandos non esse asserebat. Saeculo IV. *S. Gregorius Nazianzenus*, quamvis acriter in illos invectus sit qui baptismum ad extremam usque senectutem differebant, censuit tamen parvulos ante tertium aetatis annum non esse baptizandos, quia tunc primum, ut ipse ait, *parvuli mystici quiddam audire, et respondere possunt.* Urgente vero mortis periculo, eos quocumque tempore, etiam non expectato triennio, baptizandos esse docuit; ait enim Orat. XL. in Sanctum Baptisma: *Quid autem de iis dices, qui adhuc tenera aetate sunt, nec aut damnum aut gratiam sentiunt? an eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum*

urgeat: *praestat enim sine sanctitatis sensu sanctificari, quam citra baptismum atque initiationem e vita decedere.* At Nazianzenus hac in re ab aliis Patribus merito deseritur, cum non appareat, quid utilitatis ex hac dilatione percipere possint parvuli triennes, rationis usum nondum habentes, dum interea toto triennio periclitatur eorum salus.

CCCXLVIII. Saeculo XII. ulterius progressa est Novatorum temeritas. Petrobrussiani, Henriciani, Apostolici, Waldenses, Abaëlardus, et Petrus de Brixia paedobaptismum reprobare ausi sunt, tamquam omnino irritum et sacrilegum. Haeredes dementiae suae habuerunt saeculo XVI. Anabaptistas a Nicolao Storkio, Balthasare Pacimontano, et Thoma Münzero, Lutheri olim discipulis exortos, qui baptizatos in infantia, cum ad adultam pervenissent aetatem, iterum baptizabant, quod negarent infantes baptismi capaces esse, aut ab illis contrahi peccatum originale. Anabaptistis adhaesit eodem saeculo Michael Servetus Hispanus Tarraconensis, Antitrinitariorum nostrae aetatis parens. Hic in fine Libri de regenaratione scribere haud erubuit, paedobaptismo Spiritum Sanctum extingui, Regnum Christi conculcari, Christum abnegari. Erasmus Roterodamus, melior Grammaticus quam Theologus, mediam quamdam viam Anabaptistas inter et Catholicos inire visus est. Hic Ecclesiae consuetudinem infantes baptizandi non quidem rejicit; in epistola tamen praefixa paraphrasi in Matthaeum vult infantes baptizatos, postquam adoleverint, interrogandos esse, an ratas habeant promissiones per eorum sponsores in baptismo factas: quod si recusaverint eas confirmare, proprio arbitrio esse relinquendos, nec ad Christianam vitam cogendos. At

impius hic et perabsurdus error proscriptus fuit a Tridentino Concilio Sess. VII. Can. XIV. de Bapt. *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.*

CCCXLIX. *Conclusio.* Infantes sunt Baptismi capaces, et expedit eos baptizare. Assertionis veritatem ex Traditione potissimum ostendemus, ex qua constat, generalia illa Christi verba, quorum meminit S. Matthaeus Cap. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, ad parvulos etiam extendi, adeoque baptismum etiam illis esse conferendum. Prob. itaque Conclusio I. Authoritate Patrum. S. Irenaeus Lib. II. adv. Haereses, Cap. XX. alias XXXIX. *Dominus omnes venit per semeptisum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos, juvenes et seniores. Ideo per omnem venit aetatem; et infantibus infans factus, sanctificans infantes: in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes aetatem.* Origenes in Cap. VI. Epist. ad Rom. *Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit etiam parvulis dandi baptismum. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent.* S. Cyprianus Epist. LIX. ad Fidum: *Quantum vero ad causam infantium*

pertinet , quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos baptizari non oportere, et considerandam esse legem circumcisionis antiquae, ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum non putares: longe aliud in Concilio nostro (Cartaginensi, cui LXVI. interfuere Episcopi sub S. Cypriano A. 253.) *omnibus visum est ; in hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam esse denegandam. - - - - - Si etiam gravissimis delictoribus , et in Deum multum ante peccantibus , cum postea crediderint, remissio peccatorum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit? Magis itaque circa infantes ipsos et recens natos hoc observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra ac de divina misericordia plus merentur , quod in primo statim nativitatis suae ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt quam deprecantur.* S. Ambrosius Lib. II. de Abraham Cap. XI. *Nec senex proselytus, nec infans vernaculus excipitur ; quia omnis aetas peccato obnoxia, et ideo omnis aetas Sacramento idonea.* S. Chrysostomus Hom. ad Neophitos: *Hac de causa etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato; ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiant.* S. Augustinus Lib. X. de Genesi ad litteram, Cap. XXIII. *Consuetudo matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda*

est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi Apostolica esset traditio. Et Lib. I. de peccat. merit. et remiss. Cap. XXVI. *Parvulos baptizandos esse* (Pelagiani) *concedunt, qui contra auctoritatem universae Ecclesiae, procul dubio per Dominum et Apostolum traditam, venire non possunt.* S. Siricius Papa in Epist. ad Himerium, Cap. II. *Infantibus, qui necdum loqui poterunt per aetatem; vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit, sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri: ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de saeculo, et regnum perdat et vitam.* S. Leo M. Epist. LXXXVI. ad Nicetam Aquilejensem: *A parvulo recens nato usque ad decrepitum senem — — — sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo.*

CCCL. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Milevitanum II. verius Carthaginense A. 418. Can. II. ita statuit: *Placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, — — anathema sit.* Gerundense A. 517. Capitulo V. *De parvulis vero qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint, et lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur.* Ex quo Capitulo colligitur, in ea parte Hispaniae baptismum parvulorum extra casum necessitatis per unum aut alterum a nativitate diem differri solitum fuisse ad majorem decentiam. Bracarense II.

A. 572. Can. VII. *Placet, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc praecipiat, ut hi qui infantes suos ad baptismum offerunt, siquid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis: si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent quod offerant, nullum illis pignus violenter tollatur a Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios suos a baptismo retrahunt.* Viennense Oecumenicum A. 1311: ut habetur in Clementina unica de summa Trinitate, ait de baptismo: *Credimus esse tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem.* Tridentinum Sess. V. Can. IV. *Siquis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, - - - anathema sit.* Et Sess. VII. Can. XII. de Bapt. *Siquis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.* Can. XIII. *Siquis dixerit, parvulos, eoquod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit.* Atque hi Canones Conciliorum manifeste nobis ostendunt antiquissimam Ecclesiae praxim, quae baptismum infantibus semper administravit.

CCCLI. Prob. III. Ratione Theologica. Certum est, infantes multo magis in lege Evangelica salvari posse, quamvis ad usum rationis non perveniant, immatura morte rapti. Si enim in Lege naturae et Mosaica aeternam consequi poterant salutem, multo facilius eam consequi poterunt in novo foedere, quod ube-

riorem habet adnexam gratiam. Ergo parvuli justificari possunt. Atqui quia rationis usum nondum adepti sunt, extra martyrii casum justificari nequeunt nisi per baptismum. Ergo parvuli hujus Sacramenti capaces sunt etiam ante usum rationis.

CCCLII. Caeterum parvulos non modo baptismi capaces esse, verum etiam expedire ut in illa aetatula baptizentur, patet I. Quia natura ita comparatum est, ut homines in ea vivendi ratione firmius perseverent, cui a teneris annis jam adsueverunt; bonum est enim homini portasse jugum ab adolescentia sua. Porro si baptismus usque ad adultam aetatem differretur, plures adulti baptismum negligerent, rejicerentque non raro usque ad ultimam aegritudinem; alii ut liberius propriis cupiditatibus indulgerent, utpote nulla lege refraenati, ut sibi falso persuaderent: alii ut plene in ipso exitu per baptismum purgati, recta via ad coelum evolarent. II. quia periculum aeternae damnationis, in quam incidere possunt infantes, si forte sine baptismo repente moriantur, minime compensatur per fructum qui expectatur ex dilatione baptismi, praesertim cum eo fructu non priventur infantes; grandiores enim facti informantur Ecclesiae fide ac doctrina, ut norint quid in baptismo per sponsores promiserint, ac sponsionis suae per totam vitam memores sint et custodes.

CCCLIII. *Quaeres I.* An Infidelium filii invitis parentibus baptizari possint ac debeant? Resp. Parvuli infidelium licite baptizari nequeunt, utroque parente invito, nisi sint serviliter subjecti aut in manifesto vitae discrimine constituti. Dixi I. *Parvuli.* Adulti enim, posteaquam ad rationis usum pervenerunt, si

baptismum petant, repugnantibus etiam parentibus rite et legitime baptizantur; quia hac in re sui juris sunt, posteaquam ad rationis usum pervenerunt. II *Infidelium*, id est, eorum qui falsam religionem Christianae contrariam profitentur, nec per baptismum ingressi sunt Ecclesiam. In haereticos enim propter baptismum ab eis susceptum, Ecclesia jurisdictionem habet in ordine ad religionem; atque ita absque injuria potest parentes privare patria potestate, quam habent ad educandas proles, quas proinde potest eis eripere ut baptizentur, si non sint baptizatae, et in vera fide instruantur. III. *Licite*. An enim valide baptizentur, praeter Durandum, nemo Theologorum dubitat, cum nihil desit in ejusmodi baptismo ad valorem Sacramenti. IV. *Utroque parente invito*. Si enim parentes infideles in baptismum parvulorum suorum consenserint, vel eos sibi retinere noluerint, ideoque eos exponant, parvuli licite baptizari potuerunt. Quod si alter parens consentiat in baptismum infantis, alter reluctetur, licite baptizatur infans; quia in hoc dissidio, in quo infans uni parti subtrahendus est et alteri adjudicandus, praevalet jus partis innocentis: pars autem innocens censetur parens ille, qui in baptismum infantis consentit. Cavendum est autem eo casu, ne infans sub parentis qui baptismo reluctatus est, potestate relinquatur, ob periculum nempe perversionis. V. *Nisi parentes sint serviliter subjecti*. Si enim illi justam sub Principe Christiano patiuntur servitutem proprie dictam, vi hujus dominii infantes a parentibus abstrahi possunt et baptizari, modo non reddantur parentibus post baptismum, sed seorsim ab illis Christiane educandi collocentur. Ratio est, quia geniti servis

parentibus, sunt proprium Domini bonum, adeoque avelli ab ipsis jure possunt, et Christo per baptismum consecrari. Assertio itaque nostra de iis tantum infidelibus loquitur, qui Christianis Principibus subditi sunt subjectione mere civili et politica, quales sunt v. g. Judaei, qui frequenter in ditionibus Christianorum Principum tolerantur. VI. *aut in manifesto vitae discrimine constituti*. In hoc enim articulo debent infantes baptizari, etiam invitis parentibus Christiano Principi civiliter tantum subjectis; quia tunc neque infans, moraliter loquendo, exponitur periculo apostasiae, nec parentibus injuria fit, quibus infantem non rapit baptismus, sed mors: neque minister irreverentiae reus est; licet enim Sacramentum exponere periculo saltem remoto profanationis, quando in extrema necessitate positus est suscipiens, et qualecunque illud periculum alio modo propulsari nequit. Illud praeterea hic observandum, parvulos infidelium, illicite quamvis baptizatos ob dissensum parentum, nihilominus a parentibus separandos esse; praevalet enim juri paterno jus quod Ecclesia per baptismum acquisivit, cum cedat in utilitatem parvuli, atque in honorem Dei et Sacramenti, quod per apostasiam moraliter certo futuram: nisi parvulus ab infidelibus parentibus separaretur, gravi injuria afficeretur. Doctrinam hoc numero traditam hausimus ex Bullario *Benedicti XIV*. Tomo II. Constitutione XXVIII. ad Archiepiscopum Tarsensem, Vicesgerentem in Urbe Roma. Et Tomo III. Constitut. XLIX. et LIV.

CCCLIV. Prob. jam assertio sic explicata I. Authoritate et praxi Ecclesiae, quae neque florentissimis Christianae rei temporibus umquam apud Imperatores

ant Principes Christianos egit, ut cogerent infideles sacra nostra suscipere, iisque parvulos suos initiare. II. Authoritate Conciliorum et Pontificum. *Toletanum IV.* A. 633. cui LXII. Episcopi subscripsere, tacite improbavit factum Sisebuti Hispaniarum Regis, qui circa annum 614. Judaeos baptismum suscipere coegit. Canone enim LVII. ita statuit: *De Judaeis autem hoc praecepit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: Cujus enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma justitiae. Sicut enim homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante gratia Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed libera arbitrii voluntate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi.* Quae verba quamvis de adultis dicta sint, non minus tamen ad parvulos pertinent; non minus enim vis infertur parentibus, si eorum parvuli ipsis invitis baptizentur, quam si ipsi parentes infideles compellerentur baptisma suscipere. S. Gregorius M. Lib. I. Epist. XLVII. alias XLV. ad Virgilium Arelatensem et Theodorum Massiliensem scribit: *Intentionem quidem hujusmodi laude dignam censeo; sed timeo, ne animarum quas eripi volumus, dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non praedicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur.* S. Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. XLI. *Porro illis* (Infidelibus) *violentia, ut credant, nullatenus inferenda est. Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non po-*

test; *scriptum est enim, Voluntarie sacrificabo tibi.* III. Ratione. I. est. Infideles neque ab Ecclesia, neque a Principe cui tantum civiliter subsunt, cogi possunt ut parvulos suos ad baptismum offerant: non ab Ecclesia; quia ei nullo modo subjiciuntur: non a Principe; quia ei in illis tantummodo subsunt quae spectant ad justitiam et honestatem naturalem. At vero Baptismus ordinis est supernaturalis. II. est. Infantes sic baptizati vel relinquuntur sub patria potestate; et tunc baptismus manifesto periculo profanationis exponitur, quia parvuli in superstitione parentum educarentur: vel subducerentur a parentum potestate, ut postea baptizentur; et tunc jus naturale quod parentes habent in filios, violaretur. Quod licite tam parum fieri potest, quam parum bona quae juste possidentur, per vim eripi valent.

CCCLV. Neque dicas I. Paterfamilias qui coenam magnam instruxerat, servo suo imperavit Lucae Cap. XIV. *Exi in vias, et sepes: et compelle intrare, ut impleatur domus mea.* II. In conflictu duarum potestatum, quarum una alteri subjacet, inferior contra superiorem non obligat. Atqui Deus imperat omnem hominem baptizari. Matth. Cap. ult. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos etc.* Ergo. III. Infantes licite avelluntur a parentibus, si pravis moribus ab illis instituantur, aut si periculum sit ne ab illis occidantur. Ergo multo magis a parentibus infidelibus abstrahi possunt, ut baptizentur. IV. Infideles, supposita sufficiente praedicatione fidei, tenentur lege naturali prolibus suis procurare baptismum. Ergo ubi jus naturale violant, Principes possunt parentum defectum supplere. V. *S. Augustinus* Epist. XCIII. alias XLVIII.

ad Vincentium Rogatistam laudat Leges ab Impp. latas adversus sacrificia Paganorum. Ergo si Christiani Principes possunt licite Paganos a nefariis sacrificiis mortem comminando deterrere, multo magis possunt eos cogere, ut parvulos suos baptizandos offerant. Resp. ad I. Deus, qui per Patremfamilias repraesentatur, jussit homines ad coenam, seu ad fidem compelli pondere rationum, praedicationis constantia, et virtute persuasionis; non vero armorum strepitu, et vi adhibita. Ad II. C. M. D. m. Deus imperat baptizari omnem hominem volentem, C. m. Hominem repugnantem, N. m. Parvuli non aliud velle censentur quam quod volunt parentes. Ergo sicuti Legi divinae repugnat baptizare adultum nolentem: ita etiam Legi divinae adversatur baptizare infantem invitis parentibus; quia Deus baptismum praecipit, servata lege naturae, et reverentia Sacramento debita. Ad III. N. C. Bona morum institutio, et vitae temporalis conservatio juris sunt naturalis et publici: ac Respublica, cujus pax et tranquillitas ex bona civium institutione pendet, authoritatem suam in res hujuscemodi exercere potest. At vero Sacramenta sunt simpliciter juris divini positivi, atque ad ea illos dumtaxat potest cogere Ecclesia, in quos authoritatem habet et dominium. Ad IV. D. A. Infideles prolibus suis baptismum procurare tenentur lege naturali, mediate et indirecte, C. A. Immediate et directe, N. A. et Conseq. Infideles tenentur lege naturali mediate et indirecte parvulis suis procurare baptismum, in quantum lex naturae dictat obediendum esse praeceptis Dei. At hoc modo proprie ac stricte non dicimur obligari jure naturali, sicut non dicimur jure naturae obligari ad audiendam

diebus festis et Dominicis Missam, vel ad servandam diebus esurialibus abstinentiam a carnibus. Profecto hujusmodi legis naturalis transgressio non sufficit, ut Princeps possit parentes repugnantes jure suo privare; alioquin posset pariter cogere adultos ad suscipiendum baptismum, quia et ipsi simili modo peccant contra legem naturalem nolentes baptizari. Ad V. N. C. Haec duo omnino diversa sunt, alicui interdicere cultum impiae Religionis, ejusque publicum exercitium, et ipsum cogere ad cultum verae Religionis. Prius illud possunt, et quandoque exequi tenentur Principes, praesertim cum dispar cultus subditos ad discordias et rixas incitat, quos in pace ac unione continere officium est Principum. At non tenentur illi, nec debent invitos ac reluctantes Infideles sibi civiliter tantum subditos, ad baptismum suscipiendum, et profitendam Christianam Religionem termentorum acerbitate compellere.

CCCLVI. *Quaeres II.* An reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contingit, valide baptizetur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus per siphunculum tingi potest? Antequam respondeam, noto I. Certum est, infantem in matris utero ita latitantem, ut nulla ejus pars aqua perfundi queat, baptizari non posse, neque ei baptismum prodesse, quod nonnulli haeretici, Cerinthiani nempe, Marcionitae et Cataphryges, olim arbitrati fuisse dicuntur, si ejus loco matris corpus abluatur. II. Matre in mortis periculo constituta, si infans aliquam sui partem ex utero emisit, Rituale Romanum statuit in ea parte baptismum esse conferendum quae ex utero emersit, additque bapti-

mum non esse ullo pacto repetendum, si salutari aqua infantis caput tinctum fuerit; secus vero faciendum decernit, cum non caput, sed alia quaelibet corporis pars aqua perfunditur: tunc quippe parvulum, si vivus evaserit, iterum sub conditione baptizandum praecipit. Complures tamen ex Theologis existimant, caput a Rituali Romano nominari non restrictive, sed mere demonstrative, ut ajunt, seu exempli causa, ac propterea idem judicium esse ferendum de aliis partibus principalibus corporis, v. g. humeris, pedibus, ac manibus. Verum cum haec opinio probabilitatis limites non excedat, in praxi conferendus est baptismus sub conditione, si contigerit parvulum praesenti periculo ereptum ex matris utero prodire, qui antea urgente necessitate in alio membro quam in capite baptizatus fuit.

CCCLVII. Respondeo, circa praesentem quaestionem diversas esse Theologorum sententias. Sunt, qui cum Card. Laurea, Herminier, Natale Alexandro, Gotti, Berti, Billuart etc. negant baptismum in hoc casu validum esse, suamque assertionem gemino argumento confirmant. Primum ex ipsa natura baptismi derivant. Baptismus, ajunt, est Sacramentum regenerationis, et secundae nativitatis spiritualis, cui necesse est ut prima corporis nativitas praecedat, dicente Christo Joan. Cap. III. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. — — Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo cum nullus possit renasci antequam natus sit, infans in hoc casu validè baptizari nequit. Alterum argumentum petunt ex authoritate S. Augustini, qui lib. II. de peccat. merit. et remiss. Cap. XXVII. scribit: *Sacramentum Bapti-*

smi profecto Sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest, et qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Et Epist. CLXXXVII. alias LVII. ad Dardanum, Cap. IX. *Non video, quomodo aedificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati.*

CCCLVIII. Contra validum esse in hoc casu baptismum asserunt Victoria, Suarius, Gregorius de Valentia, Aurelius Piette, Franciscus Henno, Gabriel Gualdus, aliique; tum quia infantes in utero matrum sanctificationis capaces sunt, ut constat de Jeremia, ac praecipue de S. Joanne Baptista: tum quia nihil deesse videtur ad valorem baptismi; datur enim subjectum capax, minister, debita materia et forma, ac materiae applicatio. Ad momenta adversariorum respondent, quantum ad rem attinet, infantem illum natum dici posse, qui ex abditioribus maternae alvi penetralibus ad uteri ostium decidit, atque obstetricis manibus pertractatur: unicum vero Augustini scopum fuisse, improbare baptismum collatum matri, pro puero quem in utero gestat. Vide hac de re plura apud *Prosperum Lambertinum*, seu *Benedictum XIV.* in Lib. de Synodo Dioecesana, Lib. VII. Cap. V.

CCCLIX. Verum quidquid demum sit de hac Theologorum lite, in praxi certum videtur I., infantem sic baptizatum denuo sub conditione baptizandum esse, quia opinio utraque tam ea quae stat pro valore hujus baptismi, quam quae illam impugnat, est tantum probabilis, nullamque moralem certitudinem attingit. II. Infantem nulla adhuc sui parte editum,

si prudenter timeatur decessurus antequam mater illum enitatur, sub conditione baptizandum esse, modo aqua ope instrumenti ad illum pertingere queat. Charitas enim praecipit, ut remedio etiam probabili tantum, quando certiora non suppetunt, illius saluti consulatur quantum fieri potest.

OBJECTIONES.

CCCLX. *Objicitur I.* Silentium Scripturarum. In Scripturis nullum habemus mandatum vel exemplum de Baptismo parvulorum. Ergo rejiciendus est. Resp. I. N. A. Praeceptum generalibus illis Christi verbis indicatur Matth. Cap. XXVIII. *Euntes igitur docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Exemplum *Actus* Apostolici verisimiliter suppeditant; Capite enim XVI. narratur, Lydiam purpurariam, et custodem carceris cum tota familia a Paulo baptizatos fuisse. At longe verisimilius est, quod in integris familiis infantes aliqui extiterint. Resp. II. N. C. Quamvis Scripturae silerent, Traditio tamen quae parem habet cum verbo scripto authoritatem, atque antiquissima Ecclesiae praxis paedobaptismo aperte suffragantur. Caeterum si qua vis huic argumento inesset, confici ex eo facile posset, foeminas omnes ab Eucharistica mensa arcendas esse, qui a nec praeceptum nec exemplum in Scripturis ostendi potest mulieris ad participationem Eucharistiae admissae.

CCCLXI. *Objicitur II.* Authoritas Scripturarum. Christus instructionem praemitti jussit Baptismo. Matth. Cap. XXVIII. *Euntes igitur docete omnes gentes, baptizantes eos -- docentes eos servare omnia quaecun-*

quae mandavi vobis. Marci Cap. XVI., *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Pari modo Apostolus ad Rom. Cap. X. ait: *Corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Et S. Petrus Act. Cap. II. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Ergo cum infantes instrui, aut poenitentiam agere nequeant, differendus est illorum baptismus ad annos discretionis. Resp. D. A. Christus instructionem praemitti jussit baptismo adultorum, C. A. Baptismo parvulorum, N. A. et Conseq. In adultis ad fructum baptismi percipiendum praerequiritur fides, adeoque instructio et poenitentia seu detestatio peccatorum: at vero in parvulis, qui propter conditionem aetatis fidei aut poenitentiae actum elicere nequeunt, defectum hunc supplet Matris Ecclesiae fides, ut constat ex traditione et praxi Ecclesiae, quae infallibilis est Scripturarum interpres. Neque contrarium evincitur ex S. Hieronymo, qui Comment. in Matth. scribit: *Non potest fieri, ut corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei receperit veritatem.* Loquitur enim ibi S. Doctor de adultis, quibus ultro fatemur dari non debere baptismum, nisi fidei prius actu sibi proprio receperint veritatem. Aliud S. Hieronymum sensisse de parvulis, patet tum ex ipsius Epistola ad Laetam, in qua parentes graviter monet, ut curent suos infantes statim ac sine mora baptizari, tum ex Lib. III. contra Pelagianos, ubi ex baptismo parvulorum adstruit existentiam peccati originalis.

CCCLXII. *Objicitur III.* Exemplum Christi. Christus Rex et Legifer noster baptizatus fuit trigesimo aetatis anno. Ergo Baptisma Christianorum differri debet ad adultam aetatem. Resp. C., A. N. C., nisi pariter in-

ferre velis, exemplo Christi Eucharistiam sero post coenam celebrandam esse, servandam nobis esse Legem Mosaicam, circumcisionem retinendam esse etc. Christus non ex necessitate, sed ut nobis demissi animi exemplum daret, baptizari voluit a Joanne, antequam praedicationem suam auspicaretur. Contra vero cum baptismus nobis necessarius sit ad salutem, male nobis consuluisset tam necessarium remedium differendo, quo facile privari in tenera illa aetate, sicque aeterna excidere salute potuissemus.

CCCLXIII. *Objicitur IV.* Paritas gemina. I. est. In adultis requiritur propria dispositio praevia ad Baptismum. Ergo etiam in parvulis. Atqui parvuli cum per aetatem usu rationis non polleant, disponere se nequeunt ad Baptismum. Ergo Baptismus illis differendus est. II. Parvuli non admittuntur ad Eucharistiam. Ergo neque admitti debent ad Baptismum. Resp. ad I. N. C. Adulti propriae dispositionis capaces sunt, et quia proprio voluntatis motu se a Deo averterunt per peccatum personale, aequum est ut proprio liberi arbitrii motu, beneficio gratiae divinae excitantis et adjuvantis, ad Deum convertantur: At vero parvuli nec dispositionum illarum capaces sunt, nec motu voluntatis physice proprio peccaverunt. Quemadmodum ergo illis aliena voluntas nocuit, nempe Adami; ita voluit Christus, ut aliena fides, nempe Ecclesiae, parvulis prodesset ad salutem, per Spiritus Sancti gratiam in Baptismo ineffabiliter operantem. Ad II. N. C. Eucharistia cum sit a Christo instituta ad vitam spiritualem quam in baptismo accepimus, nutriendam et conservandam, parvuli ea non indigent, quod vitam spiritualem in baptismo acceptam amittere nequeant, donec ad annos discretionis perve-

niant. At vero Baptismus institutus fuit ad dandam vitam spiritualem, quam nisi parvuli in baptismo acceperint antequam ex hoc saeculo decedant, aeternum pereunt coelo exclusi.

CCCLXIV. *Objicitur V.* Infidelitas parvulorum. Infidelis non est Baptismi capax. Atqui parvuli sunt infideles. Ergo P. m. Parvuli sunt omni fide destituti, tam actuali quia rationis usum non habent, quam habituali quia Christum non habent in cordibus habitantem. Ergo sunt infideles. P. A. Si Christum haberent in cordibus habitantem, intimo sensu illum cognoscerent. Atqui illum non cognoscunt. Ergo. R. D. M. Infidelis qui positive non credit, non est capax Baptismi, C. M. Infidelis negative, id est, qui fidem actu non habet, cujus est incapax, N. M. Et sic dist. minore N. Conseq. Ad *prob.* N. A. Parvuli fidem habent actualem, non quidem propriam ut somniavit Lutherus, sed Ecclesiae: quam primum vero unda vitali perfusi sunt, simul cum gratia sanctificante recipiunt habitum fidei, spei et charitatis. Ad hujus *probat.* N. M. Ut enim *S. Augustinus* scribit Epist. CLXXXVII. alias LVII. ad Dardanum, Cap. VIII. *Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, abitare Spiritum Sanctum. Sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt et mentem suam; cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, velut quaedam scintilla sopita est, excitanda aetatis accessu.*

CCCLXV. *Objicitur VI.* Injustitia Paedobaptismi. Injustum est pueris nescientibus Christi jugum imponere. Ergo Baptismus tamdiu differendus est, donec qui petit agnoscat obligationes Baptismo adnexas. P. A. Aequitas postulat, ne quis inconsultus et inscius de-

bita contrahat. Ergo. R. N. A. Neutiquam ille contra justitiae leges agere censendus est, qui captivum, etiam non petentem atque inscium, a gravissima servitute liberat. Atqui nulla gravior aut magis perniciosa servitus excogitari potest quam illa, in qua parvuli ante baptismum detinentur diabolo subjecti. Accedit quod obligationes, quas baptizati contrahunt, sint onus leve et jugum suave, quod serius aut citius Lege divina positiva et naturali subire tenentur. Ad *probat*. D. A. Si id evidens et maxima postulet illius utilitas, qui debita inscius contrahit, N. A. Secus, C. A. N. C. Aequitas postulat, ut solvantur impensae tamquam utili negotiorum gestori, quas alter fecit etiam sine mandato, ut alienum equum aut bovem errantem ad Dominum reduceret, aut ut opportuna medicina aegrotum sanaret, alias periturum.

ARTICULUS III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CONTROVERSIA I.

AN CONFIRMATIO VERUM SIT NOVAE LEGIS SACRAMENTUM?

Contra Protestantes.

CCCLXVI.

Confirmatio est Sacramentum novae Legis, quo baptizatis Spiritus Sancti robur confertur, tum ad firmiter eredendum, tum ad fidem ipsam intrepide confitendam. Dicitur I. *Baptizatis.* Confirmatio enim necessario praesupponit Sacramentum Baptismi, cum instituta fuerit pro solis fidelibus, qui per Baptismum Ecclesiam ingressi, et spiritualiter regenerati sunt. II. *Spiritus Sancti robur.* Nam gratia sanctificans et Spiritus Sanctus in quolibet Sacramento novae Legis confertur: At vero in Confirmatione ea plenitudo gratiae datur, quae suscipientem, adhuc parvulum in Christo, perficiat et corroboret. III. *Ad fortiter credendum, et ad fidem ipsam intrepide confitendam.* Gratia enim in hoc Sacramento confertur ad robur, ut baptizati tentationibus contra fidem irruentibus viriliter resistant, eamdemque fidem, spretis minis et blanditiis saeculi, data occasione liber profiteantur. Porro varia sunt Confirmationis nomina apud Patres et authores Ecclesiasticos, a materia illius, forma, et effectu petita. Vocari enim ab illis solet *impositio manuum, Sacramentum chri-*

smatis et unctionis, unguenti mysterium, chrisma spiritalis unguenti, chrisma sanctum et supercoeleste, chrisma salutis, signaculum donationis Spiritus Sancti plenitudo gratiae, et perfectio.

CCCLXVII. Confirmationem e Sacramentorum numero omnium primi expungere conati sunt Novatores Saeculi XVI. Lutherus Lib. de Captivit. Babylon. Melanchton in Locis commun. Calvinus Institutionis Lib. IV. Cap. XIX. et in Antidoto Conc. Tridentini ad Can. I. de Confirmatione, horumque sectatores Kemnitius, M. Ant. de Dominis, Joannes Dallaeus, aliique. Gloriantur equidem veteribus haereticis erroris sui praeformatoribus, Novatianis, Albigensibus, Waldensibus, Wickleffo, et Husso. At praeterquam quod proscriptorum ab Ecclesia hominum authoritas in Religionis negotio contemnenda sit, neque umquam error adversus veritatem praescribere valeat, inanem esse qualemcumque hanc gloriationem silentium veterum Historicorum ostendit. Novatianos quod attinet, constat equidem ex Epistola *Cornelii* Papae ad Fabium Antiochenum, Novatianum, postquam a morbo recreatus est, ab Episcopo consignatum non fuisse, ejusque asseclas ut factum Magistri sui probarent, Confirmationis Sacramentum tamquam minus necessarium neglexisse, quod etiam ab Arianis, Macedonianis, Apollinaristis factitatum fuisse haud obscure colligitur ex eo Canone, quem Graeci ordine septimum legunt inter Canones Constantinopolitani I. Concilii: At vero Confirmationem e Sacramentorum numero ab illis erasam fuisse silent Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Pacianus, Damascenus, diligentes alioquin Scriptores in recensendis haereticorum erroribus. Albigensibus erro-

rem hunc adscribunt Petrus Vallecernensis et Alanus; sed silentibus aliis Scriptoribus, non levis conjectura est, Petrum et Alanum falso rumore deceptos, aut quod aliquibus forte Albigensibus in mentem venerat pravum dogma, universis inconsiderate attribuisse. Waldenses non circa veritatem Sacramenti Confirmationis errarunt, ut patet ex solemni illa fidei professione, quam Uladislao Hungariae Regi obtulerunt, in qua sic habent: *Sacramenta septenario inclusa numero, Ecclesiae Christi utilia esse pandimus.* De Confirmatione vero nominatim ita loquuntur: *Fide ex divinis Scripturis sumpta profitemur, temporibus Apostolorum istud observatum fuisse.* Errabant itaque I. circa ministrum Confirmationis, quem ordinarium volebant esse Presbyterum. II. Circa consecrationem chrismatis, quam dicebant esse omnino superfluam. III. Circa unctionem, quam humanum esse inventum asserebant. Quod vero Waldenses nostris temporibus duo tantum admittant Sacramenta, id horum hominum inconstantiam arguit, quos Joannes Bucerus Argentoratensis Calvinianae sectae minister A. 1532. permovit, ut contempta Majorum suorum doctrina, Protestantibus adhaererent. Joannes Wickleffus neque in Trialogo, neque alibi Sacramentum ipsum Confirmationis, sed ejus tantum administrationem Episcopis reservatam esse negavit, ideoque a Constantiensi Articulus Wickleffi XXVIII. proscriptus fuit: *Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, et honoris.* Nec aliter de Joanne Hus sentiendum est, qui nec latum unguem a Wickleffo hac in re discessit.

CCCLXVIII. *Conclusio.* Confirmatio est verum novae Legis Sacramentum. Prob. Conclusio haec dogmatica I. Authoritate Scripturarum. Actuum Cap. VIII. dicitur: *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu: tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Actuum Cap. XIX. de Ephesiis dicitur: *Baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.* Ergo Confirmatio est verum novae Legis Sacramentum. P. C. Ad verum novae Legis Sacramentum, fatentibus ipsis etiam Protestantibus, requiritur symbolum externum, mandatum divinum symbolum illud usurpandi, et promissio gratiae. Atqui haec omnia assignari possunt in ritu Confirmationis. Ergo Confirmatio est verum novae Legis Sacramentum. P. m. In ritu illo usurpatur symbolum externum, nimirum impositio manuum, unctio et oratio: datur mandatum divinum symbolum illud usurpandi, quia Apostoli dispensatores Mysteriorum Dei Samariae, Ephesi, atque aliis in urbibus Confirmationem administrarunt fidelibus jam baptizatis: idem symbolum usurpavit primitiva Ecclesia, illud non usurpatura, nisi usurpandi mandatum accepisset a Christo. Assignari etiam potest promissio gratiae; nam Joan. Cap. XIV. ait Christus: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Praeterea si;

gnum illud sensibile vim habebat conferendi gratiam; quotiescumque enim in Actibus Apostolicis impositionis manuum fit mentio, subjungitur eos accepisse Spiritum Sanctum. Ergo divina promissione gratia fuit Confirmationi adnexa. Caeterum nomine *Spiritus Sancti* non tantum intelligi dona gratis data linguarum, curationum, et miraculorum, quae primis fidelibus conferebantur ad majorem Christianae fidei adhuc tenerae commendationem; sed etiam ac praecipue gratiam sanctificantem, qui est effectus nostris etiam temporibus adhuc permanens hujus Sacramenti, si cum legitima praeparatione suscipiatur, patet tum ex unanimi Patrum et Ecclesiae consensu, tum ex testimonio B. Petri, qui *Act.* Cap. XI. narrans Judaeis, Cornelium Centurionem cum tota ejus familia a se baptizatum fuisse, ait: *Cum autem coepissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio.* At Spiritus Sanctus datus Apostolis die Pentecostes non complectebatur tantum dona gratis data, sed praecipue gratiam sanctificantem, qua subito in alios viros atque intrepidos fidei athletas mutati sunt. Ergo per Spiritum Sanctum, quem confirmati ab Apostolis accepisse dicuntur, intelligenda est praecipue gratia sanctificans.

CCCLXIX. Prob. II. Authoritate Patrum. Origenes Hom. VIII. in Leviticum scribit: *Sic ergo conversis a peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quae superius diximus: donum autem gratiae Spiritus per olei imaginem designatur, ut non solum purgationem consequi possit is qui convertitur a peccato, sed et Spiritu Sancto repleri.* Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. VII. *Exinde egressi de Lavaro, perungi-*

mur benedicta unctione. --- Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritualis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans et invitans Spiritum Sanctum. Et Lib. de Resurrect. Carnis, Cap. VIII. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut et anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* S. Cyprianus Epist. LXX. ad Januarium: *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.* Idem Epist. LXXIII. ad Jubajanum loquens de Samaritis, quibus Petrus et Joannes manus imposuerant, ait: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.* Immo Epist. LXXII. ad Stephanum Confirmationem disertis verbis Sacramentum vocat. *Parum est eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant et Ecclesiae baptismum. Tunc enim demum plene sanctificari, et esse filii Dei possunt, si utroque Sacramento nascantur.* S. Cyrillus Jerosol. Catech. III. Mystagogica: *Christi estis facti, posteaquam Spiritus Sancti imaginem recepistis, et omnia in imagine facta sunt in vobis: quoniam Christi imagines estis. At ille quidem cum in flumine Jordane lavisset, corpus in quo Divinitas habitabat, aquis tradidit, ascenditque ex illis, et Spiritus Sanctus substantialiter super eum descendit. Et*

vobis postquam similiter ex aquis sacri Lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus: hoc autem est Spiritus Sanctus. - - Caeterum vide ne illud esse putes unguentum merum ac simplex. Quemadmodum enim Panis Eucharistiae post Sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic et Sanctum hoc Unguentum, non amplius est unguentum nudum neque commune, postquam jam consecratum est, sed est chrisma Christi, et Spiritus Sancti praesentia, per ipsius Divinitatem energiam habet, quo frons et alii sensus corporis tui symbolice inunguntur; et corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima vero Sancto vivificoque Spiritu vivificatur. S. Ambrosius Lib. III. de Sacram. Cap. II. *Sequitur spirituale signaculum quod audistis hodie legi: quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.* S. Augustinus Lib. II. contra litteras Petiliani, Cap. IV. *Et in hoc unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. - - Discerne ergo visibile Sanctum Sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad praemium, illis ad judicium, ab invisibili unctione charitatis, quae propria bonorum est.* Theodoretus Comment. in Cap. I. Cantici Canticorum: *Unguentum effusum nomen tibi. Quod si magis etiam myrtice vis intelligere, Sacri Baptismatis mysterium recordare; in quo qui initiantur, post tyranni abnegationem, et Regis confessionem, spiritualis Unguenti unctionem suscipiunt veluti regium quoddam sigillum. invisibilem Sanctissimi Spiritus*

S 2

gratiam in unguento, tamquam in typo recipientes. Similia habent reliqui etiam Patres, quorum loca brevitatis gratia tantum indicamus. *S. Irenaeus* Lib. IV. adv. Haer. Cap. XXXVIII. alias LXXV. *S. Cornelius* Papa in Epist. ad Fabium Antiochenum apud *Eusebium* Lib. VI. Hist. Eccl. Cap. XXXV. *S. Pacianus* Epist. I. ad Sympronianum. *S. Optatus Milevitanus* Lib. IV. adv. Parmenianum, *S. Hieronymus* in Dial. adv. Luciferianos. *S. Innocentius. I.* in Epist. ad Decentium. *S. Cyrillus Alexandr.* Comment. in Joëlem. *S. Chrysostom.* Hom. XVIII. in Actus Apostol. *S. Isidorus Hispalensis* Lib. VI. Originum, Cap. ult. *S. Gregorius M.* Lib. III. Epist. IX. et XXVI. *Ven. Beda* Comment. in Psal. XXVI. et in Cap. VIII. Act. Apost.

CCCLXX. Prob. III. Authoritate Conciliorum. Initio Saeculi IV. *Eliberitanum* Concilium Can. XXXVIII. meminit Sacramenti Confirmationis: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum; ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem proficere* (vel ut alii Codices habent) *perfici queat.* Et Can. LXXVII. *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si antea de saeculo recesserint, sub fide, qua quis credidit, poterit esse justus.* Nicaenum I. Can. VIII. decrevit, Novatianos ad Ecclesiam redeuntes recipiendos esse per manus impositionem, nempe confirmatoriam et Sacramentalem, ut scribit Theodoretus Lib. III. Haeret. Fabularum, Cap. V, quia Novatiani

negligebant Sacramentum Confirmationis tamquam minus necessarium. Laodicenum A. 372. Can. XLVIII. *Oportet eos qui baptizantur, post lavacrum chrisma Ecclesiae accipere, et regni Christi participes inveniri.* Hispalense II. A. 619. Cap. VII. enumerans ea, quae simplicibus Presbyteris non licet in Lege Evangelica administrare, ait: *Siquidem non licere eis* (noverint) *Ecclesiam vel altarium consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis vel conversis ex haeresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare.* Toletanum IV. A. 633. Can. LVII. postquam vetuit, ne Judaei ad Christianam fidem amplectendam vi ac minis adigerentur, subjungit: *Qui autem jam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, - - - quia constat eos esse Sacramentis divinis associatos, et Baptismi gratiam percepisse, et chrismate unctos esse, et corporis Domini et sanguinis extitisse participes; oportet ut fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen divinum blasphemetur.* Cabilonense II. A. 813. Can. XXVII. *Dictum nobis est, quod quidam de plebe bis aut ter ab Episcopis, ignorantibus eisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est, eamdem Confirmationem, sicut nec Baptismum, iterari minime debere.* Meldense A. 845. Can. XLIV. *Ut Chorepiscopus modum suum juxta Canonicam institutionem teneat, et nec sanctum chrisma, nec Sanctum Paracletum Spiritum, solis Episcopis juxta Decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet.* Denique Tridentinum Sess. VII. Can. I. de Confirm. definit: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium*

Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam Catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

CCCLXXI. Ex his Patrum et Conciliorum testimoniis luculenter ostenditur I. Confirmationem reponendam non esse in mera catechesi, aut fidei professione; ritus enim hic applicabatur unius etiam diei infantibus, examinis et professionis fidei incapacibus. II. Etiam in primitiva Ecclesia numquam habitam fuisse pro simplici baptismi caeremonia aut ritu. Si enim Patres Confirmationem existimassent esse meram caeremoniam aut ritum accidentaliter baptismo adjacentem, eumdem atque baptismus ministrum solemnem habuisset; quia qui potest quod majus est, a fortiori potest quod in eodem ordine est minus. Atqui juxta Patres et Conciliorum effata nefas erat Presbyteris, ordinariis Baptismi ministris, Confirmationem administrare. Neque obstat, quod saepe eadem die Confirmatio post Baptismum collata fuerit: alioquin dicendum foret, Eucharistiam non alio quam simplicis caeremoniae loco a veteribus habitam fuisse, quam constat pariter baptismo ratione temporis conjungi solitam fuisse. III. A Patribus et Conciliis habitam fuisse pro vero novae Legis Sacramento, tum quia Confirmationi non secus ac reliquis sacris symbolis appellationem Sacramenti detulerunt; tum praecipue quia omnes veri Sacramenti conditiones ei adscripsere; ajunt enim eam fuisse a Christo institutam, inditam habere gratiae conferendae virtutem, eamque cum Baptismo atque etiam Eucharistia saepissime conferunt.

CCCLXXII. Prob. IV. Argumento praescriptionis. Ecclesia tam Latina quam Graeca unanimi consensu jam ab antiquissimis temporibus constanter tenuit docuitque, Confirmationem esse verum novae Legis Sacramentum, ut aperte testantur Scripta Patrum, Canones Conciliorum a nobis in probatione II. et III. adducti, et antiqui rerum Ecclesiasticarum Scriptores, ut v. g. Rabanus Maurus, Alcuinus, Walafridus Strabo, Amalarius, item Ordo Romanus, Sacramentarium S. Gregorii M., omnesque Rituales libri et Euchologia vetustissima tam Graecorum quam Latinorum. Ergo nisi Protestantes ostendant, quod frustra hactenus conati sunt, quis, quo saeculo, quibus artibus opinionem hanc in Ecclesiam invexerit, omnesque tam Graecae quam Latinae Ecclesiae Pastores manibus et pedibus in sententiam suam ire coegerit, antiquissima haec Ecclesiae doctrina vere est Apostolica, invariabili traditione ad nos transmissa, juxta regulam quam *S. Augustinus* tradit Lib. IV. de Bapt. contra Donastistas, Cap. XXIV. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

OBJECTIONES.

CCCLXXIII. *Objicitur I.* Infirmitas argumenti ex Scripturis petiti. Haec verba Act. Cap. VIII. *Et accipiebant Spiritum Sanctum.* Act. Cap. XIX. *Venit Spiritus Sanctus super eos*, non denotant gratiam sanctificantem, sed gratias gratis datas, nimirum dona linguarum, curationum et prophetiae. Ergo ex Scripturis

probari nequit, per impositionem manuum collatum fuisse ab Apostolis verum Sacramentum. P. A. Post verba illa Act. Cap. XIX. statim subjungitur: *Et loquebantur linguis, et prophetabant.* Ergo Ephesiis collatae tantum fuerunt gratiae gratis datae. *Confirm.* Ipse B. Petrus die Pentecostes ait ad Judaeos Act. Cap. II. *Non enim sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae: et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt.* Ergo Scriptura non aliud insinuat collatum fuisse, quam donum prophetiae, linguarum, et curationum. R. N. A. Haec verba utrumque effectum Spiritus Sancti denotant, nimirum gratiam sanctificantem, et gratias gratis datas. Prior est effectus praecipuus, permanens ac perpetuus: alter est transitorius, et concessus tantum ad tempus, nempe ad commendationem rudis fidei, et primordia Ecclesiae dilatanda. Et profecto ille Spiritus datus est fidelibus per impositionem manuum, de quo Christus ait Joan. Cap. XIV. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Atqui gratiae gratis datae non id praestant, ut Spiritus Sanctus apud illos maneat; cum etiam malis hominibus haec dona concedi possint, qui Spiritum Sanctum inhabitantem non habent. Ergo nomine Spiritus Sancti non veniunt solae gratiae gratis datae, sed

praecipue gratia sanctificans. Ad *probat.* C. A. N. C. Prioribus verbis, *Venit Spiritus Sanctus super eos*, Scriptura exprimit primarium Confirmationis effectum, nempe gratiam gratum facientem; posterioribus autem verbis, *Et loquebantur linguis*, *et prophetabant*, effectum indicat secundarium, atque ad tempus concessum, nempe gratias gratis datas. Ad *Confirm.* C. A. N. C. Judaeis mirantibus, quod in die Pentecostes Apostoli variis linguis loquerentur, non quod gratia sanctificante, quae sub oculos aut sensus non cadit, ornati essent, ostendit Petrus advenisse tempus, quo, teste Joele, hominibus potestas fieret variis linguis loquendi, et futura praenoscendi. Caeterum quod Apostolis praeter dona gratis data, etiam gratia sanctificans collata fuerit, non solum ex Patribus, verum etiam ex ipsa Scriptura manifestum est. Magnanimus enim ille ardor, quo die Pentecostes succensi Apostoli, omni metu depulso, Christum Jerosolymis maximae hominum multitudini praedicarunt, haud dubie a sanctificante gratia proficiscebatur.

CCCLXXIV. *Dices I.* Samaritae et Ephesii eum Spiritum Sanctum acceperunt per impositionem manus Apostolorum, quo antea caruerant. Atqui non caruerunt hi Spiritu Sancto, prout importat gratiam sanctificantem. Ergo acceperunt tantum Spiritum Sanctum, prout hic gratiam gratis datam significat. Resp. C. M. D. m. Non caruerunt hi Spiritu Sancto, id est, gratia sanctificante, qua quis regeneratur, atque ab omnibus peccatis mundatur, C. m. Gratia sanctificantem, qua quis roboratur, et quae ordinatur ad

intrepidam et constantem fidei professionem, N. m., et Conseq.

CCCLXXV. *Dices II.* Samaritae illud tantum per impositionem manuum Apostolicarum acceperunt, quod Simon Magus pecunia oblata ab Apostolis obtinere nitebatur. Atqui ille miraculorum dona tantum, non vero gratiam sanctificantem emere tentavit. Ergo. R. N. M. Simon Magus ambitionis et turpis lucri stimulis agitatus, ubi vidit mira illa linguarum et miraculorum dona per impositionem manuum data, ea sibi pecuniis comparare cogitavit, nihil sollicitus de interiori gratia quam acceperant Samaritae.

CCCLXXVI. *Dices III.* Nemo dat quod non habet. Ergo cum Apostoli confirmati non fuerint, Confirmationem numquam administrarunt. Resp. I. N. A. Secus invalidum foret Baptisma ab infideli non baptizato collatum, quamvis nihil eorum omittatur, quae ad valorem Baptismi requiruntur. Resp. II. D. A. Nemo dat quod nullo modo habet nec formaliter nec virtualiter O. A. Quod formaliter non habet, N. A. et Conseq. Apostoli, quamvis Sacramentum Confirmationis non susceperint, consecuti sunt tamen die Pentecostes illius effectum, nempe gratiam roborantem cum dono miraculorum.

CCCLXXVII. *Objicitur II.* Silentium Veterum. Antiquissimi Christianorum Scriptores, Ignatius Martyr, Polycarpus Smyrnensis, Clemens Romanus, Justinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Irenaeus, nullam omnino in suis Libris Confirmationis mentionem faciunt. Ergo Confirmatio est Evangelii promulgatione recentior, atque ab Ecclesia instituta: proinde numerari nequit inter genui-

na Sacramenta. Resp. I. retorquendo. Clemens, Athenagoras, Theophilus et Tatianus nullibi meminerunt Baptismi et Eucharistiae. Ergo illa recenseri nequeunt inter Sacramenta? Resp. II. O. A. N. C. Nulla Confirmationis mentio ab eis facta legitur, vel quia plures eorum libri injuria temporum interierunt, vel quia a scopo et instituto eorum alienum erat de Confirmatione quidquam commemorare. Veteres enim qui Apologias pro Christianis scripsere, ut Justinus, Athenagoras etc. in eo toti erant, ut Gentilium calumnias adversus Religionem nostram propulsarent potius, quam ut singula nostrae fidei mysteria singillatim exponerent. Ignatii, Polycarpi, Clementis paucae admodum supersunt epistolae, ad solandos fideles, eorumque concordiam fovendam exaratae. Profecto si Confirmatio promulgatione Evangelii recentior est, qui fieri umquam potuit, ut Patres jam a secundo Christi saeculo, Tertullianus, Cyprianus, Cornelius, Optatus, Pacianus, Cyrillus, Ambrosius, Chrysostomus, Innocentius, Hieronymus, Augustinus, unanimi consensu, ac nemine contradicente, Confirmationis vim et efficaciam tam magnificis verbis depraedicarent, eamque pro vero novae Legis Sacramento haberent?

CCCLXXVIII. *Objicitur III.* Authoritas Patrum et Theologorum. Patres et Theologi docent, Confirmationem esse caeremoniam ab Ecclesia institutam. Ergo Confirmatio non est Sacramentum. P. A. I: S. Augustinus Lib. III. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XVI. ait: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* II. Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. VII. ait: *Exinde egressi de Lavacro, perungimur benedicta un-*

ctione, de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium solebant. Ex quo Aaron a Moyse unctus est. Ergo Confirmatio juxta Tertullianum de pristina, id est, Mosaica disciplina descendit, atque ab Ecclesia in usum revocata est. Ergo non est verum novae Legis Sacramentum, sed ritus mere Mosaicus, majorem virtutem non habens quam in Lege veteri. III. *Irenaeus* Lib. I. adv. Haeres. Cap. XVIII. Confirmatoriam unctionem Valentinianis et Gnosticis authoribus tribuere videtur. IV. *Alexander de Ales* in Summa Theologica, Parte IV. Quaest. IX. membro I. et *S. Bonaventura* in IV. Sentent. Dist. VII. Artic. I. Quaest. II. docent, Apostolos sine Sacramento dedisse Spiritum Sanctum: immo *Alensis* ait, hoc Sacramentum Saeculo IX. ab Ecclesia institutum fuisse in Concilio Meldensi. R. N. A. Ad I. *probat.* Resp. S. Augustinus loquitur tantum de manuum impositione reconciliatoria, quae olim haereticis ad Ecclesiam revertentibus adhibebatur, et quae mera erat caeremonia Ecclesiastica, non autem Sacramentum. Alii contendunt Augustinum loqui de Sacramento poenitentiae. Ad II. N. C. Tertullianus non intendit unctionem nostram sic comparare veteribus, quasi non major sit in nostra quam in veteri Lege fuerit virtus; siquidem ait: *Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit*; sed id unum significat, Legis veteris unctiones figuram fuisse unctionis in nova Lege faciendae. Ad III. Resp. S. Irenaeus loco cit. haereticis non unctionis inventionem, sed corruptionem exprobrat: nec eos ullibi reprehendit, quod unctionem olei et balsami erga Neophytos adhiberent, sed quod sanctum mysterium portentosis vocibus, et profana aquae cum oleo admixtio-

ne, aut solius balsami, oleo rejecto, inunctione perverterent. Ad IV. C. A. N. C. Singularis fuit, eaque improbabilis Alensis et Bonaventurae opinio nec ab Ecclesia, nec a caeteris Theologis adoptata, immo communi consensu rejecta. Quod vero Alensis ait, hoc Sacramentum institutum fuisse in Concilio Meldensi, id intelligendum non est de ipso Sacramento quoad substantiam spectato, sed quantum ad formam verborum et materiam elementarem, hoc est, chrismationem. Quamquam etiam hac in re turpiter hallucinatus est Alensis, cum ex Scriptis Patrum et Canonibus Conciliorum certum sit, Saeculo jam II. III. et IV. chrismationem in usu fuisse: neque aliud in Meldensi Concilio decretum fuerit, quam ut mos antiquus observetur, ut soli Episcopi Confirmationis Sacramentum administrent. Caeteras Protestantium objectiunculas, nullius plane roboris ac momenti, afferre non vacat, cum ex dictis facile solvi queant. Vide *Natalis Alexandri* Dissertationem X. in Hist. Eccles. Saeculi II. *Renatum Le Douvren* Lib. III. de Re Sacramentaria etc.

APPENDIX

AD CONTROVERSIAM. I.

VARIA QUAESITA DE MATERIA, FORMA, EFFECTU, SUBJECTO, ET NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

CCCLXXIX.

Quaeres I. Quaenam sit materia remota essentialis Confirmationis? Resp. Chrisma. Prob. assertio authoritate Patrum, *Origenes* Hom. VIII. in Levitic. *Tertulliani* Lib. de Bapt. Cap. VII. *S. Cypriani* Epist. LXXII. ad Jubajanum. *S. Cyrilli* Catech. III. Mystagogica. *S. Augustini* Lib. II. contra litteras Petiliani, Cap. CIV. *Theodoreti* Comment. in Cant. Et Conciliorum, *Laodiceni* Can. XLVIII. *Hispalensis* II. Cap. VII. *Toletani* IV. Can. LVII. *Meldensis* Can. XLIV. quorum loco exhibuimus paulo ante, nempe Num. CCCLXIX. et CCCLXX. In his mentio fit chrismatis tamquam rei ad Confirmationem necessariae, eique virtus tribuitur conferendi Spiritum Sanctum. Ergo chrisma est materia essentialis Confirmationis; non proxima, ut per se patet: ergo remota. Assertioni nostrae aperte favent Florentinum in Decreto pro Armenis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significant conscientiae; et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto.* Et Tridentinum Sess. VII. Can. II. de Confirm. *Siquis dixerit, injurios esse*

Spiritu Sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

CCCLXXX. *Dices. Arausicana I.* Synodus A. 441. Can. II. ita statuit: *Nullum Ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usque debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in baptismate quacunque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio est: non ut praejudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Ergo unctio frontis juxta Patres Arausicanos non pertinet ad essentiam Sacramenti Confirmationis, adeoque chrisma nequit esse illius Sacramenti materia remota. R. N. C. Circa genuinam Canonis illius lectionem gravis priori saeculo exorta est lis *Sirmondum* inter et *Petrum Aurelium*, seu Abbatem *Sancyranum.* Sirmondus Canonem illum legit, ut paulo ante exhibuimus in objectione, laudatque Codices optimae notae ac venerandae antiquitatis, Lugdunensem, Rhemensem, Fossatensem, Tilianum, Victorinum, editionem antiquam Coloniensem, ac vetera Isidori exemplaria. Contra Petrus Aurelius detracta particula *non*, sic legit postremam Canonis partem: *Ut non praejudicans quidquam, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita.* Sirmondi Codicibus opponit antiquas Conciliorum editiones, tres Merlinianas, duplicem Binianam, Surianam, Crabbianam duplicem, quae omnes particulam negativam *non* rejiciunt, et Gratianum De Consecrat. Dist. IV. Cap. *Nullus.* Jam vero si Aureliana lectio pro genuina habeatur, manifestum est Canonem illum Arausicanum assertioni nostrae non contradicere, sed

quam maxime favere; tunc enim sensus Canonis est, quod utraque chrismatio, tam Baptismalis in vertice, quam Confirmatoria in fronte, sit necessaria, in diverso tamen genere necessitatis: prima ut caeremonia Baptismi supplenda ex more et praecepto Ecclesiae, altera necessaria necessitate Sacramenti, ut ejus materia. Quod si vero Sirmondi lectio praeplaceat, ajo Arausicani illius Canonis hunc sensum esse: Si aliquo casu emissa sit in Baptismo chrismatis unctio, ea de re commonebitur Episcopus, cum ad Neophytos consignandos accedit. Qui si duplicem adhibere chrismationem voluerit: unam, qua vicem omissae in Baptismo caeremoniae impleat, ungendo baptizatum ante Confirmationem; alteram, quam in Confirmatione cum impositione manuum, ex traditione Apostolica, ut partem essentialem adhibeat, nihil oberit mysterio, vel *non praejudicabit quidquam*, ut loquitur Canon: sed chrismationem illam repetitam non esse necessariam docet Synodus: *Quoniam*, inquit, *chrismatis ipsius inter quoslibet non nisi una benedictio est.* Id est, una eademque benedictione consecratum est chrisma quo utuntur Episcopi et Presbyteri; adeoque licet unctio in Baptismate fuerit omissa, ex eo nullum patitur spiritale detrimentum baptizatus, cum illa mera sit caeremonia, et chrismatio Confirmationis, quae longe praestantior est, utpote pars essentialis Sacramenti, illam utilius suppleat, et magnificentius. Verum illud observo, Canonem hunc Arausicanum, cum dubia sit illius lectio et incerta, instrumentum esse in causa praesenti utrique parti inutile. Nam quod est utrimque incertum, non potest in testimonium assertionis ulla ratione assumi.

CCCLXXXI. *Quaeres II.* An ad chrisma necessario necessitate Sacramenti requiratur oleum olivarum admistum balsamo cum Benedictione Episcopi? Resp. probabilius affirmative, ita ut si unum horum desit, invalida sit Confirmatio. Prob. assertio I. Authoritate Patrum, a quibus chrisma appellatur oleum, unguentum consecratum, sanctificatum, benedictum. Tertullianus Lib. de Bapt. Cap. VII. *Egressi de Lavacro, perungimur benedicta unctione.* S. Cyrillus Jerosol. Catech. III. Mystagogica: *Sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, neque commune, postquam jam consecratum est: sed est Chrisma Christi, quod adventu Spiritus Sancti energiam habet.* S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXVII. *Benedicimus baptismatis aquam, et unctionis oleum. Quibus vero Scripturis edocti? nonne a secreta et silente traditione.* Ven. Beda Lib. II. Expositionis in Cantica Canticorum ait: *In vineis Engaddi balsamum gignitur, quod in chrismatis confectione liquori olivae admisceri, ac Pontificali benedictione solet consecrari, quatenus fideles omnes cum impositione manus Sacerdotalis qua Spiritus Sanctus accipitur, hac unctione signentur.* II. Authoritate Concilii Florentini in Decreto pro Armenis, cujus verba paulo ante exhibuimus in respons. ad Quaesitum Primum. III. Ex antiquissimis Ritualibus et Euchologiis, ac Sacramentario S. Gregorii M. IV. Ex praxi Ecclesiae, quae Sacramentum Confirmationis numquam administravit sine oleo et balsamo ab Episcopo consecratis. Ergo cum haec mixtio et benedictio nullibi legatur a Pontifice aliquo vel a Concilio praescripta, usum illius ab ipsis Apostolis accepisse dicenda est Ecclesia. Ergo ad chrisma pro-

babilius praeter oleum jure divino requiruntur etiam balsamum et benedictio Episcopalis.

CCCLXXXII. Neque obstat I. Apostolorum et Christianorum paupertas primis Ecclesiae temporibus, qui impares videntur fuisse faciendis tot sumptibus in emendo balsamo. II. Silentium Scriptorum primis V. saeculis, qui admixtionis olei cum balsamo non meminerunt: aut denique III. Innocentius III, qui Extra, de Sacramentis non iterandis, Cap. *Pastoralis*, consultus utrum Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui non chrismate, sed oleo per errorem fuit delinitus, respondit, *nihil esse iterandum, sed caute supplendum id quod incaute fuerat omissum.* Nam ad I. Resp. Neque tanta balsami copia requirebatur ad fideles inungendos, neque tam arcta erat primorum Christianorum res, ut illi Praelatis Ecclesiae necessarios ad emendum balsamum sumptus suppeditare non potuerint. Ad II. Resp. mentionem admixtionis balsami cum oleo a Patribus implicite fieri, quando materiam Confirmationis vocant unguentum et chrisma. Quod si etiam daretur primis quinque saeculis nullam illius a Patribus mentionem fieri, neutiquam legitime inferri potest, novum in Ecclesia ritum Saeculo VI. introductum fuisse. Cum enim Saeculo VI, aut prioribus nullum inveniamus Pontificem aut Concilium, a quo instituta fuerit haec chrismatis compositio, merito locum habere debet nota illa Augustini regula: *Quod universa tenet Ecclesia* etc. Ad III. Resp. Confirmationem in casu proposito nullam et irritam habitam fuisse ab Innocentio III; per illam enim verba, caute supplendum esse quod incaute fuerat omissum, intelligit ipsum Sacramentum supplendum esse,

eum scilicet qui prius oleo tantum unctus fuit, iterum ungendo chrismate cum praescripta verborum formula, privatim tamen ad vitandum scandalum; neque enim, ut glossa ait ad citatum caput, dicitur iterari quod prius factum non fuit.

CCCLXXXIII. *Quaeres III.* Quaenam sit materia proxima essentialis Confirmationis? Resp. est applicatio chrismatis, seu impositio manus Episcopalis in ipsa unctione. Et quidem aliquam Episcopalis manus impositionem essentialiter requiri ad valorem Confirmationis, Prob. I. ex Scripturis. *Actuum* Cap. VIII. dicitur de Apostolis, qui Sacramentum Confirmationis Samaritis administrarunt: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Et Cap. XIX. *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus.* II. Authoritate Patrum. *Tertullianus* Lib. de Resurrectione carnis, Cap. VIII. ait: *Caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur. S. Cyprianus* Epist LXXIII. ad Jubajanum: *Quod nunc quoque apud nos geritur* (quod observarunt Apostoli) *ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.* S. Hieronymus in Dial. adversus Luciferianos: *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus Sanctus?* S. Augustinus Tract. VI. in I. Epist. S. Joan. *Numquid modo quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur?* Theodoretus Comment. in Cap. VI. Epist. ad Hebr. *Qui crediderunt accedunt ad divinum baptismum, et per manum Sacerdotalem Spiritus gratiam accipiunt.* S. Gregor. M. Hom. X. in Evang. *Per*

manuum nostrarum impositionem Spiritum Sanctum percipiunt. S. Isidorus Hispalensis Lib. II. de Offic. Eccles. Cap. XXVI. *Post baptismum per Episcopos datur Spiritus Sanctus cum manuum impositione: hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos.*

CCCLXXXIV. Neque dicas I. a multis Patribus Sacramentum Confirmationis per solam unctionem chrismatis designari. II. Innocentius III. Cap. *Cum venisset*, Extra, De Sacra Unctione: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio.* Ergo impositioni manus suffecta est unctio chrismatis. Ergo nunc impositio manus non est de essentia Confirmationis. III. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Loco autem illius manus impositionis* (qua Spiritum Sanctum dabant Apostoli) *datur in Ecclesia Confirmatio.* Nam ad I. Resp. Confirmationis Sacramentum a multis Patribus designari etiam per solam manus impositionem, quin tamen unctio propterea excludi possit ac debeat. Ergo a pari. Caeterum quod posterioris aevi Patres et Scriptores Ecclesiastici Sacramentum istud frequentius designent per unctionem quam per manus impositionem, ratio est tum quia unctio expressius significat effectum hujus Sacramenti, tum quia unctio non peragitur sine aliqua manus impositione. Ad II. C. A. N. C. Innocentius III. non asserit Apostolos confirmasse absque chrismate manum imponendo, Episcopos vero nunc mutato ritu confirmare ungendo frontem chrismate absque manus impositione; sed tantum vult chrismationem frontis, quae nunc communiter dicitur Confirmatio, esse illud ipsum Sacramentum, quod olim impositio manus vocabatur, et quo Apostoli visibiliter dabant Spiritum Sanctum cum aliis donis gratis datis. Ad III.

eadem est responsio. Juxta Florentinum eadem est substantia hujus Sacramenti, nomen autem diversum, quia Confirmatio nunc appellatur quod olim manus impositio vocabatur, cum aliqua tamen, quantum ad efficaciam, accidentali diversitate; olim enim ab Apostolis Spiritus Sanctus dabatur etiam visibiliter, nunc vero nonnisi invisibiliter datur ab Episcopis.

CCCLXXXV. *Quaeres IV.* An ad valorem Confirmationis sufficiat ea impositio manus, qua Episcopus baptizati frontem sacro chrismate inungit: vel an etiam requiratur ea manus impositio praevia, tempore et natura ab unctione sejuncta, quando nempe Episcopus extendens manus versus confirmandos orationem fundit, qua Spiritum Sanctum advocat? Resp. Impositionem illam manus Episcopalis, quae cum unctione conjungitur, sufficere; praeviam autem illam manuum extensionem ad valorem Sacramenti Confirmationis non requiri. Prob. assertio I. ratione. Unctio chrismatis facta in fronte, est vera manus impositio in sensu proprio. Ergo haec sola sufficit et requiritur ad valorem Confirmationis. P. A. tum ex eo, quia unctio chrismatis facta in fronte, est actio qua Episcopi manus fronti immediate admovetur, et in sensu magis proprio dicitur impositio manus, quam praevia illa extensio manuum super confirmandos, quando Episcopus Spiritum Sanctum invocat: tum etiam ex eo, quod ab antiquissimis Scriptoribus ita appellata est. Ven. Beda in Expositione Psalmi XXVI. ait: *Illa unctio, quae per manus impositionem ab Episcopis fit, et vulgo Confirmatio dicitur. Rabanus Maurus* Lib. I. de Institutione Clericorum, Cap. XXVIII. *Episcopus baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignat.* Amalarius Fortunatus Lib. I. de Off. Eccles.

Cap. XXVII. *Ut ab Episcopis solis inungantur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est.* Similia habent *Ratramnus Corbejensis* Lib. IV. contra Opposita Graecorum, Cap. VII. *Ivo Carnotensis* in Opusculo de convenientia novi et vet. Testam. *Rupertus Tuitiensis* Lib. V. de Offic. div. Cap. XVI. *Hugo Victorinus* Lib. II. de Sacram. Parte XV. Cap. I. aliique complures.

CCCLXXXVI. Prob. II. ex praxi Ecclesiae Graecae. Graeci a multis jam saeculis Sacramentum Confirmationis administrant absque praevia illa extensione manuum, qua Episcopus manus versus confirmandos extendens Spiritum Sanctum advocat; hujus enim ne tenue quidem vestigium deprehenditur in antiquissimis Graecorum Euchologiis. Ergo praevia illa extensio manuum non est de essentia Confirmationis. P. C. Certum est, etiam sine illa praevia manuum extensione valide a Graecis administrari Sacramentum Confirmationis; nullus enim Latinorum valorem Confirmationis a Graecis sic collate in dubium umquam vocavit: neque umquam Ecclesia Catholica in iis qui apud Graecos quamtumvis Schismaticos confirmati fuerunt, et postea relicto schismate veniunt ad Catholicam unitatem, Confirmationem iteravit, etiamsi postea promoveantur ad sacros Ordines. Ergo praevia illa manuum extensio non pertinet ad substantiam Confirmationis.

CCCLXXXVII. Prob. III. ex praxi plurimorum Episcoporum in Latina Ecclesia, qui in magno populorum concursu passim ad unctionem chrismatis admittunt etiam eos qui aberant, quando Episcopus manus extendens invocavit Spiritum Sanctum. Quo casu irrita dicenda esset Confirmatio, siquidem praevia illa manuum extensio necessaria foret necessitate Sacramenti

Verum quamquam haec ita se habeant, non diffiteor tamen ob probabilitatem sententiae contrariae, quam multi magni nominis Theologi, Natalis Alexander, Tournely, Juenin, Gotti, Le Drouven etc. defendunt, sollicite cavendum esse Episcopis, ne quis ungendus accedat, nisi praesens adfuerit, quando Episcopus extensis super confirmandos manibus Spiritum Sanctum invocat; quod facile caveri poterit, si confirmandi in distinctos ordines distribuantur, ita ut integer Confirmationis ritus circa eos qui sunt primi ordinis expleatur; tum vero iis recedentibus repetatur oratio cum manuum extensione et reliquo ritu super eos qui sunt secundi ordinis, et sic deinceps. Ratio est, quia in Sacramentis administrandis et percipiendis nihil plane eorum quae observat et mandat Ecclesia, omitti debet; maxime quando, nulla praelucente Ecclesiae definitione, dubia est ac controversa inter Theologos Sacramenti alicujus materia vel forma: nisi enim hoc pendente dubio totum id observes de quo dubitatur, periculum est, ne irritum ac nullum sit Sacramentum.

CCCLXXXVIII. *Quaeres V.* Quaenam sit forma Sacramenti Confirmationis? R. apud Graecos esse illa verba: *Signaculum donationis Spiritus Sancti*; apud latinos vero: *Consigno te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.* Quare oratio illa, quam fundit Episcopus cum extensione manuum versus confirmandos, antequam eorum frontem inungat, pia est equidem Ecclesiae caeremonia necessitate praecepti adhibenda; at nullo modo pertinet ad formam Confirmationis. Prob. assertio I. Authoritate Conciliorum. Florentinum in Decreto pro Armenis ait: *Secundum Sa*-

cramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma ---- *Forma autem est: Signo te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Et nullam aliam, praeter istam, tradit formam hujus Sacramenti. Reponunt aliqui, tradi hic tantum formam integralem, non essentialem et adaequatam. At omnino id gratis et absque fundamento dicitur, nec sine injuria Florentini, quod perquam absone egisset tradendo Armenis formam tantum integralem aut accidentalem, omissa essentiali. Prob. II. ex Ordine et Pontificali Romano, atque antiquissimis Ritualibus libris, qui praxim Ecclesiae Saeculi VIII. et posteriorum nobis ostendunt, hancque ipsam formam nobis exhibent. Ergo haec forma prioribus etiam saeculis adhibebatur, cum illam a nullo Concilio aut Pontifice institutam legamus. Prob. III. Ratione. Forma Sacramenti consistit in verbis quae proferuntur a Ministro in applicatione materiae. Atqui verba supradicta, *Consigno te signo Crucis etc.* proferuntur a Ministro Confirmationis, dum frontem inungit chrismate, quod est materia illius Sacramenti. Ergo verba illa sunt forma Confirmationis.

CCCLXXXIX. *Dices I.* Forma Confirmationis est deprecatoria, ut colligitur ex Cap. VIII. Actuum. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.* Atqui verba ista, *Consigno te signo Crucis etc.* non sunt deprecatoria, sed indicativa. Ergo non sunt forma. II. Patres, praecipue S. Cyprianus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, dicunt oratione et invocatione dari Spiritum Sanctum in Confirmatione. Ergo forma Confirmationis reponenda est in precibus praeviis quas fundit Episcopus manus extendens ante unctionem. III.

Ex verbis illis Jacobi Cap. V. *Et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*, recte infertur formam extremae Unctionis reponendam esse in oratione stricte dicta. Ergo etiam ex verbis illis Act. Cap. VIII. *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum*, recte infertur formam Confirmationis esse deprecativam. IV. Haec forma, *Consigno te signo Crucis etc.* non adhibebatur prioribus Ecclesiae saeculis, ut patet ex silentio Scripturae et Patrum, qui primis sex saeculis scripserunt. V. Episcopus frontem chrismate inungens, Saeculo VIII. his tantum verbis utebatur, *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, ut constat ex Alcuino et Amalario. Ergo. VI. Si verba illa, *Consigno te signo Crucis etc.* essent forma a Christo instituta, invalida esset forma Graecorum, *Signaculum donationis Spiritus Sancti*; immo in ipsa Ecclesia Latina Sacramentum hoc per multa saecula invalide fuisset administratum: magna enim in antiquissimis variarum Ecclesiarum Ritualibus libris est formae diversitas. Sic in Ordine Romano dicitur: *Confirmo te in nomine Patris etc.* In Tolosano: *Signat te Deus sigillo fidei suae in consignatione fidei, in nomine Patris etc.* In Petaviano: *Signum Christi in vitam aeternam, amen.* Resp. ad I. N. min. Verba illa quamtumvis sint indicativa, dici nihilominus possunt oratio, quia sunt verba sacra prolata a Ministro ut instrumento Christi, ac nomine Christi, et totam vim suam ex meritis Christi habent, Deumque efficaciter movent ad conferendam gratiam; ideoque se habent per modum orationis. Ad II. N. C. Ut enim prius dictum fuit, verba illa *Consigno te signo Crucis etc.* a ministro prolata, vim habent ex meritis Christi im-

petrandi effectum Sacramentalem, adeoque juxta Patres sunt oratio et invocatio Spiritus Sancti. Atque hac de causa S. Cyrillus Catech. III. formam Eucharistiae appellat invocationem: *Quemadmodum panis Eucharistiae post Sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi.* Et S. Augustinus Lib. V. de Bapt. contra Donat. Cap. XX. dicit hominem per deprecationem baptizare, et Eucharistiam conficere perinde ac confirmare, quamvis formae illorum Sacramentorum sint indicativae. *Quomodo exaudit* (Deus) *homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? Quae omnia tamen et fiunt et valent etiam per homicidas.* Ad III. Resp. id non tam colligi ex verbis S. Jacobi, quam ex Traditione et praxi Ecclesiae, quae semper deprecativam formam in extrema unctione usurpavit, in Confirmatione vero indicativam. Ad IV. N. A. Forma haec adhibebatur Saeculo VIII., ut constat ex Pontificali Romano. Ergo etiam prioribus saeculis usurpabatur, cum nullus Pontifex, nullaque Synodus assignari possit, a quo primum fuerit instituta. Neque obest hic silentium Patrum et antiquissimorum Scriptorum, cujus geminam rationem proferre possumus. Prima est, quia saepissime contingit, quae magis vulgata sunt, usuque communi trita, praetermitti, quod propter usum quotidianum et vivam traditionem ignorari nequeant. Altera est, lex et disciplina arcani. Christiani enim sollicite cavebant, ne Fidei nostrae mysteria vulgarent, sicquae illa Gentilium ac Judaeorum irrisioni ac profanationi objicerentur. Hinc S Innocentius I. Epist. ad Decentium, Cap. III. de Sacra-

mentorum formis loquens scribit: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Et profecto nullus adversariorum formam Baptismi, *Ego te baptizo etc.* in dubium trahit, quamvis eam nullus Patrum ante S. Gregorium M. integram exhibuerit. Ad V. Resp. vel Alcuini et Amalarii editiones mendosas esse, vel Alcuinum, ex quo dein errorem illum exscripsit Amalarius, usum fuisse codice mendoso; citat enim Ordinem Romanorum, in quo tamen clare haec verba exprimuntur: *Confirmo te in nomine Patris etc.* Praeterea longe verisimilius est, librum illum de Divinis Officiis non esse Alcuini, sed farraginem quamdam ex diversis ipsius Alcuini, aliorumque Authorum posteriorum Scriptis collectam, ut ostendit *Natalis Alexander* in Hist. Eccles. Saeculi VIII. Cap. III. Art. VII. Ad VI. N. A. Forma Graecorum, eaque quae in variis Ecclesiis apud Latinos adhibebatur, substantialiter non differunt ab ea quae in Rituali Romano habetur: utrobique enim exprimitur Confirmationis effectus et causa principalis, nempe Spiritus Sanctus. Tota igitur varietas illa est mere accidentalis, substantiam ipsam non attingens. Ex quo consequitur, Christum non determinasse Confirmationis formam quoad verba; sed tantum generatim instituisse, ut adhibeantur verba quae hujus Sacramenti effectum sufficienter exprimerent, eaque ab Ecclesia determinarentur.

CCCXC. *Quaeres IV.* Quodnam sit subiectum idoneum Confirmationis? Resp. soli, omnesque baptizati. Prob. I. pars assertionis, I. Exemplo Apostolorum, qui non aliis hoc Sacramentum administrasse leguntur quam baptizatis. II. Authoritate Patrum et

Conciliorum, atque ex praxi Ecclesiae. III. Ratione Theologica, eaque triplici. I. est. Confirmatio se habet ad Baptismum, sicut augmentum ad generationem temporalem. Atqui impossibile est crescere hominem, quin prius conceptus sit; prius est enim esse quam augeri. Ergo impossibile ut quis ante Baptismum valide confirmetur. II. Homo per Confirmationem fit plene perfecteque Christianus. Porro prius est rem esse quam esse perfectam, quia ad perfectionem non subito, sed quibusdam veluti gradibus pervenitur. Ergo Baptismus, per quem quis incipit esse Christianus, necessario praecedere debet Confirmationem. III. Baptismus est janua Sacramentorum, primusque in domum Dei introitus. Ergo.

CCCXCI. Prob. etiam altera pars assertionis ex usu et praxi universalis Ecclesiae, quae antiquitus una cum Baptismo Confirmationem et Eucharistiam parvulis etiam ministrabat. Hic usus per complura saecula permansit in Ecclesia Latina, ut colligitur ex antiquis Ritualibus, atque etiamnum viget in Graeca Ecclesia. Caeterum quamvis spectata institutione Christi omnis aetas censeatur esse capax hujus Sacramenti: Confirmatio tamen in Ecclesia Latina jam ab aliquot saeculis differtur usque ad usum rationis, tum quia Sacramentum hoc ad salutem necessarium non est necessitate medii, adeoque infantes sine illo salvari possunt: tum quia illud suscipiendo cum actuali devotione, cujus nemo ante usum rationis capax est, majori cum utilitate suscipitur: tum denique quia sic certius vitatur periculum iterationis; hujus enim Sacramenti a se suscepti facile meminisse possunt, qui illud post usum rationis suscipiunt. Septimus itaque

aetatis annus apud Latinos nunc expectatur; praeveniri tamen potest haec aetas justis de causis, si nimirum parvulus vel credatur postea aut omnino non, aut non nisi difficillime habiturus occasionem hoc Sacramentum suscipiendi; aut si lethali morbo oppressus sit morti proximus, ne careat perfectione majorique ornatu gratiae quam secum consignatio affert, cuique splendidior in coelis gloria respondet.

CCCXCII. *Quaeres VII.* Quaenam Confirmationi praemittendae sint dispositiones? Resp. ad valorem Confirmationis ex parte suscipientis requiritur I., ut confirmandus Ecclesiam jam ingressus fuerit per Baptismum. II., voluntas recipiendi Sacramentum, saltem interpretativa, quia Ecclesia judicat vel praesumit, in illis fidelibus, qui tunc vel ob amentiam vel gravissimum morbum rationis compotes non sunt, dari intentionem saltem habitualem. Ad licentiam quaedam requiruntur dispositiones ex parte animae, quaedam ex parte corporis. Ex parte animae requiritur status gratiae; Confirmatio enim non est instituta ad dandam primam gratiam, sed ad eam augendam. Non ergo danda est iis Confirmatio, qui per peccatum gratiam Baptismi amisere, nisi eam reparaverint per Poenitentiae Sacramentum, aut contritionem perfectam. Quamvis vero non existat aliquod praeceptum sive divinum sive Ecclesiasticum, quo adultus peccator teneatur Confirmationi praemittere Confessionem Sacramentalem; in praxi tamen curandum est, ut quicumque sibi mortalis peccati conscius est, prius confiteatur quam Confirmationem accipiat, quia satis incerta et difficilis est perfecta contritio in plerisque hominibus. Ad uberiorem fructum ex hoc Sacramento percipiendum requi-

ritur I. prompta et devota animi affectio erga singulare illud donum; quod haud dubie fiet, si confirmandus explicitam habeat cognitionem tum Mysteriorum fidei, tum Evangelicae regulae, secundum quam mores Christiani efformandi sunt, ac praesertim eorum omnium quae pertinent ad Baptismum et Confirmationem, in qua renovatur initum olim in Baptismo foedus cum Deo. II. Perseverantia per aliquod dies in oratione et meditatione praesertim hujus Mysterii; hoc enim diligentiae et pietatis exercitium ipsemet Dominus praescripsit Apostolis donum Spiritus Sancti recepturis Lucae Cap. XXIV. *Vos autem sedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et Apostoli id exercuerunt. Act. Cap. I. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Jesu.* Ex parte corporis requiritur I. ut mares tam ii qui confirmandi sunt, quam qui confirmandis Patrini dantur, veste simplici, et ad modestiam composita accedant: foeminae vero sine fuco et pigmento, non immoderato capitis corporisque ornatu decorate. II. Duodecim prioribus Ecclesiae saeculis non nisi jejunis dabatur Confirmatio, postea vero etiam non jejunis datam fuisse testatur *S. Thomas* Parte III. Quaest. LXXII. Art. XII. ad II. Laudabilis tamen est ea consuetudo, et quantum fieri potest, observanda, ut si Confirmatio matutino tempore administretur, et a jejunis Episcopis detur, et a jejunis fidelibus percipiatur.

CCCXCIII. *Quaeres VIII.* Quinam sit effectus Confirmationis? Resp. triplex. I. est, augmentum gratiae sanctificantis; est enim verum Sacramentum novae Legis a Christo institutum, et teste Scriptura, per

Confirmationem confertur Spiritus Sanctus, quo nomine intelligitur plenitudo et abundantia gratiae. Dixi, *augmentum gratiae sanctificantis*; Confirmatio enim primam gratiam jam praesupponit, atque a Christo instituta est ad augmentum et perfectionem primae gratiae. II. est, gratia propria Sacramenti Confirmationis, id est, gratia roboris et virtutis, seu auxilia supernaturalia gratiae, merito hujus Sacramenti concedenda tempore opportuno ad fidem intrepide ac fortiter propugnandam, et superandas quae adversus eam insurgunt, daemonis ac mundi tentationes. Hinc a Patribus et Conciliis vocatur gratia muniens, confortans, roborans, gratia perfectionis, consummationis, seu augmenti spiritualis, ad discrimen gratiae Baptismatis, quae est spiritualis infantiae. Atque ideo S. Thomas Parte III. Quaest. LXXII. Artic. V. scribit: *Per Sacramentum Confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, praeter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum se ipsum vivit. Sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quae pertinet ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet ex exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in coenaculo perseverantes in oratione: postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianae.* III. effectus est, character spiritualis animae impressus, ut ostendimus Artic. I. Controv. IV. ideoque Sacramentum hoc iterari nequit. Hinc per characterem hunc confirmatus distinguitur ab alio fi-

deli non confirmato, tamquam spiritualiter provectus ad virilem aetatem ab eo qui paulo ante spiritualiter natus est, et adhuc in infantia spirituali existit; signumque est ordinationis ad aliquid speciale, nempe ad pugnam spiritualem contra hostes visibiles fidei, ad quam propugnandam specialiter deputantur confirmati, simulque idonei fiunt, dum per Confirmationem ad perfectam aetatem spiritualiter promoventur. Nam qui sunt spiritualiter parvuli, quamdiu tales sunt, ad id muneris strenue et viriliter obeundum idonei esse non possunt, nisi operatio Confirmationis a Deo extraordinarie suppleatur.

CCCXCIV. *Quaeres IX.* Quid sentiendum sit de Confirmationis suscipiendae necessitate? Resp. juxta omnes Theologos Confirmationis Sacramentum negligendo graviter peccari posse I, ratione contemptus; siquis nimirum pro nihilo ducat hoc Sacramentum, ejusque effectum, aut si vile et puerile existimet se illi subjicere. II. Ratione scandali, si ita se publice gerat, ut speciem contemptus aliis praebeat. III. Ex defectu charitatis ordinatae sibi ipsi debitae; siquis nempe practice sibi persuadeat, sine hoc Sacramento non posse se tentationes contra fidem superare, aut in morali periculo se fore, ut tormentorum acerbitate constantia frangatur. Caeterum extra hos casus diversa est Theologorum de Confirmationis necessitate sententia.

CCCXCV. Prima est *Scoti*, *Richardi*, *Waldensis*, et recentiorum, praecipue Gallorum, qui putant Confirmatione necessariam esse, non quidem necessitate medii, quia etiam sine illa per solum baptisma justificatio, adeoque aeterna salus obtineri potest; sed necessitate praecepti divini. Probant id I. Quia omnes

Fideles tenentur fieri et esse plene Christiani. Atqui ad plenitudinem et perfectionem, juxta Patres, requiritur Confirmatio. II. Illud Sacramentum ex praecepto divino est suscipiendum, quod Christus instituit tamquam medium ad superanda mundi pericula et tentationes. Atqui tale medium est Confirmatio. Ergo. III. Qui oblata occasione negligit, aut certe qui proponit hoc Sacramentum numquam recipere, virtualiter censetur illud contemnere; ut enim ait Concilium Senonense A. 1528. Parisiis celebratum contra Lutheranos, Praeside Antonio a Prato S. R. E. Cardinale et Archiepiscopo Senonensi: *Confirmationem omnes Christiani, tam viri quam mulieres usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere. Contemni autem dicitur, quando Episcopus est praesens, paratus dare, et persona hoc sciens negligit.* Verum ne quid dissimulem, verba illa minime inveniuntur in Actis Concilii Senonensis, quae *Harduinus* exhibet Collectionis suae Tomo IX. a Colum. 1925.

CCCXCVI. Altera sententia est *Durandi*, *Marsilii*, *Card. Tubrecremata*, et *Gabrielis Biel* asserentium, Confirmationem Fidelibus jure divino tunc tantum necessariam esse, quando instat occasio aut necessitas publice profitendi fidem coram Tyranno, et quando prius commode suscipi potest hoc Sacramentum. in eo enim casu maxima videtur esse hujus Sacramenti necessitas, et tunc voluntaria illius omissio contemptum indicat, atque irrationabilem quamdam prodigalitatem bonorum spiritualium, propriae et ordinatae charitati valde repugnantem. Verum haec sententia paucos hodie patronos habet. Cum enim Confirmatio non solum auxilium conferat ad fidem intrepide profiten-

dam et propugnandam coram Tyrannis, sed etiam ad vivendum secundum fidem; sequeretur Confirmationem jure divino necessariam esse, non tantum ob externum illud et peculiare periculum, verum etiam ac praecipue ob internam illam et continuam hominis infirmitatem, pugnamque spiritus cum carne.

CCCXCVII. Tertia sententia est *Alensis*, *S. Bonaventurae*, *Paludani*, *S. Antonini*, *Sylvestri Prieratis etc.* qui putant Confirmationem omnibus necessariam esse, non quidem jure divino, sed mere Ecclesiastico. Probant id ex variis Canonibus Conciliorum. Sic Eliberitanum initio Saeculi IV. Can. LXXVII. ait: *Siquis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Laodicenum A. 372. Can. XLVIII. *Oportet eos qui baptizantur, post lavacrum chrisma Ecclesiae accipere, et regni Christi participes inveniri.* Canones Poenitentiales ad V. Decalogi praeceptum subjiciunt poenitentiae trium annorum parentes illos, quorum negligentia filius sine Sacramento Confirmationis decesserit. Mediolanense IV. sub S. Carolo Borromeo ait: *Siquis neglexerit Confirmationem, Canonicis subjaceat disciplinis.*

CCCXCVIII. Quarta sententia, eaque valde communis, est *S. Thomae*, *Dominici Soto*, *Ledesmae*, *Hadriani*, *Angeli de Clavasio*, *Victoriae*, *Navarri*, *Suarii*, *Valentiae etc.*, qui putant, praescindendo a contemptu et scandalo etc. Confirmationem nec jure divino, nec jure Ecclesiastico necessariam esse, ideoque eam per se omitti posse sine gravi saltem peccato: addunt multi eam omitti posse sine levi etiam peccato ex vi objecti et intrinsecae obligationis; quia talis actus non

est in praecepto sed in consilio; alioquin si esset praeceptum, materia ejus esset satis gravis: et ideo per se loquendo, obligatio aut esse debet sub mortali, vel omnino nulla. Saepe tamen haec omissio poterit per accidens esse peccatum veniale, aut etiam mortale, quod ex fine et modo voluntatis judicandum erit. Authores hi probant assertionem suam I. ex praxi Ecclesiae, quae adultis hoc Sacramentum in articulo mortis administrare non consuevit. Atqui si Confirmatio jure divino praecepta esset, teneretur eam administrare, ut patet in Baptismo, Eucharistia, et Poenitentia respectu lapsorum. II. ita argumentantur: Praeceptum obligans sub mortali non est adstruendum sine manifesta et gravi ratione. Atqui talis ratio non datur pro necessitate Confirmationis. Ergo. P. min. Nam I. verba *Debent*, *Oportet*, quae leguntur in Canonibus Conciliorum, uti alias saepe, ita etiam hic intelligi possunt non de debito stricte tali quod importat praeceptum, sed de debito convenientiae, maximamque hujus Sacramenti utilitatem indicant, qua negligentes illud semetipsos privant. II. Omnes Christiani evadunt per Baptismum perfecti quoad substantiam, ea nimirum perfectione quae regenerationem et perfectam justificationem involvit; quamvis per solum baptismum non habeant perfectionem illam accidentalem quae ordinatur ad robur et augmentum gratiae. III. Christus Confirmationem instituit tamquam medium, non ad simpliciter, sed ad facilius superandas tentationes contra fidem: neque desunt alia media sufficientia ad hunc finem consequendum, ut v. g. oratio, virtutum Christianarum exercitium etc. IV. Qui Confirmationem non suscipit, non ideirco censendus est eam contemnere;

contemptus enim quid aliud importat praeter voluntariam omissionem, ut patet in eo qui voluntario omittit susceptionem Ordinis, Religionis, aut Matrimonii, quin ea Sacramenta, aut statum religiosum dicatur contemnere. Vide *Suarium* in III. Partem S. Thomae Disput. XXXVIII. Artic. XII. Sectione. I.

CCCXCIX. *Quaeres X.* An Unctio verticis in Baptismo usurpari solita supplere possit Sacramentum Confirmationis, et plenitudinem gratiae conferre ex opere operato? Resp. Negative. Prob. assertio I. Si unctio illa eumdem haberet cum Confirmatione effectum Confirmatio esset superflua. Atqui hoc repugnat Traditioni et praxi Ecclesiae, quae unctis etiam a Presbytero in vertice Confirmationem administrat. II. Sacerdos tali modo per unctionem illam verticalem traderet Spiritum Sanctum, id est, plenitudinem gratiae roborantis. Atqui id repugnat Patribus et Conciliis. III. Unctio verticalis est caeremonia, non a Christo, sed ab Ecclesia instituta. Ergo non habet intrinsecam virtutem producendi gratiam, quam nemo ritui externo indere potest, praeter Deum.

CD. *Dices I.* In Pontificali Damasi dicitur de S. Sylvestro Papa: *Hic et hoc constituit, ut baptizatum liniat Presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis.* Ergo S. Sylvester unctionem verticalem in Baptismo adhiberi voluit, ut suppleretur unctio confirmatoria. P. C. Utriusque unctionis eadem est materia et consecratio. Ergo. II. *Rabanus Maurus* Lib. I. de Institutione Clericorum, Cap. XXVIII. loquens de hoc ipso Sylvestri decreto ait: *Ac deinde profecto patet, quia quicunque non est Christi, regni sui particeps fieri nequit: ideoque necessa-*

tium est, ut statim succurratur baptizato cum chrismatis unctione, ut Spiritus Sancti participationem accipiens, alienus a Christo non existat. Ergo Rabanus eamdem vim tribuit unctioni verticalis et confirmatoriae in fronte. III. *Hugo Victorinus* Lib. II. de Sacram. Parte VII. Cap. III. ait: *Propter eos qui articulo mortis praeveniuntur, instituta est illa, qua Sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacri chrismatis unctio, ne forte per absentiam Episcopi, et difficultatem eam consequendi, sine manus impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret.* IV. S. Thomas III. Parte, Quaest. LXXI. Artic. III. ad IV. ait: *Dicendum, quod eorum quae aguntur post baptismum circa baptizatum, aliquid est quod non solum significat, sed efficit: puta, unctio quae fit in vertice, quae operatur conservationem gratiae baptismatis. Aliquid autem est quod nihil efficit, sed solum significat, sicut quod datur ei vestis candida ad significandam novitatem vitae.* Ergo juxta S. Thomam unctio baptismatis in vertice non differt a Confirmatoria in fronte, quia utraque operatur. Resp. ad I. Praeterquam quod Liber ille Pontificalis non a Damaso, sed ab alio sequioris aevi conscriptus fuerit, O. A. N. C. Ad *probat.* N. C. Quamvis eadem sit materia et consecratio, diversa tamen est forma, diversus minister, effectus, et modus inungendi. Baptismalis unctio fit in vertice, per simplicem Sacerdotem, et significat tantum, non vero producit, saltem ex opere operato et tamquam verum Sacramentum a Baptismo distinctum, unctionem interiorem gratiae. At vero Confirmatoria unctio fit in fronte, per solum Episcopum tamquam ministrum ordinarium; et non solum significat, sed

etiam ex opere operato producit gratiam roborantem. Ad II. N. C. Discrimen inter utramque unctionem ipse *Rabanus* assignat Lib. cit. Cap. XXX. scribens: *Signatur baptizatus per Sacerdotem chrismate in capitis summitate: per Pontificem vero in fronte, ut priori unctione significetur Spiritu Sancti descensio ad habitationem Deo conservandam; in secunda vero ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia venire declaretur.* Ergo juxta Rabanum unctio verticalis non producit, saltem ex opere operato, sed tantum significat gratiam sanctificantem, et dona Spiritus Sancti. Ad III. Resp. Hugonem nihil aliud velle, quam quod unctio verticalis ab Ecclesia instituta fuerit, non ut hoc ritu imminueretur, sed potius ut insinuaretur Confirmationis necessitas, cujus imitationem aliquam adumbrari jussit Ecclesia, ne videlicet aliquo ejus vestigio careant, qui propter Episcoporum absentiam, et mortis imminentis angustias hoc Sacramento donari nequeunt. Ad IV. N. C. Juxta S. Thomam unctio verticalis operatur tantum per modum impetrationis, et ex opere operantis.

CONTROVERSIA II.

DE MINISTRO SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Contra Waldenses, Wickleffum, et Protestantes.

CDI.

Duplex Sacramenti Confirmationis minister distinguendus est, ordinarius et extraordinarius. Ordinarius est, qui vi sui Ordinis habet perfectam et completam potestatem hoc Sacramentum valide conferendi; atque hunc dicimus esse Episcopum. Minister extraordinarius est, qui vi sui Ordinis habet potestatem incompletam et inchoatam conferendi Sacramentum istud, quae perfici et compleri debet per dispensationem ut valide exerceatur: atque hunc dicimus esse simplicem Presbyterum.

CDII. Waldenses et Wickleffus quamvis Sacramentum Confirmationis admiserint, contendebant tamen ministros illius ordinarios esse Presbyteros, nec sine injuria hoc officio spoliatos fuisse ab Episcopis. Vide dicta Num. CCCLXVII. Protestantes Confirmationem ipsam e numero Sacramentorum auferunt; et quamvis ipsorum quoque opinione Sacramentum foret, negant tamen ad solos Episcopos ejus ministerium pertinere. Ita Lutherus in Lib. de Captivit. Babylon. Kemnitius in Parte II. Examinis. Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XIX. Paragr. X. Fundamentum erroris istud est, Episcopum a Sacerdote nihil differre quoad potestatem Sacramentalem.

CDIII. *Conclusio I.* Solus Episcopus est Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis. Probatur Conclusio haec dogmatica I. Authoritate Scripturarum. Act. Cap. VIII. Petrus et Joannes Apostoli ab Ecclesia Jerosolymitana missi fuere ad confirmandos Samaritas, quos Philippus Diaconus baptizaverat. Act. Cap. XIX. Paulus Apostolus confirmasse dicitur eos, qui paulo ante Ephesi baptizati fuerant baptismo Christi. Ergo ordinarium munus baptizandi pertinebat ad Apostolos, eorumque successores Episcopos. II. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Epist. LXXIII. ad Jubajanum ait: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.* S. Hieronymus in Dial. adv. Luciferianos: *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur? - - - Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* S. Augustinus Lib. XV. de Trinit. Cap. XXVI. *Neque enim aliquis Discipulorum ejus (Christi) dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Praepositis etiam nunc servat Ecclesia.* Ven. Beda Comment. in Cap. VIII. Act. Apost. *Notandum, quod Philippus, qui Samariae evangelizabat, unus de septem fuerit: si enim Apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum Sanctum; hoc enim solis Pontificibus debetur.* III. Autho-

ritate Pontificum. *S. Innocentius* I. Epist. ad Docentium Eugubinum, Cap. III. scribit: *De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Haec autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum.* S. Gregorius M. Lib. IV. Epist. IX. alias Lib. III. Epist. IX. ad Januarium Calaritanum: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non praesumant; sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.* IV. Authoritate Conciliorum, *Eliberitani* Can. XXXVIII. et LXXVII. *Hispalensis II.* Capitulo VII. *Meldensis* Can. XLIV. Verba ipsa adduximus Num. CCCLXX. *Florentinum* in Decreto pro Armenis ait: *Secundum Sacramentum est Confirmatio. — Ordinarius minister est Episcopus.* Tridentinum Sess. VII. Can. III. de Confirmatione statuit: *Siquis dixerit, Sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.* Ratio a priori assignari alia nec potest nec debet quam voluntas Christi hoc Sacramentum instituentis, cujus congruam causam assignant Theologi. I. est, quia conveniens videtur, a primario ministro, id est, Episcopo conferri Confirmationem, quae est complementum et perfectio baptismi. II. est, quia per Confirmationem homo militiae Christi adscribitur, sicut per baptismum familiae Christi adjicitur. Atqui

adscribere militiae pertinet ad Duces et Imperatorem exercitus. Ergo etiam adscribere militiae Christi pertinet ad Episcopos, qui in Ecclesia principatum gerunt.

CDIV. *Conclusio II.* Simplex Sacerdos ex dispensatione Summi Pontificis potest esse extraordinarius Minister Sacramenti Confirmationis. Conclusio haec quamvis non sit de fide, est tamen modo ita certa, ut de ejus veritate dubitari prudenter nequeat. Prob. I. Authoritate Conciliorum, quae in casu necessitatis Presbyteris facultatem dederunt Sacramentum hoc administrandi. Arausicanum I. A. 441. Can. I. ait: *Haereticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, a Presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placuit.* Epaonense A. 517. Can. XVI. *Presbyteros, propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis et decumbentibus haereticis, si conversionem subitam petant, chrismate petimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Florentinum in Decreto pro Armenis postquam dixit, solum Episcopum ordinarium esse hujus Sacramenti ministrum, illico subjungit: *Legimus tamen, aliquando per Apostolicae Sedis dispensationes ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

CDV. Prob. II. Authoritate Pontificum. Cum A. 593. S. Gregorius M. Lib. IV. Epist. IX. Presbyteris Calaritanis in Sardinia prohibuisset, ne baptizatos infantes signare in fronte chrismate praesumerent, sed eos ungerent in pectore, ut Episcopi postmodum un-

gerent in fronte: sequentique anno intellexisset, hac sua prohibitione multos in Sardinia offensos fuisse, Epist. XXVI. ita respondit: *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate ungere debeant concedibus.* Sermonem hic autem esse de Sacramento Confirmationis, patet I. ex eo, quia Epistola XXVI. concessit S. Gregorius, quod Epist. IX. diserte prohibuerat, ne nimirum Presbyteri baptizatos infantes praesumant in fronte signare chrismate, id est, confirmare. II. Quia si de caeremonia tantum lis fuisset, nullam S. Gregorius rationem habuisset, illam in absentia tantum Episcopi Presbyteris permittendi; cum illi jure suo, tamquam ordinarii ministri Baptismi, omnes illius caeremonias peragant. Exemplum S. Gregorii M. plures alii Romani Pontifices sunt secuti. *Lucas Wadingus* in Annalibus Minorum refert, nonnullos Fratres Minores hoc privilegio fuisse donatos a *Nicolao IV. Joanne XXI. Urbano V. Eugenio IV. Leone X.* atque *Hadriano VI*, cujus diploma in Coenobio Franciscanorum Hispali asservari idem Wadingus asserit: ex quo colligere licet, Hadrianum ad Petri cathedram evectum a sententia recessisse, quam antea Hadrianus Florentius Doctor Lovaniensis docuerat. Eamdem facultatem Abbati Montis Casini concessit Sixtus V. Patri Custodi Terrae Sanctae Ord. Minorum Clemens XI. Custodi et Guardiano Sancti Sepulcri Ord. Min. de Observantia, Praefecto Missionum AEgypti, item S. R. I. Principi et Abbati Campidunensi Benedictus XIV. Quis autem tam ferrae frontis et tam projectae audaciae sit, qui tot Pontifices scientia ac pietate conspicuos in

praxim institutioni divinae contrariam consensisse asserat.

CDVI. Prob. III. Authoritate et exemplo Ecclesiae Graecae, in qua jam longe ante Photianum schisma, simplices Sacerdotes infantes baptizatos statim sacro chrismate inungunt, ne forte immatura morte praerepti sacri illius Mysterii fiant exsortes: idque ab eis factitatum est consentientibus totius Orientis Episcopis, atque accedente etiam consensu Romani Pontificis. Atqui certum est in Ecclesia Graeca valide administrari Sacramentum Confirmationis. Ergo certum est, ex delegatione Romani Pontificis simplicem etiam Sacerdotem extraordinarium esse posse Sacramenti Confirmationis Ministrum. Major propositio constat tum ex Graecorum Euchologiis, tum ex iis Scriptoribus, quibus Orientis mores explorati sunt. Minor probatur. Graecorum Confirmationem, etsi a simplici Sacerdote collatam Latini Patres in Concilio Florentino ratam habuere. Cum enim Graeci inter undecim quaestiones sibi a Latinis post unionem propositas, ad hanc quoque jussi fuerint respondere : *Quare Episcopi non inungunt sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* Huic quaestioni Mitylenensis Praesul Graecorum nomine satisfecit; legitur enim post undecim illas quaestiones: *Haec a Latinis objecta Mitylenensis canonice omnia legitimeque dissolvit, praeterquam duo, de quibus Papa Imperatoris significavit, cur scilicet matrimonia dirimantur, et Patriarcha non eligatur.* Magis diserte ejusdem rei testimonium nobis praebet *Gregorius Protosyncellus,* qui Florentino interfuit tamquam Legatus Patriarchae Alexandrini. Is creatus postea Patriarcha Constantinopolitanus scribens adversus Epistolam Marci Ephesini ait:

Verum Latini etiam nostros consignabant, et chrismatos appellabant. Sed haec non fuisse ex aequo et bono facta, constat ex eo, quod in nostra unione nihil habuerunt quod nobis objicerent; sed cum essemus orthodoxi, habiti sumus ab orthodoxis orthodoxi.

CDVII. Caeterum dictum fuit I. in Conclusione, *Simplex Sacerdos.* Nequit enim id muneris demandari inferioribus Clericis, v. g. Diaconis aut Subdiaconis. Soli enim Presbyteri ratione sui Ordinis habent radicalem, inchoatam et incompletam potestatem confirmandi, quamvis ligatam et impeditam, quae nonnisi per legitimam dispensationem libera, completa et expedita evadere potest. At vero Diaconi et Subdiaconi eam ne radicalem quidem et inchoatam habent. II. *Ex dispensatione Summi Pontificis*; irrita enim atque omnino invalida foret Confirmatio a simplici Latino Presbytero collata ex delegatione Episcopi Latini, quia Sedes Apostolica in Latina Ecclesia id juris sibi uni reservavit. Posita autem reservatione Pontificia hujuscemodi facultatis Episcopus Latinus nec valide nec licite potest hanc facultatem Sacramentum Confirmationis conferendi simplici Presbytero concedere. Nam quamvis confirmare sit actus Ordinis Episcopalis, cujus firmitas et valor a Pontificis nutu non pendet; delegare tamen simplici Presbytero ejuscemodi actum potius ad jurisdictionem quam ad Ordinem pertinet. Episcoporum vero Jurisdictio, sive sit immediate a Christo, sive a Romano Pontifice, ita semper huic subest, ut ejusdem authoritate et imperio limitari, atque etiam justis gravibusque de causis omnino auferri alicui possit. Igitur Confirmatio a simplici Presbytero administrata alinde vires sortiri nequit, quam a delegatione sive ex-

pressa sive tacita Romani Pontificis eidem simplici Presbytero facta.

CDVIII. Ex his quae modo diximus, necessario consequitur, Confirmationem a simplici Presbytero collatam, irritam atque omnino invalidam esse reputandam iis in locis, in quibus certo novimus Graecis, alteriusve Orientalis ritus Sacerdotibus talem facultatem ab Apostolica Sede fuisse ademptam. Praeter Sacerdotes autem in Bulgaria et regno Cypri, quibus olim hanc facultatem abstulerunt S. Nicolaus I. et Innocentius IV, Sacerdotibus Italo-Graecis severe interdixerunt Clemens VIII. et Benedictus XIV. ne baptizatos chrismate consignarent. Quod si quis Sacerdos, etiam Graecus, in Italia ac vicinis Insulis, contra expressam Apostolicae Sedis prohibitionem chrismate baptizatos inungeret, non illicite modo, verum etiam invalide Confirmationem administraret. Vide *Prosperum Lambertinum*, seu *Benedictum* XIV. Lib. VII. de Syn. Dioec. Cap. VII. VIII. IX.

OBJECTIONES.

CDIX. *Objicitur I.* contra I. Conclus. Authoritas Scripturarum. Apostolus I. ad Timoth. Cap. IV. scribit: *Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Ergo temporibus Apostolicis Presbyteri imponebant manus, seu administrabant Sacramentum Confirmationis. II. *Act.* Cap. IX. Ananias, quamvis non esset Episcopus, manus imposuit Saulo, et quidem, ut ipse l. c. ait: *Ut videas, et implearis Spiritu Sancto.* Ergo. Resp. C. A. N. C. Apostolus l. c.,

non loquitur de Sacramento Confirmationis, sed de Ordinatione Episcopali, quae fit per plures Episcopos, ideoque Presbyterii nomine non intelligit Sacerdotes secundi ordinis, sed conventum Episcoporum. Ad II. Resp. Impositio illa manuum facta ab Anania, antequam baptizaretur Saulus non fuit confirmatoria, sed curatoria, ut nempe visus illi restitueretur. Verba autem illa, *Et implearis Spiritu Sancto*, non referenda sunt ad illam manuum impositionem, sed vel ad fidem Sauli, vel ad Baptismum, quo paulo post ablutus fuit. Caeterum an Ananias fuerit laicus, vel simplex Sacerdos, aut omnino Episcopus, incertum est.

CDX. *Objicitur II.* Authoritas S. Hieronymi. S. Doctor Epist. LXXXV. ad Evagrium scribit: *Quid facit excepta Ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* II. in Dialogo adversus Luciferianos ait: *Quod si hoc loco quaeris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui: disce, hanc observationem ex ea authoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit, et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotii quam ad legis necessitatem.* Ergo S. Hieronymus sensit, Episcopos non vi Ordinis, sed ex dispositione Ecclesiae esse ministros ordinarios Confirmationis. R. ad I. S. Hieronymus Presbyteros cum Episcopis confert non quantum ad alia munia, sed quantum ad confectionem corporis Christi, et quae ad illam pertinent; aitque Presbyteros hac in re ab Episcopis in eo tantum differre, quod hi per Sacram Ordinationem potestatem conficiendi corpus Christi aliis possint communicare,

quam Presbyteri aliis communicare nequeunt. Ad II. N. C. S. Doctor per ea verba nihil aliud intendit, quam munus ordinarium confirmandi ad solos Episcopos pertinere, non ex natura rei, quasi vero Spiritus Sanctus aliter accipi non possit quam per manus Episcopi; sed propter voluntatem et institutionem Christi, qui summum Sacerdotium specialiter honorare voluit certas Episcopis attribuendo praerogativas, quas non attribuit Presbyteris.

CDXI. *Objicitur III.* Authoritas Conciliorum. Toletanum I. A. 400. Can. XX. ait: *Statutum est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo; praesente vero, si ab ipso fuerit praeceptum.* II. Concilium Regense A. 439. Can. V. *Visum est; omni Presbytero per familias, per agros, per privatas domos, pro desiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire, quod non nullas jam provincias habere succurrit. – – – In Ecclesia quoque, in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi Neophytum, jus habebit.* III. Barcinonense II. A. 599. Can. II. ait: *Simili etiam statutum conditione est, ut cum chrisma Presbyteris dioecesanis pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur; ne gratia Dei pretio benedictionis affecta, simoniacum interitum ementibus vendentibusque associet.* IV. Hispalense II. A. 619. Capitulo VII. *Quaedam tamen auctoritate veteris Legis, quaedam novellis et Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut Presbyterorum et Diaconorum, ac Virginum consecratio; Sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio: siquidem nec licere eis Ecclesiam, vel altarium consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex

haeresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare. Ergo Episcopi jure tantum Ecclesiastico sunt Ministri ordinarii Confirmationis. Resp. ad I: vel de unctione verticali in Baptismo, non autem de Confirmatoria unctione ibi sermonem esse; vel si posterius id contendas, id unum sequitur, Toletanos Patres hanc veniam fecisse Presbyteris, ut possent tamquam ministri extraordinarii, absente vel jubente Episcopo, Sacramentum Confirmationis conferre. Iis autem temporibus, quibus Romani Pontifices hanc delegationem sibi nondum reservarant, licitum erat Episcopis et Conciliis hanc facultatem Presbyteris tribuere justa et rationabili de causa.[1] Ad II. Resp. Facultatem consecrandi Virgines et confirmandi Neophytos soli Armentario Ebredunensi Episcopo, valide quidem sed illicite ordinato fecerunt Regenses Patres, quem Episcopatu suo motum uni praefecerunt Parochiae. Manifestum id est ex verbis citati Canonis; illico enim subjungitur: *Et per omnia, ut sit indulgentiae testimonium, semper se inferiorem Episcopo, superiorem Presbytero agat.* Ad III. Resp. Barcinonensem illum Canonem ab aliquibus intelligi vel de unctione verticali in baptismo, vel de unctione caeremoniali ac reconciliatoria. Neque desunt qui putant factam fuisse Presbyteris facultatem, ut ipsum Sacramentum Confirmationis, tamquam illius Ministri extraordinarii, conferre valeant; aut denique sermonem ibi esse de chrismate, quo Neophyti inunguntur, non a Presbyteris, sed ab Episcopo Dioecesim suam lustrante. Ad IV. N.C. Hispalense *Novellas regulas* vocat, quia illae in novo Testamento a Christo praescriptae sunt; *Ecclesiasticas* vero, quia institutioni ac praecepto divino etiam Ecclesiae Lex et praeceptum accessit

nempe Innocentii I. in Epist. ad Decentium, et anteriorum Conciliorum. Profecto si per *regulas novellas* intelligerentur novae seu recens inductae, sequeretur, Ordinationes Presbyterorum et Diaconorum novo dumtaxat jure solis Episcopis fuisse reservatas, quod a veritate alienissimum esse ostendimus Tomo III. Articulo IV. Controversia V.

CDXII. *Objicitur IV.* Ratio. Qui potest majus, potest etiam quod est minus. Atqui Presbyteri possunt Eucharistiam conficere, quod est majus quid Confirmatione. Ergo. II. Si soli Episcopi administrare possunt Confirmationem, valor Sacramenti penderet a dignitate Ministri, ut olim contendebant Donatistae. III. Presbyteri non minus succedunt Apostolis quam Episcopi. Ergo si Episcopis licet frontem baptizatorum inungere, licebit id etiam Presbyteri. P. C. Apostoli hoc Sacramentum administrarunt tamquam Presbyteri. Ergo. R. D. M. Potest etiam quod est minus in eadem specie, O. M. In diversa specie, N. M. In his quae ex sola pendent voluntate Christi infirmum est id axioma, nisi admittere velis Diaconum posse confirmare, immo laicum etiam posse hoc Sacramentum administrare, quia potest baptizare. Ad II. D. M. Valor Sacramenti penderet a dignitate ministri Ecclesiastica, sive a certo gradu Ecclesiastico, C. M. Valor Sacramenti penderet a dignitate ministri morali, id est, a fide et probitate, ut olim contendebant Donatistae, N. M. Ad III. N. A. Fideles diverso modo succedunt Apostolis. Nimirum Christiani omnes succedunt Apostolis tamquam primis Christianis: Sacerdotes omnes succedunt Apostolis ut primis Sacerdotibus; Episcopi vero ut Summis Sacerdotibus et Pastoribus Ecclesiae: atque ita Episcopi succedunt Apostolis in

tota eorum ordinaria potestate, in qua non eis similiter succedunt simplices Sacerdotes. A l *probat.* N. A. Apostolos Sacramentum Confirmationis administrasse tamquam Episcopos et Pastores, constat tum ex eo, quod ad confirmandos Samaritas a Philippo baptizatos missi fuerint Petrus et Joannes; tum ex divina Traditione potissimum, cujus testes irrefragabiles sunt Concilia et Patres, solis Episcopis ordinarium confirmandi munus vindicantes.

CDXIII. *Objicitur V.* contra II. Conclus. Authoritas Pontificum. *S. Nicolaus I.* exorto vix Schismate Photiano, cum intellexisset Graecos Presbyteros authoritate et suasionibus Photii Sacramentum Confirmationis per Bulgariam administrasse, misit illico Episcopos Paulum Populoniensem et Formosum Portuensem Legatos suos, qui omnes Bulgaros a praedictis Presbyteris inaniter confirmatos, iterum sacro chrismate rite consignarent, ut constant ex Epistola Nicolai ad Hincmarum, Photii ad Episcopos Orientales, Metrophanis Smyrnensis ad Manuelem Patricium etc. Ergo S. Nicolaus censuit, Confirmationem administrari non posse a simplici Presbytero tamquam ministro extraordinario. Resp. N. C. S. Nicolaus Bulgaros iterum consignari voluit, tum quia Presbyteri illi CPolitani cum ipso Photio Pseudo-Patriarcha illegitime intruso, cui proinde legitimi Patriarchae jura non conveniebant, a Sacris suspensi erant: tum denique quia Bulgaria pertinebat ad Patriarchatum Occidentis; atque ideo delegatio a Romano Pontifice Graecis Presbyteris sive expresse sive tacite facta ministrandi Confirmationem in Patriarchatibus Orientis, nequaquam iisdem Presbyteris id ipsum in Bulgaria peragere permittebat. Ergo Confirmatio ab iis fuit invalide

administrata in Bulgaria adeoque Bulgari jure a Pontificiis Legatis fuere iterum confirmati.

CDXIV. *Dices I. Innocentius III.* Cap. *Quanto*, Extra, de Consuetud. Lucio Vicario suo in Urbe CPolitana constituto scripsit: *Pervenit ad audientiam nostram, quod quidam simplices Sacerdotes apud CPolim ea Sacramenta praesumant fidelibus exhibere, quae ab Apostolorum tempore fuere solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod chrisma renatis soli debent Episcopi per manus impositionem conferre: ad excusandas excusationes in peccatis, solam consuetudinem praetendentes. Dilectioni tuae mandamus, quatenus omnibus Presbyteris districte prohibeas, ne talia de caetero sua temeritate praesumant.* Et inferius causam hujus prohibitionis subjicit: *Cum umbra quaedam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.* Ergo Sedes Apostolica reprobavit hunc morem Graecorum, adeoque Confirmatio a Graecis Presbyteris collata, est irrita omnino atque invalida. Resp. N. C. Decretalis illa Innocentii III. solos respicit Sacerdotes Latinos, non autem Graecos. Cum enim tunc temporis CPolis subiecta esset imperio Francorum, ejusque Patriarcha e Venetis unus eligeretur, ex Francis et Venetis incolis magna ex parte Urbs regia conflabatur. Horum Sacerdotes Latinos ibi degentes posteaquam Graecorum ritus adoptasse intellexit Innocentius, Graecorumque more Confirmationem ausos fuisse ministrare, hunc Latinorum abusum data ad Lucium Vicarium suum CPoli Epistola compescuit Pontifex, ut patet ex integra Decretali, quam Baluzius exhibet Tomo I. Epistolarum Innocentii III. pag. 480. *Volentes igitur haec et alia, quae oculos Divinae Majestatis offendunt, de agro*


Dominico extirpari, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud CPolim constitutis districte prohibeas, ne talia de caetero sua temeritate praesumant.

CDXV. *Dices II. Innocentius IV.* de pluribus interrogatus quaestionibus inter Archiepiscopum Nicosiensem ejusque Suffraganeos Latinos ex una parte, atque Episcopos Graecos regni Cypri ex altera subortis, haec ad Ottonem Card. Tusculanum Apostolicae Sedis Legatum perscripsit, ut legere est apud Harduinum in Collect. Conciliorum Tomo VII. Columna 364. *Soli autem Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi: quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi; per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repraesentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur.* Ergo non Latinis modo sed etiam Graecis Presbyteris, vetuit Sedes Apostolica, ne Sacramentum Confirmationis conferre audeant. Resp. Innocentius IV. viribus carere voluit Confirmationem administratam a simplici Sacerdote; sed unice quoad regnum Cypri, in quo praevalere, incoeperat ritus Latinus ob multitudinem Latinorum Antistitum ibidem degentium. Ut enim idem ritus per totum regnum propagaretur, et foret perpetuus, necessarium duxit Pontifex revocare delegationem a Romanis Pontificibus tacite saltem factam Sacerdotibus Graecis conferendi Sacramentum Confirmationis. Caeterum in aliis locis, in quibus chrismatio facta a Sacerdotibus Graecis non est a Sede Apostolica expresse improbata, pro valida est habenda, ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum: cujus quidem privilegii praesumptionem indu-

cit ipsamet conniventia et tolerantia Romanorum Pontificum, qui praedictum Graecorum morem scientes ei non contradixerunt, nec umquam illum damnarunt.

CDXVI. *Objicitur VI.* Ratio. Munus confirmandi jure divino competit solis Episcopis. Ergo committi nequit Presbyteris per Pontificiam dispensationem. P. A. Potestas confirmandi convenit Episcopo per characterem Episcopalem. Ergo. II. Presbyter non potest esse extraordinarius Minister Confirmationis ratione suae Ordinationis; alias valide confirmaret etiam sine dispensatione Pontificis, sicut sine illa valide consecrat: neque etiam ratione jurisdictionis; alioquin Episcopus nondum consecratus valide confirmaret, cum ea quae sunt jurisdictionis Episcopalis exercere valeat. Resp. D. A. Munus ordinarium confirmandi competit solis Episcopis, C. A. Munus extraordinarium, N. A. et D. C. Ergo committi non potest Presbyteris tamquam ministris ordinariis, C. Conseq. Tamquam ministris extraordinariis, N. Conseq. Ad *probat.* D. A. Potestas confirmandi perfecta, absoluta, atque ab omni alio independens, convenit Episcopo per characterem Episcopalem, C. A. Potestas confirmandi inchoata tantum, imperfecta, et dependens a voluntate Superioris, convenit solis Episcopis, N. A. et Conseq. Ad II. Resp. Simplex Sacerdos potest esse extraordinarius minister Confirmationis ratione Ordinis simul et Jurisdictionis: ratione Ordinis quidem, quia per illum inchoatam et incompletam potestatem confirmandi habet: ratione Jurisdictionis vero, quia accedente legitima dispensatione Romani Pontificis potestas illa inchoata, quam habet ratione Ordinis, perficitur, completur, sicque evadit expedita. Exemplum habemus in Sacerdote, qui quam-

vis in Ordinatione sua recipiat potestatem absolvendi a peccatis, ea tamen uti valide non potest, nisi accedente jurisdictione, quam ipsi Episcopus concedit, ejusdemque approbatione.



O. A. M. D. G.

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM

QUAE IN PRIMA PARTE

TRACTATUS VI. DE SACRAMENTIS CONTINENTUR.

A

B

C

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

U

W

Z

O. A. M. D. G.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Pat. Sac. Palatii Apostolici Magistro.

Cand. M. Frattini Arch. Philip. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Sacri Palatii Apost. Magist.





